AM/1748

2 vols
£30

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBRI DUODECIM,

JUXTA

EDITIONEM GOTTINGENSEM

JOHANNIS MATTHIÆ GESNERI.

ACCEDUNT

PRÆFATIO

ET

INDICES COPIOSISSIMI.

VOL. I.

OXONII:
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.
MDCCCVI.

R. 8392



INSTITUTO DE ESTUDIOS RIOJANOS
BIBLIOTECA

LECTORI MONITUM.

TERTIUS fere annus eſt, ex quo certiores facti M. F. Quinctiliani De Inſtitutione Oratoria exemplaria, quæ communi uſui inſervirent, et modico pretio conſtarent, vix aut ne vix quidem inveniri, huic incommodo remedium adhibere in animum induximus. Eo igitur conſilio, Geſneri Editionem, quæ A. D. 1738 Gottingæ prodiit, et optimæ notæ inter recentiores habebatur, typis Academicis repetendam cenſuimus; haud dubitantes quin nova Editio brevi abſolveretur. Quæ quidem nos aliqua ex parte fefellit opinio. Vixdum enim inchoato opere tot tantaque in libro Gottingenſi offendimus vitia, ut neceſſe fuerit pedetentim procedere, et recenſionem quamdam iſtius Editionis inter imprimendum inſtituere. Itaque plurima paſſim correximus, et verba nonnulla hic illic, præ typographi Gottingenſis incuria, ut videtur, omiſſa, textui reſtituimus: rerum tamen momentis prius diligenter perpenſis, et probabili quaque Editione, Burmanniana præſertim, in conſilium adhibita. Nec minus ſedulam animadverſionibus caſtigandis impendimus operam, quippe qui ſingula loca, ſive ex veteribus

ſive ex recentioribus Auctoribus, a Geſnero citata conferri curavimus: rem eo magis moleſtiæ plenam, quod ille notitiam Editionum a ſe uſurpatarum, quarum nonnullæ haud ubique in promtu erant, plane nullam præmiſerit. Indices porro non ſine magno negotio recenſuimus, notis numericis ad unam omnibus recognitis; unde factum eſt innumera fere menda fuiſſe ſublata. Itaque dum Geſneri Editionem repetimus, emendatiorem quoque illam, et ſtudioſorum uſibus magis accommodatam, in medium proferre ſperamus.

DABAMUS EX ÆDIBUS CLARENDONIANIS,
Oct. 24, MDCCCVI.

JO. MATTHIÆ GESNERI

IN

M. FABIUM QUINCTILIANUM

PRÆFATIO.

DE M. Fabio Quinctiliano in fronte hujus operis dici aliquid omnino debet; et breviter dicere, quod multa ſuadent, difficile eſt, ſi quis vel attingere velit præcipua, nedum de omnibus diſputare. Itaque hoc certe agamus, ut ſi quis anquirere omnia diligentius velit, ejus labor a nobis adjuvetur. Verſati ſunt in hoc argumento, ut reliquos taceam, qui breviter aut aliud agendo illud attigerunt, I. Nicolaus Antonius Bibl. Vet. Hiſpan. 1, 12. a n. 238—278. II. Henricus Dodwellus annalibus Quinctilianeis, qui cum Velleianis et Statianis editi ſunt Oxon. 1698. 8vo, et Burmanniano deinde Quinctiliano ſubjuncti. III. Nanus Tilemontius Hiſtoria Imperator. ſub Domitiano, art. 22. IV. Pet. Bælius in Dictionario h. v. V. Johan. Alb. Fabricius Bibl. Lat. ejuſque ſupplementis: quibus cum multa adſcripſiſſet ſenex amabiliſſimus, ea quoque dignus tanto viro gener et collega Her. Sam. Reimarus mihi pro veteris amicitiæ jure indulſit. Monuit me etiam de pluſculis pro antiqua animorum conjunctione et nupera Collegii neceſſitudine, venerabilis noſter Heumannus. Nobis ea indicare,

diſponere, partim etiam noſtris obſervatiunculis augere, ſatis jam fuerit.

§. 2. Nomen Quinctiliani ipſum controverſia non caret. Lapides et alia monumenta *Quinctios Quinctiliosque* habent frequenter: ſed non minus crebros *Quintilios* et *Quintios*. Cum typographis exprimendum daremus exemplum Burmannianum, et faveret origo nominis, illud ſecuti ſumus, hoc non damnamus.

§. 3. Major nec ita facilis de patria viri lis eſt. Hieronymus in Chron. ad Olymp. 211. *M. Fabius Quintilianus Romam a Galba perducitur.* Et Olymp. 216, anno Domitiani 8. *Quintilianus ex Hiſpania Calagorritanus primus Romæ publicam ſcholam* (f. excidit *aperuit*), et *ſalarium e fiſco accepit, et claruit.* Hinc ſua habet etiam Caſſiodorus. Auſonius in Profeſſoribus Burdig. 1, 7. p. 145. Toll. *Adſerat*, inquit, *uſque licet Fabium Calagurris alumnum*: et, ne quis dubitet, Minervium, quem celebrat, ita allocutus erat, *Alter Rhetoricæ Quinctiliane togæ.* Conſentiunt S. Hieronymi adv. Vigilantium verba, quem *Calagurritanum cauponem* appellat, et hac occaſione *mutum Quinctilianum*, quæ nuper illuſtravit præſtantiſſimus Weſſelingius ad Antonin. itiner. p. 457. ſeq. Illud nondum obſervavi, et neſcio an alius quiſquam, quod Volaterranus ait lib. 19, prin. Quinctilianum Hiſpanos ſuos provinciales appellare: quo quidem teſtimonio rem confectam haberemus. Jam contradicit neſcio cujus ætatis auctor vitæ illius, quam et nos ſtatim poſt hanc præfationem dabimus, et Romæ natum contendit, negatque fidem *libris temporum*, et ad Martialis ſilentium

provocat, non tacituri de gloria patriæ ſuæ. Tuetur, uti par erat, ſtrenue civem ſuum Nic. Antonius, et auctoris incerti fidem derogare certis non patitur: Martialem 1, 62, poetas modo laudare voluiſſe, contendit. Raderus etiam ad Martialis 2, 90, ita reſpondet, *ſcriptores* eum, ut eſt in lemmate, commemorare voluiſſe; tum autem nihil adhuc editum a Fabio.

§ 4. Cæterum pueritiæ et adoleſcentiæ ſuæ Romæ actæ meminit Fabius 6, 3, 57. et 10, 1, 24. it. 102. ac 12, 11, 3: in primis vero 5, 7, 7. coll. Plin. epiſt. 2, 14, 10. Quos porro hic auditos a ſe memorat, eorum mortes ante annum æræ vulgaris LIX contigiſſe, oſtendit Dodwellus §. 6, 7, et 8. *Palæmonem*, qui ſine dubio Romæ docuit, *Quinctiliani præceptorem* nominat Scholiaſtes vetus Juvenalis ad 6, 452, et firmat ipſe Noſter 1, 4, 20. Patrem etiam Fabii Romæ declamaſſe colligitur ex 9, 3, 73: nec incredibile eſt, quod auctor vitæ tradit, (licet dubitet Antonius Bibl. Hiſp. 1, 4. n. 43.) avum ipſius eſſe, quem auditum a ſe (vix autem alias quam Romæ) Seneca pater commemorat Controv. 5, præf. Quæ cum ita ſint, nihil videtur commodius, quam ut ſtatuamus cum Antonio et Dodwello, Calagurri natum Quinctilianum, a patre primo Romam deductum, deinde a Galba intra annum ſuæ ætatis XIX et XX, æræ vulgaris autem LXI, abductum, (quid ſi pro interprete? certe ut ipſi oſtenderet patriam, et ſuavitate ipſius frueretur,) in Hiſpaniam Tarraconenſem; in qua fuit utraque *Calagurris*, tum *Naſſica*, (ſic enim ſcribendum ex nummo, quem Surita laudat ad Antonin.

itiner. p. 392, Weſſel.) tum *Fibularia*, quæ hodie *Calahorra*. Ibi igitur vixiſſe videtur annis octo, et artem forte ſuam docuiſſe, et ab eodem Galba deinde poſt Neronis mortem Romam eſſe reductus. Non probat Dodwellus, abductum a Galba Fabium. Sed cum diſerte tradat in Euſebiano Chronico Hieronymus, Olymp. 211, a Galba Romam deductum: cum ipſe Fabius, extrema pueritia initiis adoleſcentiæ Romæ ſe fuiſſe oſtendat; cum nullum veſtigium ſit in illius libris, quo inveniatur, per octo illos annos, quibus in Hiſpania fuiſſe Galbam docet Suetonius c. 9, Romæ eum fuiſſe: facile adducor, ut viro doctiſſimo adſentiar.

§. 5. Ingenioſa eſt Heumanni mei objectio contra patriam Fabii ex 1, 5, 57, Gurdos, *quos pro ſtolidis accipit vulgus, ex Hiſpania duxiſſe originem audivi:* neque enim ita locuturus videtur homo ipſe Hiſpanus. Verum contra teſtimonia, quæ laudavimus, hoc non multum valere, ipſe intelligit. Nempe ſimilitudinem cum ita certam non videret Fabius, cum Romæ potius Romanus videri vellet, alieno teſtimonio hic utitur. Et quidni audiſſe illum dicamus in ipſa patria; ſed nomen non communis uſus, verum proverbiale, qualia ſexcenta, in hoc præſertim argumento. Et quot ſunt Germanica vix decimæ Germanorum parti nota?

§. 6. Romæ igitur ſcholas rhetoricas habuit, publico auctoratus ſtipendio, quod ex Hieronymi Chronico modo cognovimus. Pulchre huc convenit quod Suetonius de Veſpaſiano c. 17, ait, *Primus e fiſco Latinis Græciſque rhetoribus annua centena conſtituit. Claruiſſe* illum ait Chronicon ad annum

Domitiani VIII, Olympiad. 216, h. e. ſub finem illorum XX annorum, quos ipſe principio operis ait ſe erudiendis juvenibus impendiſſe. Inter hos fuit Plinius junior, quod ipſe memorat epiſt. 2, 14, 10. et 6, 6, 3 : et flos juventutis Romanæ, ſi credimus Martiali 2, 90,

Quinctiliane vagæ moderator ſumme juventæ,
Gloria Romanæ Quinctiliane togæ :

ubi prior verſus ad ſcholam rhetoricam pertinere videtur, alter ad cauſſas in foro actas. Nempe utrumque opus ſimul tractavit. Non præcepta autem ſolum tradidit ; ſed declamavit quoque, ita ut in ipſa ſchola etiam illis rerum imaginibus, ſ. φαντασίαις, afficeretur, *movereturque adeo, ut ipſum non lacrymæ ſolum deprehenderent, ſed pallor, et vero ſimilis dolor*, quod narrat 6, 2, 36. De memoria quoque ſua agens 11, 2, 39, declamationum ſuarum mentionem facit. Cæterum quantum ſalarii nomine acceperit Fabius, modo audivimus e Suetonio. Plura de eruditorum ſalariis volentem docebit Gronov. Pecun. Vet. 4, 11. p. 326. ſeq. A privatis quantum acceperit, doceret Juvenalis, niſi ſatiram ſcriberet ; et aliquid tamen docet 7, 186,

Hos inter ſumtus ſeſtertia Quinctiliano
Ut multum duo ſufficient.

§. 7. Sed non in umbra ſolum vixit ; verum, ut dicere cœpimus, in foro quoque verſatus eſt. Quomodo diſcere cauſſas et diſponere ſolitus ſit, ipſe tradit 7, 1, 3. ſeq. Cauſſam Nævii Aproniani juvenis adhuc non egit modo, ſed edidit, quod ipſe

docet 7, 2, 24. Ubi ſimul monet, cæteras, *quæ ſub ſuo nomine ferantur, negligentia excipientium in quæſtum notariorum, corruptas minimam ſui partem habere.* Meminit etiam alterius actionis pro Regina Berenice 4, 1, 19. Quod autem putat Nic. Antonius n. 244, dicere Politianum in oratione ſuper Fabio Quinctiliano, aliam quoque Berenices cauſſam ab eo actam, *qua eandem Berenicen, ſubjecti marito teſtamenti accuſatam, defenderit*, in eo fugit illum cura, quam alias adhibebat vir diligentiſſimus. Ita habent verba Politiani, *Inter cæteras autem quas egit cauſſas Quinctilianus, duæ in primis inſignes habentur, altera quam pro regina Berenice apud eam dixit; altera, qua ream*, (non ipſam Berenicen, ſed quamcunque, non nominatam certe ab ipſo) *quæ ſubjeciſſe* &c. Reſpicit nempe Politianus ad 9, 2, 73. Cæterum *ponendæ fere* per narrationem *cauſſæ officium* a ſe *exigi* ſolitum, refert 4, 2, 86: quam non exiguam laudem eſſe, ex his, quæ ibidem docet, intelligimus.

§. 8. Cum viginti annos ſtudia ſua erudiendis juvenibus impendiſſet, quietem illorum impetravit, quod narrat in ipſo Inſtitutionum proœmio, et induci ſe ab amicis paſſus eſt, ut aliquid de dicendi ratione componeret; quod adeo tempus ex Dodwelli rationibus incidit in annum Chriſtianorum LXXXVIII, ipſiuſque Fabii XLVII currentem. Ac de opere ipſo deinde dicetur: nunc, quid intra illius curſum auctori evenerit, videndum. Scripſerat (circa annum XCII, ut docet Dodwellus) tres priores libros, quibus, ſi non aliis, certe ſuo et Marcelli Victorii ſui filiis prodeſſet. Marcellus

hic idem eſt, cui quartum Silvarum librum inſcribit Statius, cujus tempora cum Quinctilianeis componit Dodwellus §. 27. Tres igitur libros priores ſcripſerat, cum *delegaret* ipſi *Domitianus Auguſtus curam ſororis ſuæ nepotum.* Hæc ipſe proœmio libri quarti. Diſerte *ſororis Domitiani nepotes* vocat Fabius. Nepotes ex ſorore interpretantur certatim viri docti ad Sueton. Domit. c. 15, et accuratiſſimus ipſe Dodwellus §. 34, qui firmant ſententiam ſuam ex Philoſtr. de vita Apollon. 8, 25 : quem proinde ſequi ad l. c. Fabii nihil dubitabamus. Sed re denuo perpenſa, manendum eſſe in verbis Quinctiliani, ejuſque proinde diſcipulos non filios ſororis Domitiani, ſed nepotes fuiſſe, vel inde mihi apparet, quod ſororem Domitiani, Domitillam, ante patrem ſuum Veſpaſianum, atque adeo ante imperium Domitiani, mortuam eſſe, tradit Sueton. Veſpaſ. c. 3 : eam autem Domitillam, quæ Clementis in matrimonio fuit, cujus Clementis filios imperio deſtinaverat Domitianus, marito ſupervixiſſe, cum Xiphilini Dione, idem eodem loco docet Philoſtratus. Fuit itaque Domitilla Clementis, mater diſcipulorum Quinctiliani, filia prioris Domitillæ, ſororis Domitiani. Sic recte conſtituit familiam Nic. Antonius, qui per hanc ipſam occaſionem in Domitillarum mentionem cum incidiſſet, eo accuratiore diligentia eas perſequitur, quod inter martyres Clemens cum ſua Domitilla non immerito referuntur. Hic Dionis etiam ex Xiphilino l. 67, p. 766, A. locum laudat, ubi Domitilla Clementis non ſoror Domitiani, ſed συγγενὴς, laxiore vocabulo appellatur. Viderat iſta quoque Bælius Voc. Quin-

til. not. D. et ita ſolvit diſſenſum, ut dicat Dioni ac Suetonio plus fidei habendum. Acutius noſter Olearius, qui apud Philoſtratum pro ἀδελφῇ ἀδελφιδῆν ſubſtituendam monet, h. e. ſororis filiam. Hæc adferre viſum eſt præter inſtitutum, ut ſecuritatem noſtram, quæ ad Fabii l. c. nobis impoſuit, quaſi expiaremus. Jam pergimus.

§. 9. Dimidiam fere partem operis abſolverat Quinctilianus, cum unicus illi filius, fratri quinquenni et matri undeviceſimum annum non egreſſæ ſuperſtes, morte eriperetur; quas mortes, ſuamque orbitatem vehementiſſime et ita luget exordio libri ſexti, ut difficile ſit cum viri ſapientis conſtantia illas querelas conciliare. Cæterum ex Plinii epiſt. 6, 32, diſcimus, hunc nuptiis filiæ Quinctiliani, quæ Nonio Celeri nuberet, contuliſſe quinquaginta millia, (imperiales $1666\frac{1}{3}$) cum tamen filiam, orbitatis ſolatium, exordio libri ſexti non memoret Fabius. Itaque videtur, illum ſolitudinis impatientem ad altera vota tranſiiſſe, ducenda Tutilii, ut apud Plinium vocatur, filia. Temporum rationes putat Dodwellus §. 25, et novas nuptias collocat in annum æræ noſtræ XCIV. Non eſt autem diſſimulanda Nic. Antonii ſententia, cujus Bibliotheca nondum uſum obſervavi Dodwellum: et forte nondum poterat, cum annales ſuos conderet, etſi prima eſt, quam habeo, editio anni 1698, ante quam biennio Antonii opus prodiit. Videtur igitur Antonio n. 252, illud matrimonium cum Tutilii filia Quinctiliani antiquius eſſe, cum nondum dives Quinctilianus, cum poſſet ipſi offerri tale munus, quale oblatum a Plinio modo vidimus.

Huic primo illud obſtat, de quo modo dictum eſt, Fabii, orbitatem ſuam deplorantis, ſilentium: deinde ingenioſe adeo et eleganter rationes temporum Fabii noſtri, Plinii, Nonii Celeris, cui nupſit illius filia, connectit ac devincit Dodwellus, ut difficile ſit illi non aſſentiri. Sed ſuperſunt ſcrupuli alii.

§. 10. Nimirum Conſularia ornamenta habuiſſe Quinctilianum, conſtat. Recepta ſententia eſt, ea illum conſecutum eſſe ob inſtitutionem nepotum ſororis Domitiani, qua de re modo dictum eſt §. 8. Favet certiſſimus fundus ejus rei Auſonius, qui in gratiarum actione p. 712, Toll. *Quinctilianus*, inquit, *Conſularia per Clementem* (patrem horum puerorum, quid magis naturale?) *ornamenta ſortitus, honeſtamenta nominis potius videtur, quam inſignia poteſtatis habuiſſe.* Juvenalis carmen ſtatim inſpiciemus. Huc traxerit forte aliquis locum noſtri Fabii 6, pro. 13, ubi de filio ſuo, *Tene Conſulari nuper adoptione ad omnium ſpes honorum patris admotum?* Sed hoc lubricum eſt. Poteſt enim intelligi, et forte debet, non naturalis pater, ſed adoptivus. Quamquam Nic. Antonius n. 251, argute *adoptionem Conſularem* ad ipſum noſtrum Fabium refert, quod, ut adoptio fictio eſt naturæ, ſic ornamentorum conſularium conceſſio adepti revera conſulatus fictio fuit. Dodwellus ipſo Auſonii loco utitur, ut probet, Fabium non ab illo patre diſcipulorum ſuorum Clemente, neque propter ipſos, ſed propter Auguſti alicujus inſtitutionem Conſularia ornamenta accepiſſe. Nempe ita gratias agit pro Conſulatu Gratiano Imperatori, ſuo diſcipulo,

ut utrumque hunc ſuum honorem ſingulare quiddam, et pauciſſimis commune habere oſtendat. Ait, objici ſibi poſſe, *An tu ſolus præceptor Auguſti? Imo*, reſpondet, *ego cum multis conjunctus officio, ſed cum pauciſſimis ſecretus exemplo. Nolo Conſtantini temporum taxare* (in hunc cenſum referre) *collegas: Cæſares* (ſecundi faſtigii, non Auguſti) *docebantur: ſuperiora* (tempora) *contingam. Dives Seneca, nec tamen Conſul — ſævitiam. Quinctilianus Conſularia per Clementem* &c. Aperte igitur diſtinguit, et eximit, ut Senecam, ſic Quinctilianum a Cæſarum præceptoribus. At Clementis filii nondum adoptati, nondum Cæſares, quod ſciatur, nedum Auguſti fuere. Auguſti ergo præceptor Quinctilianus. Sed cujus? Non Domitiani, quod non taciturus erat: non Nervæ, ſe ſenioris: non Trajani, durioris ad hæc ſtudia: ſed Hadriani. De hoc Spartianus c. 3, *Cum in quæſtura* (anno æræ noſtræ CI, circa LX Quinctiliani, *orationem Imperatoris in Senatu agreſtius pronuntians riſus eſſet: uſque ad ſummam peritiam et facundiam Latinis operam dedit.* Hic igitur Hadrianus cum primum Romam veniret A. C. CXVIII, Quinctiliano ſeptimum et ſeptuageſimum ætatis annum agenti Conſularia ornamenta de Dodwelli ſententia contulerit: et ad tantam dignitatem ſuſtinendam cenſum, qui tum erat duodecies, (imperialium 40000) ut conſtat ex Sueton. Aug. c. 41, ſuppleverit. Sic fero dives, fero Conſularis Quinctilianus, locum relinquit liberalitati Plinii. Quæ objici poterant ex Juvenalis temporibus, ea planiſſime diluit Dodwellus. Hujus quidem poetæ pleraque ſub Hadriano demum ſcripta,

quidquid ſcholiaſtæ dicant, clarum nobis videbatur, cum hoc ipſo tempore ejus ſatiras, quantum ejus per pudorem noſtrum fieri poterat, publicis recitationibus explicaremus. Sed ſuperſunt tamen, quæ injicere manum mihi videntur, ne in ſententiam illam, de ſeris adeo Quinctiliani honoribus, ſecurus tranſeam.

§. 11. Primum ipſa ætas Quinctiliani, qui neſcio an iſta ἐντάφια potius, quam profuturi honoris inſignia recipere, vir philoſophus, voluerit. Deinde illud miraculo ſimile, ſi non Clemens, cujus filios erudierat noſter, qui a Domitiano deinde interfectus eſt; ſed alius item Clemens, ſed ignorabilis homo ipſi Dodwello (vid. §. 41,) impetravit Quinctiliano honorem ab Hadriano, qui monitore et interceſſore, de ſui præceptoris honore cum ageretur, opus non videtur habuiſſe. Quod ad Auſonii locum attinet, apparet, illum hoc velle oſtendere, in neminem alium hæc duo convenire, ut et rhetor ac præceptor Auguſti alicujus, et Conſul re ipſa, non ſolo nomine, eſſet. Itaque Senecam removet, ut præceptorem illum quidem Auguſti, ſed non Conſulem; Quinctilianum, ut Conſulem quidem, ſed nec Auguſti præceptorem, quippe qui *per Clementem* ob ejus filios hoc ſit conſecutus, non per ipſum proxime Imperatorem, nec re ipſa atque officio Conſulem. Licebit igitur hic ſuſtinere interim ſententiam, quin in alteram potius ac diverſam, ornatam ab ipſo quoque Dodwello §. 34, propendere. Quod enim Plinius contulit ad nuptias illius filiæ, et *modicum facultatibus* vocavit 6, 32: non eo confugiendum eſt, ut cum Bælio not. C.

ſuſpicemur, alium eſſe Plinii hunc Quinctilianum; vel negemus cum Gallico interprete Fabii Gedoino, omnino legendum eſſe *Quinctilianum*, ſed *Quinctianum* debere ſubſtitui; vel dicamus, imminutas eſſe poſt Juvenalis prædicationem (de qua ſtatim) ipſius divitias. Sed e priore aliquo conjugio ſuſceptam poſſe videri illam Quinctiliani filiam, modo indicavimus, cum adhuc tenues patris opes fuere. Quin ſi hoc non placeat, ob ſilentium illud in præfatione libri ſexti, ſi Conſularibus jam ornamentis inſtructus, ſi hortis et villis beatus fuit Quinctilianus, cum elocaret filiam e ſecundo ſuſceptam conjugio: tamen *modicus facultatibus* dici poteſt, qui ultra neceſſarium dignitati cenſum nihil poſſideat, a viro præſertim ditiſſimo, qualis fuit Plinius; tamen conferre poſſunt filiæ præceptoris ſui, honoris cauſſa, locupletes diſcipuli, qui in clientelarum ſe numero, ſi grati ſunt, volunt haberi.

§. 12. Poſtquam hæc ita diſputata ſunt, elogium decantatiſſimum Juvenalis de noſtro Fabio 7, 186, ſeqq. ita poſſis interpretari. *Hos inter ſumtus* divitum luxurioſorum, quos modo enarraverat, *ſeſtertia Quinctiliano* primo et celeberrimo rhetori, *Ut multum* dicam, *duo ſufficiunt*. *Res nulla minoris Conſtabit patri, quam filius*. Objicis, *Unde igitur tot Quinctilianus habet ſaltus*, et prædia, cenſum Senatorium? At tu *exempla novorum* plane atque inuſitatorum, prodigii inſtar, *Fatorum* magis, quam ſolennis cujuſdam rationis, *tranſi* ſilentio. Ita multa conveniunt in hoc viro, ut facile appareat, ſingularem hominem eſſe, qui trahi in exemplum non

possit. Idem enim est *felix* gratia nobilium, *pulcher*, ἐπαφρόδιτος, qui illis placeat, ob ipsam quoque oris et formæ commendationem, *et acer* in dicendo, (vid. 6, 2, 36,) *Felix*, inquam, simul est *et sapiens*, qui uti felicitate possit, *et nobilis* propter ingenium ac doctrinam, *et generosus* non modo propter honestum illud, quo incoctum pectus habet, et patrem atque avum doctrina nobilitatos ; sed ideo, quod ornamenta Consularia, et jus imaginum nactus, ad liberos suos generis nobilitatem transferre potest : nam hos etiam juvat, quod *Appositam nigræ lunam* sive C literam, Senatorii ordinis insigne, *subtexit alutæ* calceorum. *Felix* ter Quinctilianus, quod *Orator quoque* et patronus caussarum *maximus, et jaculator* dictorum acutorum in altercationibus, (vid. 6, 3, 43,) *Et* vocis munere præclaro præstans : nam etiam *si perfrixit* in sudata veste, (vid. omnino 11, 3, 23,) tamen *cantat bene*, modulate et apte ad movendum dicit. Hæc singularis cujusdam felicitatis munera sunt atque argumenta, quæ in unum omnia hominem fortuna contulit.

Distat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de rhetore,

ut Quinctilianus, *Consul* nomine certe, et loco in Senatu ; vel verus, ut Cicero. *Si volet hæc eadem, fies de Consule rhetor*, ut idem Tullius. Quibus ista explicatione nihil opus erat, illi poterunt cogitare, esse forte lectores alios, qui ea nonnihil juventur.

§. 13. De moribus Quinctiliani, nam hæc fere

de vita innotuerunt, aut poſſunt conjici, de moribus igitur illius anceps diſputatio eſt. Multa Dodwellus §. 42—45. Nobis brevitas hic etiam cordi eſſe debet. Illud toto opere, quod jam damus, apparet, ſeveriorem profeſſum diſciplinam, ne Oratorem quidem bonum, niſi eumdem virum bonum, docuiſſe, vid. 1, proœm. 9. it. 12, 1, integro: a turpitudine omni verborum diligenter abſtinuiſſe, idque aliis fuiſſe auctorem, quod in primis apparet, ſi quis totam illius de ridiculo 6, 3, itemque de cacophato 8, 3, 44, doctrinam inſpiciat. Juvenalis quoque ſemper illius, ut viri boni et ſapientis mentionem facit. Videamus hoc propius, cum quædam dubiam habeant interpretationem. Sat. 6, 75, cum memoraſſet, incidere feminarum amores in hiſtriones, cantores, et levi de genere homines: ſubjungit, *An exſpectas, ut Quinctilianus ametur?* Nimirum pulcher et ipſe, ut modo vidimus, *acer*, qui in foro *bene cantet* &c. Sed quia honeſta perſona eſt, hunc non amant. Eadem Satira v. 279,

Jacet mulier *in ſervi complexibus aut equitis: dic,*
Dic aliquem ſodes hic, Quinctiliane, colorem!

Reſpondet Quinctilianus, (qui alias non negat, bonæ rei cauſſa etiam colorem adhibendum, et circumveniendum iniquum judicem) ut vir bonus et honeſtus, *Hæremus:* &c. Duo ſunt tamen, in quibus et me hærere interdum fateor, ſed quæ temporum potius ipſius infelicitati, quam perverſitati ipſius propriæ imputanda videntur. Unum eſt, quod funera ſuorum parum viriliter tulit. Sed hoc commune ipſi cum his, qui receptas tum religiones ſe-

querentur; quibus accuſare providentiam, vita ſe privare, non erat impium, ubi placere potuit cum ſuo Catone Lucani verſus,

Victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa Catoni &c.

Alterum illud eſt, quod adulationi in Domitianum nimium videtur dediſſe, non tantum in laudibus immodicis, quale illud eſt, quod 4, pro. 3, *ſanctiſſimum morum cenſorem* appellat, et paullo poſt ut *præſens et propitium ſtudiis numen* invocat: ſed quod in illius gratiam iniquior videtur philoſophis, id quod jam monuimus ad procœmium operis ſ. 15. Si enim excuſabile eſt honorem habere principi pro temporum tuorum moribus, a quo beneficia magna habeas, quem tacendo in tuam forte perniciem offendas, quem laudando forte admoneas: at hoc vix videtur cadere in bonum virum, ipſum illud laudare facinus, quod, qui reverentiſſime habent auctorem, ſilentio certe involvunt. Sed nimirum talis fuit major pars illorum philoſophorum, qui vita ſua et moribus cauſſam dicerent pro Domitiano: hos ſolos a ſe læſos dicere poteſt Fabius. Certe quæ adhuc diſputavimus non impediunt, quo minus inter ſummos omnis ævi homines referatur, illiſque dignus habeatur laudibus, quas certatim in illum eruditi homines contulerunt: quaſque bonam partem collectas habes a Giberto in judiciis de rhetoribus eruditorum, atque ante eum a Thom. Crenio Animadverſſ. Philoll. P. XV, pr.

§. 14. De reliquis ab eo ſcriptis, vel nomen ipſius hodieque præferentibus agere jam non eſt propoſiti noſtri, neque otii. De opere autem, quod

ſolum in præſentia damus, inſtitutionum oratoriarum eo diligentius tractandum eſt. Conſilium et ſummam illius ipſe in procœmio ſatis declaravit, et exſecutus eſt feliciſſime. Illud in hoc opere longe maximum, quod non tenuia et exſanguia præcepta tradit, ſed eloquentem docendo dum format, ipſe ſuo exemplo facit, ſuaviſſimaque oratione ſic influit in animos, ut felici quadam contagione implere illos videatur. Quam jucundæ, hoc eſt, quam accommodatæ rebus ſunt ſimilitudines, quarum arte ipſum, an ingenio? inter Latinos, ut in Græcis Plutarchum, regnare arbitror. Quam præcepta viri ipſarum rerum, quas tradunt, exempla continent! Vide mihi verbi cauſſa 7, 10, 17. 8, 2, 15. 8, 3, 46. Quæ igitur ſumma ſunt, quæ ſapientiæ partes ſunt, ea ſic tradit Fabius, ut non modo proximum a Cicerone locum obtineat, ſed in tantum Ciceroni ſit præferendus, in quantum multo ſibi quam ille campum latiorem propoſuit. Quod autem ad ea attinet, quæ ſubtiliora et quaſi ſpinoſiora ſunt, quæ proprie τεχνικὰ vocantur, in iis reprehenſione non caret, et ſæpe, nec injuria, errores illius notavit, in præclariſſimo opere, Voſſius. Scilicet nunquam Romani Græcas illas artes ſic excoluerunt, uti ſe ad tenues illas et minutas præceptiones demitterent: ſemper ad actum, ſemper ad uſum vitæ intenti indignum Romana majeſtate putarunt, in elementis diſciplinæ operoſe elaborare. Itaque nullam ullius artis comprehenſionem habemus, nullum librum, ita quaſi ad amuſſim illam Ariſtoteleam elaboratum, ut non ſubinde liber ille Romanus ſpiritus, quaſi frenis excuſſis, evagaretur. Speciminis cauſſa

inſpice, ſi videtur, 5, 14, 6. 10. 12. 14. Videtur ipſe quoque in ipſo ingreſſu libri octavi illam reprehenſionem occupaſſe, it. 8, 6, 2 et 58. et 9, 1, 7. Nolim autem quæ peccata hac in re videri poſſunt, Quinctiliano indiſcretim tribui omnia. Nuſquam corruptior eſt, quam in his, quæ mere technica ſunt. Nomina Græca, exempla aliena, frequens deſcriptio illorum locorum, cum circa troporum et figurarum tractationem fere hærerent minuti magiſtri; hæc igitur, quæ diximus, videntur januam quaſi corruptioni aperuiſſe: quæ nos præſertim libro ſeptimo c. 2 et 3, et ſæpe torſit, itemque libro nono c. 3, quod nec diſſimulavimus, vid. v. g. ad 9, 3, 11. Sed bene eſt, quod talia et pauca ſunt, ſi comparentur cum his, quæ ſana ſunt, recta, pulchra, utiliſſima: et, quod nullo cum detrimento eloquentiæ poſſunt prætermitti; cum præſertim Voſſianæ inſtitutiones illum circa præceptionum ſubtilitatem defectum farciant cumulatiſſime. Reliqua quidem talia, quæ legiſſe, et quantum poteſt demiſiſſe ad animum, neminem unquam pœnituerit. Sed major eſt laude noſtra, cum inſtitutionis ſuæ libris Quinctilianus. Videamus, quæ, poſt longam illam literarum noctem, fata quaſi hujus operis fuerint.

§. 15. Ac manuſcriptorum quidem catalogi gratiam nobis facient lectores, cum nihil ſit magnopere, quod adjiciamus iis, quæ a diligentiſſimo, dum viveret, Fabricio noſtro collecta ſunt; exſpecteturque Catalogus ille et Bibliotheca manuſcriptorum, quam parat nobis felix præſtantiſſimi Montefalconii

induſtria. Igitur ea modo deinde commemorabimus, quæ nobis comperta ſunt. Unum hic eſt ſilentio non prætereundum. Communicavit mecum, pro ſuo in quidquid pulchrum et honeſtum eſt, ſtudio Vir illuſtris Jo. Godofr. de Meiern brevem vitæ Nicolai V. P. M. deſcriptionem, excerptam e Codice, qui acta complectitur concordatorum Sedis Apoſtolicæ cum Natione Germanica A. 1447. in qua iſta etiam de illo Pontifice leguntur, *Miſit literatos per totam Europam, quorum induſtria libri conquirerentur. Et Pogius Quintilianum tum invenit.* Illud laxe ſatis et pluſquam perfecto tempore eſt intelligendum. Codices Quinctiliani extitiſſe, et hodie exſtare, Poggiano antiquiores, non eſt dubium. A Poggio in monaſterio S. Galli, durante Conſtantienſi Concilio, diu ante Nicolaum Pontificem inventum eſſe Codicem optimum Quinctiliani, certum hodie, ubi epiſtolæ complures de ea re in lucem protractæ, et vita omnis Poggii illuſtrata varie eſt. Sed miſſis MSStis, quos nec vidimus, nec novum quid de illis docere poſſumus; jam editionum Catalogum dabimus, aliquantum, quam adhuc exſtitit, vel pleniorem, vel certiorem. Illud præſtabunt tum noſtra quædam, tum Fabricii præſertim τῦ μακαρίτε ad Bibliothecam ſuam obſervata: hoc, quod aſteriſco notabimus, quæ exemplaria, ſæculo quidem XVII antiquiora, ipſi oculis manibuſque uſurpaverimus. Cæteris, unde ea nobis innotuerint, adſcribemus. B. notabit Catalogum quem Burmannus dedit Almelovenianum, F. autem Fabricianam Bibliothecam, et R. ſubmiſſa mihi a

Reimaro ſupplementa Fabriciana. Has porro notas apponam tum demum, cum ad meam αὐτοψίαν provocare non poſſum.

§. 16. Editi igitur eſſe dicuntur M. Fabii Quinctiliani Inſtitutionis Oratoriæ Libri XII

1468. fol. Romæ ap. Ulricum Han, ſ. Gallum. B. et F. *ex la Caille Hiſt. de l'Imprimerie, ed. Paris* 1689, 4. *p.* 17. *Sed videtur Maittairio in Epiſtolari Diſſertatione de antiquis Quintiliani editionibus Lond.* 1719, 4*to. in illa hiſtoria error interceſſiſſe typographicus, et intelligenda quæ jam ſequitur.*

1470. fol. Romæ, in via Papæ prope Sanctum Marcum, die tertia menſis Auguſti, anno Salutis MCCCCLXX. Paulo Veneto Papa II. florente, anno ejus VI, cum præfatoria Campani ad Cardinal. Senenſ. Epiſtola. *Maittaire* l. c. p. 8. *ubi quatuor ſe exempla hujus editionis vidiſſe ait.*

1470. fol. Romæ apud Conradum Sweynheym et Arnoldum Pannarz cum Jo. Andreæ Epiſc. Alerienſis Epiſtola ad Paulum II. P. M. *qui Campani laboribus ſe uſum indicat his verbis:* Hunc (*Quintilianum*) proximis calorum urbis diebus mediocri cura recognovimus, minore ſane labore quam cæteros, propterea, quod ab homine ordinis noſtri excellenti ante traditus erat alteri talium opificum officinæ imprimendus. R. *Uſus eſt hac editione Gibſonus.*

*1471. fol. Venetiis. *In fine leguntur iſta:* Quintilianum eloquentiæ fontem ab eruditiſſimo Omnibono Leoniceno emendatum M. Nicolaus Jenson Gallicus viventibus poſteriſque miro impreſſit artificio. Annis MCCCCLXXI. menſe Maii die XXI. Deo Gratias.

Omnibonus Leonicenus inſcripſit eam Moyſi de Bufarelis epiſcopo Belumnenſi, (*qui tamen mortuus eſſe dicitur anno ſæculi LXX ap. Ughellum.*) *Dicit*, ſe tertio ante anno librum ipſum auditoribus exponere aggreſſum, ita vitiatum repperiſſe, ut nuſquam ferme ſincerus videretur: *non autem dicit, ſe vidiſſe formis expreſſum exemplar, nec alioquin commemorat, quibus præter ingenium ſuum ſubſidiis emendaverit; ſed ita emendatum ait*, altero quidem tertiove excepto loco ——— ut eruditis ingeniis ſatisfactum non dubitet. *No-*

tabilis eſt in hac præfatione locus, et dignus, qui hic etiam legatur: Accedebant juſtæ præces magiſtri Nicolai Jenſon Gallici, alterius (ut vere dicam) Dædali, qui librariæ artis mirabilis inventor, non ut ſcribantur calamo libri, ſed veluti gemma imprimantur, ac prope ſigillo, primus omnium ingenioſe monſtravit: ut huic viro, qui de re literaria tam bene meruerit, nemo ſit, qui non favere ſummopere debeat.

Debeo exemplum hujus editionis fratri meo optimo ANDREÆ SAMUELI, *bonarum literarum apud Rotenburgenſes ad Tubarim Profeſſori et Rectori Gymnaſii, infinitis aliis nominibus mihi cariſſimo. Eſt etiam penes* V. C. Chriſt. Gottl. Schwartzium. *Vid.* Fränckiſche Acta erudita et curioſa, T. I. p. 795. ſeq.

1476. fol. Quintiliani Inſtitutiones Oratorias diligenter emendatas Anton. Zarothus Parmenſis Mediolani ſollerter impreſſit, anno a Natali Chriſtiano 1476, 5 Idus Junias, auſpice Chriſto. *Maittaire Diſſ. Epiſtol. p.* 30.

1482. fol. Tarviſii per Dionyſium Bonon. ac Peregrinum ejus ſocium. F.

1490. fol. Parmæ. F. *ex Bibl. Marck. p.* 155.

*1493. fol. Ven. c. annotationibus Raphaëlis Regii per Bonetum Locatellum. *Vidimus apud V. Ill. Godofr. Sellium. Uſus etiam eſt Burmannus: qui docet, edidiſſe* Raphaëlem jam 1490, 4to, Venetiis dialogum cum quodam Calfurnio Beſtia de quibuſdam locis Quintiliani; *ſed viſum ſibi negat. Idem* Regius emendationes ſuas in editione quadam promiſcue Quintiliani verbis contextas *conqueritur in Dedicatione Metamorphoſeon Ovidii, Ven.* 1517. fol. R.

*1494. fol. Ven. c. notis Laur. Vallenſis, Pomponii ac Sulpicii et Raph. Regii, ap. Peregrinum de Paſqualibus. *Contulit Gibſonus. Vidimus ap. Sellium.*

—— *In hæc tempora incideret, ſi quid editum eſſet ab Hermolao Barbaro,* qui ad Plin. 2, 22, ſexcentas, inquit, in Quintiliano mendas mihi pridem ſepoſui, cum primum vacaverit, prodendas.

1496. fol. Romæ. F.

—— fol. *circa hæc tempora ſine loci, anni, typographi notatione, charactere pulcherrimo, ap. Maittair.*

1506. fol. *ſine nota loci aut typographi:* Impreſſum fuit hoc opus die 12 Maii. Bur. ex Hiſt. *Crit.* Tom. V. p. 356. *Sed miratur in Catalogo Bibliothecæ Ultrajectinæ non inveniri, cum habuiſſe dicatur Almelovenius.*

1506. fol. Baſileæ c. n. Raph. Regii. F.

——— 4. Parrhiſiis ſine notatione temporis M. Fabii Quintiliani Grammatica admodum brevis &c. *inſigni inſcriptum* P. Viart. *Sunt Capita libri primi 5—15. Vidi apud politiſſimum eleganti doctrina virum, Chriſtium Profeſſorem Lipſienſem. Laudat Fabricius hic capita ex alia diviſione.*

1510, 8vo. Flor. ap. Juntas. F. ex Bibl. Menarſ. p. 488.

*1510, 8vo. Lugduni. *Habet inſigne Juntino ſimile. In præfatiuncula* Godofr. Torinus Bituricus Jo. Roſſelletto, Curaſti, *inquit,* uti per me Quintilianus emendatior caracteribus et impreſſioni daretur belliſſime. Multis exemplaribus diligenter collatis, unum (mendis pene innumerabilibus deletis) caſtigatiſſimum non pigra manu feci, ipſum, ut juſſiſti, a Parrhiſiis Lugdunum miſi. Parrhiſiis apud Collegium Pleſſiacum. *Vidi apud Chriſtium.*

*1512. fol. Ven. c. n. Raph. Regii ap. Georgium de Ruſconibus. *Vidi apud Sellium.*

*1512. fol. Ven. ap. Aldum ex Andr. Naugerii et Bapt. Rhamnuſii recognitione. *Uſus ea Burm. Inſpexi beneficio Ill. viri Ge. Chriſt. Gebaveri.*

1515. 8vo. Flor. ap. Juntas. *Ex Bibl. Hohendorf.* III. p. 124. R.

1516. fol. Pariſ. ap. Jo. Badium Aſcenſium c. n. Regii, Merulæ (*quæ incipiunt demum a* 12, 7, *ubi deſiit Regius,*) et Badii, *qui* ex L. Vallæ Codice ſexcenta a ſe loca reſtituta *ait.* F. B.

*1519. fol. Par. ap. J. B. Aſcenſium *c. declamatt. XIX. Maitt. Diſſ. Ep. p.* 30. *Eſt etiam penes me.*

*1520. 4to. Par. ap. Aſcenſium. *Vidi apud Cel. Kappium Lipſiæ.*

1521. 4to. Ven. ap. Aldum. *Uſi Gibſ. et Burm.*

1521. fol. Colon. in Ædibus *Euchar. Cervicorni et Heronis Fuchs, c. præf. Godefr. Hittorpii ad Melanchthonem. c. declamatt. Uſus Gibſon. Habent Kappius, Chriſtius, frater meus.*

1522. fol. Ven. c. n. Regii ap. Bernardinum de Vianis de Lexona Vercellenſem. B. F. *Hæc eſt forte, quam ita commemorat Nic. Antonius* 1, 12. *n.* 258. Raphaël Regius in depravationes Oratoriæ Quintiliani Inſtitutionis. Ven. 1522. fol.

1527. 8vo. Pariſ. ap. Cl. Chevallonium *c. declamatt.* B. F.

1527. fol. Pariſ. ap. Pet. Vidovæum. B. F. *ex la Caille Hiſt. de l'Imprim. p.* 82.

*1527. fol. Colon. ap. Euch. Cervicornum. *Vidi penes Sellium.*

1527. 8vo. Baſ. ap. Adamum Petrum Petri Moſellani notæ in Inſtitutionum libros VII priores. *Nic. Anton. F.*

1528. fol. Par. ap. J. B. Aſcenſ. c. n. Regii, Merulæ, Pet. Moſellani, et Badii *c. declamatt. Cum obſervatt. MSS. in Bibl. Hohendorf.* III. p. 279. R.

*1528. 8vo. Colon. ap. Jo. Soterem.

1529. fol. Baſ. c. Sichardi præf. et notis. *Adhibuit Gibſon.*

1531. 4to. Paris ap. Nicol. Savetier *bis. Maitt. Diſſ. Epiſt. p.* 30. *Sed Ann. Typogr. T.* 2. *p.* 757, *alteram* in 8vo. *prodiiſſe ait. Editionis* in 4to. *meminit etiam Capper.*

1531. fol. Pariſ. ap. J. B. Aſcenſ. ex recognit. Georg. Philandri et Pet. Moſellani *c. declamatt.* B. F. Maitt. Tom. II. p. 787.

1531. 8vo. Pariſ. ap. Simon. Colinæum epitome Inſtitutionum Quintiliani compoſita a Jona Philologo, *qui circa illa tempora vixit, et ſub hoc nomine ſive latere ſive inclareſcere voluit.* R.

1533. fol. Pariſ. ap. Anton. Augurellum. B. F.

1534. 8vo. Colon. ap. Jo. Gymnicum cum Giſberti Longolii præfatione, notiſque Jo. Sichardi, et in duos primos libros Joach. Camerarii. B. F. *Anno* 1533 *adſcribit Nic. Anton.*

1534. 8vo. Colon. ap. Jo. Soterem. B. F.

1534. 8vo. Lugd. ap. Seb. Gryphium. *iid.*

1535. 8vo. Lugd. notæ breves Guil. Philandri in Inſtitutionum libros, *ſpecimen ampliſſimorum commentariorum, qui lucem non viderunt.* F.

1536. fol. Pariſ. ap. Jac. Keruer. additæ ſunt adnott. Pet. Moſellani in libros VII. *ad finem Inſtitutt. adduntur* declamatt. *ad quarum calcem ſcriptum eſt,* ap. Franc. Gryphium 1536. *Denique* Pet. Moſellani in Inſtitutt. Oratt. adnott. Paris ap. Jac. Keruer 1536. *Maitt. Diſſ. Epiſt. p.* 31.

1536. fol. pro heredibus J. Badii Aſcenſii Inſtitt. et declamatt. omnia ad veterum codicum fidem recognita et reſtituta. *ad finem Inſtitutt.* Pariſ. excudebat Jo. Lodoicus Tiletanus menſe Febr. 1536. *ad declamationum et caſtigationum finem,* ex officina noſtra libraria 1536, menſe Martio. *Denique* Pet. Mo-

ſellani annott. in rhetoricas inſtitt. pro heredibus J. B. Aſ. 1535. *Maitt.* l. c. Tiletanus MSS. ſe contuliſſe teſtatur, pollicitus etiam Commentarios. *Add. Maitt.* Annal. T. II. p. 847. ſeq.

1536. 8vo. Lugd. ap. Seb. Gryphium *c. declamatt. Uſus Burm.*

1536. 8vo. Colon. ap. Jo. Gymnicum.

1538. fol. Pariſ. ap. Mich. Vaſcoſan. c. n. Pet. Moſellani in 7 primos libros, Joach. Camerarii in L. 1 et 2. et Anton. Pini Portodomæi, Luſitani, in tertium, *c. declamatt.* F. *Maitt. Diſſ. Ep. p.* 30. *eadem videtur laudari Bibl. Menarſ. p.* 127.

1538. fol. Pariſ. ap. Gervaſ. Chevallonium ex emend. et cum argumentis Pet. Gallandii c. n. Moſellani, Camerarii, Pini. F.

1538. fol. Colon. ap. Euch. Cervicornum *c. decl.* F.

1538. 4to. Pariſ. ap. Pet. Vidovæum *c. declamatt. Uſus Burmannus.*

*1538. 8vo. Lugd. ap. Heredes Simon. Vincentii *c. declamatt. Eſt penes me.*

1539. 4to. Pariſ. ap. Franc. Gryphium *c. declamatt.* F.

1539. 4to. Pariſ. ap. Simon. Colinæum epitome Jonæ Philologi. *Maitt. Diſſ. Epiſt. p.* 30.

*1540. 8vo. Lugd. ap. Seb. Gryphium *c. declamatt. Vidi apud Sellium.*

1541. fol. Pariſ. ap. Jo. Roigny, excuſa a Jo. Lodoico Tiletano. *Uſus Burm.*

1541. 4to. Pariſ. ap. Pet. Vidovæum B. F.

*1541. 4to. Pariſ. ap. Simon. Colinæum. *De hac Mémoires de literat. Sallengrii* T. 1. p. 173. *Vidi ap. Sellium: adjectæ declamatt.* 1542.

1541. 8vo. Lugd. ap. Seb. Gryphium c. n. Moſellani. F.

1541. 8vo. Colon. ap. Jo. Gymnicum. F.

1541. 8vo. Baſil. ap. Balthaſ. Laſium. F.

*1542. fol. Paris ap. Mich. Vaſcoſan. *ut* 1538. fol. *Eſt penes me munere fratris.*

*1542. 4to. Paris apud eundem. *Uſus Gibſon. Vidi apud Sellium.*

1542. 4to. Pariſ. ap. Ro. Stephanum. *Uſi Gibſon. et Burm.*

1542. 8vo. Pariſ. ap. Simonem Colinæum Epitome Jonæ Philologi. *Maitt. p.* 30.

*1543. 4to. Baſ. ap. Ro. Winter, ſtudio Camerarii, Sichardi aliorumque, c. Philandri caſtigatt. *c. declamatt. Eſt penes me.*

1543. 4to. Par. ap. Fr. Gryphium, *c. declamatt.* B. F.

1544. 4to. Par. ap. Mich. Vaſcoſan. Libri 1, 2, 4, 7, 8, 9. Sed liber 3 anno 1551. 5, 1553. 6, 1546. *Maitt. Diſſ. Ep. p.* 31.

1544. 8vo. Lugd. ap. Seb. Gryphium. *c. decl.* B. F.

1546. fol. Ven. ap. Hieron. Scotum c. n. Moſellani, Camerarii, Pini. B. F.

1547. 8vo. Par. ap. Ro. Steph. epitome Jonæ Philologi. B. *Eadem excuſa* Baſ. *ſine anni nota* ap. Barthol. Weſthemerum et Nic. Brylingerum 8. *it.* Paris ap. Nic. Divitem 1548. R.

1548. 4to. Pariſ. ap. Guil. Morellum et Jac. Bogardum c. n. Morelli. *Vid. de la Caille Hiſt. de l'Imprimerie, p.* 123. *B. F. Nouveau recueil des pieces fugitives, à Paris* 1717, 12. *T.* 1. *P.* 2. *p.* 85. *R.*

*1548. 8vo. Baſ. ap. Nic. Brylingerum *c. declamatt. ut* 1543. *Habeo.*

1548. 8vo. Antw. ap. Jo. Lœum. B. F.

*1548. 8vo. Lib. X explicatus ſtudio et induſtria Caſp. Landfidelii Lipſici. *Ap. Kappium.*

1549. fol. Pariſ. ap. Mich. Vaſcoſan. (*quædam exempla habent* Audoënum Parvum) c. præf. et argumentis emendatioribus Pet. Gallandii, Angeli Politiani præfatione de Quintiliani vita et laudibus, notis Moſellani, Camerarii, Pini: ſubjecto poſt XIX *declamatt.* etiam libro primo controverſiarum Senecæ c. Rud. Agricolæ commentariis. *Habuit Fabr.*

1549. 8vo. Lugd. ap. Seb. Gryphium *c. declamatt.* B. F.

1553. 4to. Pariſ. ex officina viduæ Mauricii a Porta in Clauſo Brunello. Excudebat Thomas Richardus. B. F.

1554. 4to. de Pſeudo-Turnebianis commentariis *vid. ad* A. 1556.

1554. 8vo. Pariſ. ap. Guil. Morelium M. Fabii Quintiliani Inſtitutionum Oratoriarum libri XII in Commentarios redacti Pet. Paulo Vergerio auctore, ex Bibl. Jo. Tillii Epiſcopii Briocenſis. *Maitt. Diſſ. Ep. p.* 30. *De aliis compendiis vid. Fabr.* Tom. 2. p. 961.

1555. 8vo. Baſ. R.

1555. 8vo. Colon. ap. Gualth. Fabricium c. n. Camerarii, Sichardi, Philandri. F. *Nic. Anton.*

1555. 8vo. Lugd. ap. Seb. Gryphium *c. declamatt.* B. F. *Nic. Anton.*

*1556. 4to. Pariſ. ap. Tho. Richardum ſub Bibliis aureis Commentarii valde ſuccincti et elegantes in Inſtitutiones &c. *Nomen* Turnebi *non comparet: ſed manu antiqua adſcriptum in exemplo, quod vidi ap. Ill. Sellium, adjectumque*, pene ad verbum e Philandro eſſe tranſcriptos. *Cæterum indigna hic multa Turnebo notavit Burm.* in *præf.* it. *Epiſt. ad Capper. p.* 26 *et* 52, *et paſſim Pſeudo-Turnebum vocat. Jacobus Mentelius in ſuo codice, qui Capperonnerio teſte præf. p.* 6, *jam eſt in bibliotheca Regia, et præſcriptum habet annum* 1554, *annotavit, quæ huc etiam referenda ſunt, quod ad ſupplendum hunc catalogum pertinent.* A. 1586 Thomas Brumenius Typographus Pariſienſis nactus, ut eſt maxime probabile, quam plurima commentarii hujuſce in Quinctilianum exemplaria, duo male præſtitit—primum, quod mutavit *titulum* in hæc verba: "In M. Fabii—commentarii, quos Adriano Turnebo viro doctiſſimo plerique paſſim volunt adſcribi, nunc demum ab omni typographiæ labe—purgati." Secundum, quod epiſtolæ, quam Thomas Richardus præſentis editionis artifex folio altero expreſſit, ſe eſſe auctorem, primumque commentarii hujus editorem, nullo pudore aſſeveraverit, &c.

1558. 8vo. Lugduni apud Theobaldum Paganum *c. declamatt.* B. F.

1561. 8vo. Baſ. ap. Nic. Brylingerum, ex emendat. Jac. Hertelii. B. F.

1567. fol. Ven. ap. Hier. Scotum (Schotum *vocat Nic. Anton.*) *ut* 1546. B. F.

1568. 8vo. Baſ. ap. heredes Brylingeri *ut* 1561. B. F.

*1570. 8vo. Lipſ. impenſis Jac. Apelii in librum decimum annotationes P. Melanthonis, Jo. Velcurionis, Jo. Stigelii, Caſp. Landſidelii, editæ per M. Steph. Riccium. *Eſt penes me.*

1575. 8vo. Lugd. ap. Ludov. Cloquemin. et Steph. Michaelem. *c. declamatt.* B. F.

1575. 8vo. Lugd. ap. Anton. Gryphium excud. Baſilæus Boquetius. *c. declamatt.* B. F.

1579. 8vo. Baſ. ex officina Brylingeriana c. caſtigatt. Philandri, *et declamatt.* B. F.

1580. 8vo. Lugd. apud Ludov. Cloquemin. *c. declamatt.* XIX. B. F.

1580. 8vo. Genevæ ap. Jac. Stoer. *c. declamatt.* XIX. B. F. *vid. ad* 1604.

1585. 8vo. Lugd. apud Anton. Gryphium *c. declamatt.* XIX. B. F.

1586. 4to. De Pſeudo-Turnebianis commentariis *vid. ad* A. 1556.

*1591. 8vo. Genevæ ap. Jac. Stoer. *c. declamatt.* XIX.

1591. 8vo. Lugd. F.

*1604. 8vo. Genevæ ap. Jac. Stoer. *et declamatt. non modo* XIX *illæ quas adhuc toties commemoravimus, ſed* quæ ex CCCLXXXVIII ſuperſunt CXLV ex vetere exemplari reſtitutæ: Calpurnii Flacci excerptæ X, Rhetorum minorum LI, nunc primum editæ. Dialogus de Oratoribus ſ. de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Ex Bibl. Pet. Pithœi. *Videntur hæc omnia jam adjecta fuiſſe editioni* Genev. 1580. 8vo. *quo anno Pariſiis ap. Patiſſonium ſic prodiere. Cæterum exemplum ed.* 1604 *eſt penes me.*

1604. 8vo. Paris *c. declamatt.* XIX. R.

1618. 8vo. Genevæ ap. Jac. Stoer. (*quædam habent* Sam. Criſpinum) *c. declamatt.* B. F.

1625. 8vo. Genevæ ap. Jac. Stoer. *ut* 1604. F.

1629. 8vo. Francof. ap. H. Robynſonum et Guil. Fitzerum, c. n. Dan. Parei. B. F.

1637. 8vo. Genev. ap. Jac. Stoer. *ut* 1604. B. F.

1641. 8vo. Londin. ap. R. Withakerum c. n. Dan. Parei *et rel. quæ notamus ad* 1604. F.

1641. 8vo. Genev. ap. Pet. Chouet. c. n. Dan. Parei, *et declamatt.* B. F.

1645. cum Fabiani notis, *memorata Bigotio, ſed quam vix putabat exſtare Grævius Epiſtola ad N. Heinſium, Syll. Burm. Tom.* 4. *p.* 659. R.

1651. 8vo. Genevæ c. n. Dan. Parei, *eadem quæ Genev.* 1641. F.

1657. 8vo. Francof. ap. Wilh. Serlinum. *Mentitur novam editionem* titulus: *eſt eadem quæ Lond.* 1641. *Sic Burmannus: Fabricius eandem dicit cum præcedente. Et poteſt utrumque verum eſſe. Nondum deſinunt mangonia; Nam*

1662. 8vo. Londini c. n. Dan. Parei *Fabricio ipsa quoque eadem audit cum Lond.* 1641.

1665. 8vo. Lugd. Bat. et Roterod. ex officina Hackiana *c. n. Variorum, opera C. Schrevelii. De hac satis illud est hic monere ex præf. Burmanni, qui multa alioqui hic docet, nullas esse Jo. Frid. Gronovii partes, in Institutionibus quidem, nisi quod Schrevelio paucas conjecturas submisit. De altero volumine non agimus.*

1693. 4to. Oxon. e Theatro Sheld. c. n. Edm. Gibson, *qui utrumque opus cum MSS. et editionibus antiquis diligentissime contulit; cujus proinde industria se usum, gratus profitetur Burmannus. Cæterum Gibsonus hanc editionem juvenili studio elaboratam, in qua a judicio fere omni abstinet, modo fundamentum futuri operis sui esse volebat, omnia sua in hoc genere studia ad ornatum et illustrationem Fabii conversurus.*

1698. 4to. Argentorati ap. Jo. Reinholdum Dulsseckerum 2 Voll. ex recens. Ulr. Obrechti, *sine notis, quas et suas et aliorum peculiari volumine comprehensas quo minus daret, morte impeditus est. Itaque de emendationibus, quarum tamen sibi fundum præcipuum Gibsoni editionem fuisse profitetur, plene judicare non licet.*

1714. 8vo. Lond. ap. Jo. Nicholson Institutiones ex Gibsoni editione *recusæ, additis* Turnebi et aliorum notis selectis. *Minus emendatam Oxonienſi deprehendit Fabricius.*

1715. 12mo. 2 Voll. Paris. ap. Jac. Stephanum Institutionum Oratoriarum Libri XII ad usum scholarum accommodati, recensiti, et brevibus notis illustrati a Carolo Rollino: *recisis, quæ minus necessaria illi visa sunt, (quarta fere operis parte) quæ alio typorum charactere expressa adjungi fuisset fortasse satius. Cui Burmanni, laudantis alioquin Rollinum, virum omni laude dignissimum, Fabriciique, et ipsius adeo Capperonnerii, judicio fateor me etiam accedere, nempe cum præfationem illius depositi. Nam quamdiu illam lego, uti probem consilium, mihi extorquet: præsertim cum non metus sit, ne intercidant nobis propterea omissa ab illo Fabii loca.*

1720. 4to. 2 Voll. Lugd. B. *plenissima atque præstantissima utriusque operis editio a* Petro Burmannno *procurata, de qua tanto minus dicere opus est, quod in omnium, qui hæc studia curant, manibus ac sinu versatur. Anticiparunt, ut fit, animum in titulo*

Bibliopolæ. Certe adſcriptum habet annum præcedentem epiſtola quam ſtatim memorabimus.

1719. 4to. Mich. Maittairii epiſtolaris de antiquis Quintiliani editionibus diſſertatio ad Jo. Clericum.

Putabat inhumanius ſe tractatum in Catalogo quem modo laudavimus et ſuppletum dedimus, a Burmanno. Ea res certe effecit, ut hic ipſe Catalogus poſſet aliquot locis emendatior eſſe, et prima præſertim Campani editio, cujus etiam ſpecimina dedit, magis innoteſceret.

1725. fol. Pariſiis M. Fabii Quintiliani de Oratoria Inſtitutione libri XII. Totum textum recognovit, pluribus in locis emendavit, ſelectas variorum interpretum notas (*illas ipſas ſcilicet, quas ſelegerat Burmannus, niſi quod hinc inde refecta varietas lectionis, quam non neceſſariam putabat*) recenſuit, explanavit, caſtigavit; novas, quibus difficiliora Quintiliani loca illuſtrantur, et antiqua Græcorum Latinorumque Technologia explicatur, adjunxit Claudius Capperonnerius Mon-Deſiderianus, Licentiatus Theologus Pariſienſis, et Regius Græcarum literarum Profeſſor.

1728. Leidæ 4to. Pet. Burmanni epiſtola ad Cl. Capperonnerium, Theologum Licentiatum, Diaconum Ambianenſem, et Græcæ Linguæ Profeſſorem, de nova ejus M. Fabii Quinctiliani de Inſtitutione Oratoria editione.

Poſuerat Capperonnerius præter illam accuſationem, quam in præfatione ſcripſerat, in quinque capita tributam, in indice ſui Quinctiliani Catalogum terribiliter longum peccatorum Burmanni: at hic breviſſimum, nempe hunc totius opuſculi ſui indicem, Capperonnerii Calumniæ, obtrectationes, ignorantia, furta, ineptiæ, errores &c. p. 1102. *Invidiam paſſim hoc ſcripto contractam Burmanno obſervavimus: credo etiam hac ratione, quod ob raritatem editionis Pariſienſis non multis copia fuit cauſſas indignationis penitius inſpiciendi. Mihi copiam libri fecit venerandus Collega Magnus Cruſius, qui humanitatem etiam auctoris prædicat. Fateor autem duplicis plane generis mihi viſas annotationes, quibus Capperonnerii nomen adſcriptum eſt, alteras non indoctas, et technicis præſertim explicandis aptas: alteras vero— Sed licebit hic quoque mores meos et conſuetudinem tueri.*

§. 17. Reliquam Quinctiliani hiſtoriam literariam perſequi non licet. Illud apparebit Catalogum hunc perluſtrantibus, ſtudium illud habendi et legendi Quinctilianum, quod adeo fervebat olim, verſus ſexti decimi ſeculi finem paullatim refrixiſſe; cujus rei non ea tantum cauſſa eſt, quod ſuperiorum editionum exemplaribus uſi etiam ſunt poſteri; verum, quod e ſcholis malo profecto conſilio remotus Fabius, cedere libellis recentiorum coactus eſt: in quem locum reſtituere illum et Muretus olim, (vid. Var. Lect. 18, 20,) et nuper Rollinus ſtuduit, optimus, ſi quid judico, a Quinctiliani inde ævo magiſter, digniſſimus, cui non populares tantum ſui, ſed quidquid ubique eſt hominum literas amantium obſequantur. Atque hic quidem, ne difficultatibus et ſpinis Rhetoricis (quibus ætas Quinctiliani carere non poterat) homines porro lectione cæteroquin utiliſſima deterrerentur, eas omnino reſecuit, ut modo oſtendimus. Nos carere illis nos poſſe, non negamus: attamen reliquimus ſua (modo ſua ſemper ſint) Fabio; quantum etiam poteramus illuſtravimus; atque ea in primis ratione invitandos duximus homines, ut perpetuo, licet brevi Commentario illuſtratum daremus doctorem præſtantiſſimum; et ubi hæreret nobis aqua, fateremur; primo ut felicium ingeniorum ſtudia excitaremus: deinde ne ſe tantum infelicem, aut Fabium ſibi modo quibuſdam locis inutilem recentior aliquis, aut occupatus in aliis rebus, lector putaret. Præterea hoc monemus in limine, quæ non ſatis intelliguntur hodie, de quibus §. 14 jam dictum eſt, ea poſſe pro cujuſque lectoris ingenio prætermitti, pauca ſane, ſi cum toto opere compa-

rentur: reliqua metum non esse, ne intelligant, ne probent, ne utilissima sibi sentiant, qui modo animum adferant discendi cupidum, et Latinæ linguæ non usquequaque sint imperiti.

§. 18. Volebamus autem pro præsenti copia mereri de Quinctiliano, et efficere, quod mox utile esse volentibus posset: ne, dum poliremus opus, dum multa litura coercere studeremus, aliquis nobis casus, quod sæpe factum est aliis, totam hanc merendi occasionem interciperet. Itaque per me non stetit, quo minus anno minimum citius prodiret Quinctilianus: et maluissem id factum, ne eo tempore hæc præfatio scribenda esset, quo plura etiam alia mihi incumbunt. Si nihil aliud, hoc certe debent nobis studiosi, quod et Gothani Codicis, et Jensonianæ editionis perpetuam collationem habent: in qua non nego, peccari aliquid potuisse, quin jam Cl. Heusingeri opera intelligo, dormitatum aliquoties esse, (et puto hominem non esse, qui in tali re nunquam conniveat) sed hoc mirabor, si sæpe, si insignior varietas, in loco præsertim dubio aut difficili, me fugerit. Ubicunque ergo nihil varietatis notatum est, ibi nostram editionem cum MS. Gothano, cum Jensoniana editione, et Burmanniana convenire, sciant lectores. Sed est hic aliquid de præstantissimo illo Codice dicendum.

§. 19. Ex quo tempore Cl. Tenzelius Colloq. menstruis 1694, p. 108, ac deinde Cel. Cyprianus in Catalogo MSS. ejus Bibliothecæ c. 1. n. 66, hunc thesaurum indicaverant, magna merito cupiditas injecta est hominibus illo fruendi. Vir summus, Pet. Burmannus, post ea quæ ipse Gibsoni industria et Obrechti ingenio adjutus præstitit, præ-

clara ſane et laude digniſſima, tamen, ut univerſim modeſte de ſe ſuiſque ſtudiis hic etiam loquitur, et, *Nullus, credo, ſcriptor*, inquit, *ad nos pervenit, in quo tot affecta et plane deſperata adhuc loca ſuperſunt, quibus ut medicam manum adhibere, et excutere, quidquid ubique codicum lateat, eruditi viri et eloquentiæ ſtudioſi velint, magno opere contendendum eſt:* ita vehementer rogat viros eruditos, ut illum codicem diligenter excutiant et prodant. Dedit poſtea guſtum Liebius, magno cum literarum damno nuper nobis ereptus, in Actis Eruditorum Lipſ. 1720, p. 434, ſeqq. et 1721, p. 71, ſeqq. qui accendere magis ſitim eam poſſet. Cum itaque auſpicium quaſi privati laboris in hac urbe facere vellem, quo rhetoricam ſimul cathedram, cui impoſitus ſum, pro virili parte ornarem, nihil antiquius viſum eſt Quinctiliano, et, cum ille ſemel placuiſſet, Codice Gothano. Opportune mihi, et, ut ſpero, Fabio accidit, vetus amicitia cum Viro vere magno, et amore omnium qui virtutem et literas colunt, omniſque poſteritatis prædicatione, digniſſimo Ern. Sal. Cypriano, qui ut ſumma rei ſacræ, literariæ, et, in quantum his innexa eſt, publicæ negotia, apud Ernesti Pii gentem et poſteros ex illius præſcripto tractat, ita etiam librariorum in arce Fridenſteinenſi theſaurorum ſupremam curam ſuſtinet. Huic vix ſignificaveram de conſilio meo, cum ſtatim ad me perferri pretioſiſſimum librum curat, et trium menſium uſuram indulget liberaliſſime, quo nomine maximas viro gratias non privatim modo ego, ſed quicunque Fabii doctrinæ ſumus ſtudioſi, debemus. Eſſe hunc codicem ſcriptum ſumtu Franciſci Piccolominei Cardinalis Se-

nenſis, qui poſtea A. 1503 Pii III nomine Pontificatum deguſtavit, ipſius arma in fronte libri, hoc eſt, in primæ paginæ, atque præfationis adeo Fabianæ margine imo, depicta ſatis declarant. Suſpicabar aliquid de Campano, qui non Suetonium modo a ſe editum, ſed ipſum quoque Fabium inſcripſit huic ipſi Franciſco Cardinali Senenſi; ſi forte ab hoc ſcriptus, correctus certe eſſet hic liber. Cogitabam de Gaſparino (Barzizio) Bergomate, a quo multam poſitam eſſe in Quinctiliano emendando diligentiam, e Volaterrano l. 21, f. 222, pr. didiceram. Sed aliud me docuit tum collatio cum lectionibus Campani a Maittairio editis, et ſupra laudatis, tum errores, de quibus mox dicam. Cæterum manus eſt ad antiquam, qualis erat præſertim ſeculo x et xi, elegantiam culta, ſimilis valde typis Jenſonianis; Græca a præſtantiſſimo calligrapho adjecta, cui ſpatia reliquerat Latinus librarius. Ornamenta picturæ aliquantum forte recentiora literis circa initia librorum, atque ad literas majuſculas applicata, elegantiſſima, et renatæ jam picturæ ſpecimina luculenta; auri ſplendor et copia quæ divitem herum prodat: Ipſæ pelles, quæ recentiorem ætatem prodere videntur, et magnæ, et diligenter ſubactæ atque raſæ. Verbo, codex ad omnem pulchritudinem cultus, et Cardinali domino, ut nunc Magnorum Principum theſauro, digniſſimus. Eſſe vero ex libro vere antiquo, et criticos ſeculi xv nondum paſſo, tranſcriptum, illud mihi fidem facit, quod exſtant in eo paſſim errores craſſi oppido et ridiculi, qui effugere vel mediocrem criticum non poterant; nedum Campanum, aut Gaſparinum, aut Raphaëlem adeo Regium, cujus ille

alioquin emendationes interdum firmat, v. g. 5, 2, 1. Cæterum ſpecimina errorum, quos dixi, ſunt *conſequens* ſolenniter fere poſitum pro *quotiens*, vid. 2, 4, 13. not. e. item *poena* pro *poſtea* 3, 3, 7. not. m. vel *poëma* pro eodem 4, 5, 1. not. o. *Grammaticis* pro *Gratiis* 1, 10, 21. not. v. et id genus pluſcula, quæ ob id ipſum non diſſimulavimus, ut ingenium quaſi codicis inde noſcatur, et quæ recta ſunt in ſuſpicionem eo minus veniant. Habuit tamen correctorem quibuſdam locis, ſed cautum admodum ne ſplendorem libri litura inſigni deformaret. Itaque parvula et viſum fere fugientia punctula ſubduxit literis, quas ſupervacuas indicare vellet, evanidaſque impoſuit literulas craſſiuſculis, quas prima manus dederat; qua de re egerunt Muretus V. L. 15, 9, et qui firmat Mureti querelas Daumius de cauſſis amiſſ. voc. p. 66. Quid proſit hæc obſervatio, ſub exemplo indicamus 6, pr. 6.

§. 20. Eſt etiam alius Gothæ in Sereniſſimi Ducis bibliotheca Quinctiliani codex, ſed ita ille corruptus, ut multum eo, quem adhuc deſcripſimus, ſit inferior. Habere tamen ſubinde hunc quoque veræ lectionis veſtigia, ſatis apparet ex illis ſpeciminibus, quæ paſſim V. Cl. Heuſingeri beneficio ad nos pervenerunt. Major illarum pars, cum ſerius allatæ eſſent, *Addendis* * intexta eſt, ubi etiam unam alteramque obſervationem S. R. Heumanni, quem non uno nomine meum a me vocari poſſe, gaudeo, ſecurius ſepoſitam, lector inveniet. Alius Quinctiliani codex Lipſiæ eſt in Bibliotheca cele-

* Lectiones iſtæ in hac Editione in ſuum cum aliis ordinem redactæ ſunt, paucis tantum exceptis, quæ in Appendice ſecundi Voluminis locum habent.

berrimi Kappii, cujus in dubiis certe locis conſulendi copiam pro amicitia per viginti annos culta officiis ipſius, utinam meis quoque nonnullis colenda, nobis fecit: et non ſtetit per humanitatem viri, quo minus huc tranſlatum commodo meo tractarem. Sed quod pro meorum temporum ratione, ſperare non poteram, multum opis inde ad Fabium perventurum, (quamquam non neſcio e corruptiſſimis ſæpe lectionibus veram illuceſcere) ſatis habui, de nodis quibuſdam illum conſulere. Qua in re Jo. Auguſti Erneſti V. C. oculis i. e. meis, nam ipſe meus eſt αὐτότατος, et Davidis Salomonis Reichardi, auditoris noſtri nuper, nunc amici communis, uſum me eſſe gaudeo. Denique cum ſignificaret Liebius, ὁ μακαρίτης, quem modo laudavi, inſpectum a ſe Duſſeldorpii Codicem Quinctiliani Poggianis temporibus certiſſime priorem, neccdum, quod ſciatur, recentiori ætate a quoquam collatum: adii ea de re Illuſtriſſimum Mæcenatem noſtrum, ut ſua commendatione aditum mihi ad illum theſaurum aperiret. Nec fuit ulla in ipſo mora, qui non morari noſtras preces, aut differre gaudia, ſed deſideria occupare ſoleat: ſcripſit ipſe ad amicum in Palatina aula ſuum, illuſtriſſimum Beveranum; qui diligenter noſtra cauſſa cum requiſiviſſet, tandem compertum eſt, mala fraude neſcio quorum hominum, et hunc et alios rariſſimos codices eſſe ſubductos; ut adeo ſpes illa nobis decollaverit, quæ forte alii quondam ſe denuo offeret. Utinam his, quæ habuimus, præſidiis non male nos uſos, idonei arbitri exiſtiment.

§. 21. Primam legem mihi dixi fidei et modeſtiæ, ne quid ſciens admitterem, cujus non idoneos

auctores laudare posſem: ne quid ex ingenio mutarem, nisi ubi res ita manifesta esſet, ut dubitari sine stupore vix posſe mihi videretur. Sæpe autem mihi insusurrabat ipse Fabius ex 9, 4, 39, *Quædam in veteribus libris reperta mutare imperiti solent: et, dum librariorum insectari volunt inscitiam, suam confitentur.* Nihil itaque immutavi, præter interpunctionem, (quam liberam esſe debere ipsa veterum librorum nos ratio docet) cujus non rationem rederem: et tamen eam, quæ adhuc recepta fuit, diligenter adnotavi. Ubi Fabiani consentirent libri, non ausus sum externis auxiliis quidquam mutare, puta cum laudantur verba scriptorum aliorum: cum fieri possit, ut memoria sola nixus, ut aliis libris usus fuerit. Itaque *Cecinam* *, ut hoc utar, et *Habitum* reliqui Fabio, cum *Cæcinam* et *Avitum* apud Ciceronem hodie sine dubitatione, quod sciam, legatur. In una re non semper adnotavi, si quid mutatum esſet, in collocatione verborum. Quoties nempe dissentire vidi libros, quod sæpe fieri observavi, eum prætuli verborum ordinem, qui numeris Quinctilianeis magis mihi videretur convenire: nunquam tamen in ea collocatione quidquam mutavi, in qua libri consentirent.

§. 22. Cum perpetuo quasi commentario prosequi Quinctilianum placuisſet, quo illustrarentur, quantum ejus fieri potest, obscura omnia: fieri non potuit, quin dicerentur nonnunquam dicta ab aliis. Indicaverat Philander loca Ciceronis aliorumque a Fabio laudata vel notata occulta significatione: ea et nos evolvimus. Quis ferret nos, si vel ideo non

* In hac re Gesnerum non secuti sumus.

adſcriberemus, quia adſcripſerat etiam Philander, aut nomen ejus ſingulis citationibus apponeremus, aut non ſatis accurate ab illo indicatum locum diceremus. Sic etiam in aliis potuit accidere, quæ ex communibus repetita fontibus, ideo omitti non potuere, quod cognita aut reperta eſſent etiam aliis. Itaque licet hic ſint, quæ non primum a nobis dicta ſunt; corniculæ tamen fabulam non extimeſco. Si quid enim eſſet, in quo ingenium alicujus aut ſtudium laudari poſſet, non preſſi, ſuam laudem invidi nemini, Burmanniana in primis κατορθώματα candide æſtimavi: quod, currente prelo, liberaliſſimæ humanitati erga me filiumque meum ſummi viri debere cœpi peculiariter, illud olim præſtiti ante quam debere inciperem, ut libenter laudarem virum optime ab hominum memoria de his literis meritum. Si quid ab aliis peccatum videretur, vel plane, et pertinaciter fere tacui; quid melius ego putarem, ſimpliciter indicaſſe contentus; vel ita tetigi, ut qui propterea iraſcatur, indicet, ſe communem errandi ſortem recuſare. Nimirum hoc ut faciam, ſuadet non humanitas modo, (ne quis forte gloriam me aucupare hac ipſa prædicatione arbitretur) ſed meorum errorum conſcientia, quibus non parci equidem poſtulo; ſed ita eos opto emendari, ut ſtudium tamen noſtrum bene merendi de his literis, æqui bonique conſulatur. Si cui videatur aliter, ille peccatis noſtris indicandis nos et alios juvabit, gratiarum agendarum neceſſitatem nobis remittet: ut nimirum neque Jaſon Pheræus σῶτρον debuit hoſti, qui deſperatum in pectore ulcus ſuo gladio aperuerat.

M. FABII QUINTILIANI

VITA*.

MARCUS Fabius Quintilianus Romæ natus eſt; quibus Conſulibus, aut quo imperante Cæſare, non legi. Veriſſima conjectura adducor, ut fidem libris temporum non habeam, ubi legitur, Quintilianus Calagura urbe Hiſpaniæ oriundus. Nam M. Valerius Martialis, Calaguritani agri alumnus, cum Iberos memoria dignos ſuos, ſuis Epigrammatibus inſerat, nullam de Quintiliano mentionem facit, ſed eum ſeparatim cum veneratione nominat:

Quintiliane vagæ moderator ſumme juventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

At ipſe dicit, cum eſſet adoleſcentulus, cognoviſſe Domitium Afrum et Senecam, qui ambo ſub Nerone periere. Seneca in libro ſexto Diviſionum Quintiliani declamatoris meminit, cujus adhuc extant multæ declamationes acutæ et breves, ſtylo aliquantulum remiſſiore. Is avus fuit Mar. Fabii Quintiliani, qui Romæ multis annis Rhetoricen cum ſumma laude docuit, et ipſe rurſus Quintilianus mentionem facit patris, qui cauſidicus fuit apud Principem. Neque notitia, neque gratia caruit.

* Cujus ſit ignoratur. Nondum extat in Jenſoniana editione: vidi qui Vallæ tribueret.

Domitiani enim Cæſaris nepotum cura ei delegata fuit. Diſciplinæ ejus caſtigatiſſimæ pleniſſimum teſtimonium C. Cœlius affert: qui ſub tali præceptore tantum profecit, ut ſui temporis oratores facile ſuperaverit. Duxit uxorem ex nobili familia, ex qua liberos ſuſcepit, quæ acerbiſſima fatorum ſorte in prima juventutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis, cum librum de cauſis corruptæ Eloquentiæ edidiſſet, amiſit. Poſtea cum Rhetorices libros ſcriberet, Quintilianum filium unicum parentis lumen ac ſolatium rogo dedit. Teſtis et ipſe infelix ſenex ſuarum lachrymarum eſt. Ejus filiola ex alia, ut credo, uxore, Tutilii equitis Romani filia, genita nupſit Novio Celeri, viro claro. Quo tempore deceſſerit, affirmare non audeo, quoniam is qui tradit, fide caret.

ORDO SECTIONUM:

Juxta Editionem 1542.

LIB. I.

EPISTOLA ad Typhonem.
Proœmium totius operis.
1 *Quid circa primam pueri inſtitutionem providendum ſit, et quemadmodum prima Elementa tradenda ſint.*
2 *Utrum utilius domi, an in ſcholis erudiantur pueri.*
3 *Qua ratione puerorum ingenia dignoſcantur, et quomodo tractanda ſint.*
4 *De Grammatica.*
(*De literis et earum poteſtate.*
De Partibus Orationis.
Declinare in primis nomina et verba ſcire oportere pueros et genera noſſe.
De verbis et verbalibus.)
5 *De virtutibus et vitiis Orationis.*
6 *De quatuor, quibus ſermo conſtat.*
(*Cujuſmodi verbis ſit utendum.*
De conſuetudine.)
7 *De Orthographia.*
8 *De Lectione pueri.*
9 *De Officio Grammatici, et quæ primordia ſint dicendi.*
10 *An Oratori futuro neceſſaria ſit plurium artium ſcientia.*
(*De Muſica et ejus laudibus.*
Commodam Geometriam Oratori.)
11 *De prima pronunciatione et geſtus inſtitutione.*
12 *An plura eodem tempore doceri prima ætas poſſit.*

LIB. II.

1 *Quando Rhetori ſit tradendus puer.*
2 *De moribus et officiis præceptoris.*
3 *An protinus præceptore optimo ſit utendum.*
4 *De primis apud Rhetorem exercitationibus.*
5 *De Lectione Oratorum, hiſtoricorum, apud Rhetorem.* (*Qui primi legendi.*)
6 *De Diviſione.*
7 *De Ediſcendo.*
8 *An ſecundum ſui quiſque ingenii docendus ſit naturam.*
9 *De officio diſcipulorum.*
10 *De Utilitate et ratione declamandi.*
11 *An artis hujus neceſſaria cognitio ſit.*
12 *Quare ineruditi ingenioſiores vulgo habeantur.*
13 *Quis modus ſit in arte.*
14 *Rhetorices etymon, et totius operis diviſio.*
15 *Quid ſit Rhetorice, et qui ejus finis.*
16 *An utilis ſit Rhetorice.*
17 *An Rhetorice ſit ars.*
18 *Generalis diviſio artium, et ex quibus ſit Rhetorica.*
19 *Utrum plus conferat eloquentiæ ars an natura.*
20 *An virtus ſit Rhetorica.*
21 *Quæ ſit materia Rhetorices.*

LIB. III.

1 *De Scriptoribus Artis Rhetoricæ.*
2 *Quod initium Rhetorices.*
3 *Quinque eſſe partes Rhetoricæ.*
4 *Tria eſſe genera cauſarum.*
5 *Quibus contineatur omnis ratio dicendi.*
6 *Quid ſit ſtatus: Unde ducatur: Reus, an actor eum faciat. Quot et qui ſint.*
7 *De Demonſtrativo, qui conſtat laude et vituperatione.*
8 *De Suaſoria ſeu deliberativo et proſopopœia.*
9 *De Partibus cauſarum judicialium.*

10 *De Generibus judicialium controverſiarum.*
11 *Quid ſit quæſtio, ratio, judicatio, continens, et quatenus neceſſaria.*

LIB. IV.

Proœmium.
1 *De Exordio.*
2 *De Narratione.*
3 *De Egreſſione.*
4 *De Propoſitione.*
5 *De Partitione.*

LIB. V.

Prologus.
1 *De probationum diviſione.*
2 *De Præjudiciis.*
3 *De Rumore et fama.*
4 *De Tormentis,*
5 *De Tabulis.*
6 *De Jurejurando.*
7 *De Teſtibus.*
8 *De Probatione Artificiali.*
9 *De Signis.*
10 *De Argumentis.*
11 *De Exemplis.*
12 *De Uſu argumentorum.*
13 *De Refutatione.*
14 *Quid Enthymema, et quotuplex: quibus conſtet epicherema, et quomodo refellatur.*

LIB. VI.

Proœmium, in quo de fortuna ſua queritur.
1 *De Concluſione ſeu peroratione.*
(*Adhuc de Affectibus movendis.*)
2 *De Diviſione affectuum et quomodo movendi ſint.*
3 *De Riſu.*
4 *De Altercatione.*
5 *De Judicio et Conſilio.*

LIB. VII.

Præfatio de dispositionis utilitate.
1 *De Dispositione facienda.*
2 *De Conjectura.*
3 *De Finitione.*
4 *De Qualitate.*
5 *De Actionis quæstione.*
6 *De Statu ex scripto et voluntate.*
7 *De Contrariis legibus.*
8 *De Syllogismo, seu ratiocinatione.*
9 *De Ambiguo, seu Amphibologia.*
10 *Quæ sit inter status cognatio et quæ diversitas.*

LIB. VIII.

Procœmium.
1 *Quæ in Elocutione spectanda.*
2 *De Perspicuitate.*
3 *De Ornatu.*
4 *De Amplificatione.*
5 *De Generibus sententiarum.*
6 *De Tropis.*

LIB. IX.

1 *Quo differant figuræ a tropis.*
2 *De figuris sententiarum.*
3 *De figuris verborum.*
4 *De Compositione.*

LIB. X.

1 *De Copia verborum.*
2 *De Imitatione.*
3 *Quomodo scribendum sit.*
4 *De emendatione.*
5 *Quæ scribenda sint præcipue.*
6 *De Cogitatione.*
7 *Quemadmodum extempor. facultas paretur et contineatur.*

LIB. XI.

1 *Præfatio, et de apte dicendo.*
2 *De Memoria.*
3 *De pronunciatione.*

LIB. XII.

Proœmium.
1 *Non posse Oratorem esse, nisi virum bonum.*
2 *Cognoscenda esse Oratori quibus mores formentur.*
3 *Necessariam Juris Civilis Oratori esse scientiam.*
4 *Necessariam Oratori cognitionem historiarum.*
5 *Quæ sint Oratoris instrumenta.*
6 *Quod sit incipiendi causas agere tempus.*
(*Quæ in suscipiendis causis Oratori observanda sint.*)
7 *Quæ in discendis causis Oratori observanda sint.*
9 *Quæ servanda in agendis causis Oratori sint.*
10 *De genere dicendi.*
11 *Quæ post finem studia.*

M. FABIUS[a] QUINCTILIANUS

TRYPHONI BIBLIOPOLÆ

SALUTEM.

EFFLAGITASTI quotidiano convicio, ut libros, quos ad Marcellum meum de Inſtitutione oratoria ſcripſeram, jam emittere inciperem: nam ipſe eos nondum ſatis opinabar maturuiſſe[b], quibus componendis (uti ſcis) paullo plus quam biennium, tot alioqui negotiis diſtrictus, impendi: quod tempus non tam ſtilo, quam inquiſitioni inſtituti operis prope infiniti, et legendis auctoribus, qui
2 ſunt innumerabiles, datum eſt: uſus deinde Horatii conſilio, qui in arte poetica ſuadet, ne præcipitetur editio, nonumque prematur in annum, dabam iis otium, ut refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos tamquam
3 lector perpenderem. Sed ſi tantopere efflagitantur, quam tu affirmas, permittamus vela ventis, et oram ſolventibus bene precemur. Multum autem in tua quoque fide ac diligentia poſitum eſt, ut in manus hominum quam emendatiſſimi veniant.

[a] M. Fabii Quinctiliani de inſtitutione oratoria ad Tryphonem epiſtola *lege*. Quinctilianus Tryphoni ſalutem G. [b] *Sic etiam* G. maturaviſſe *al.*

1. *Tryphoni Bibliopolæ*] Dubium non eſt, quin Trypho, Bibliopola illius temporis nobilis, hic intelligatur, cujus etiam e Mart. 4, 72, et 13, 3, memoriam hic repetit Colomeſius: ſed nomen ipſius hic poſitum ab auctore non arbitror, tum Gothani libri indicio, tum quod vix Romanum videtur, profeſſionis id genus nomen ponere in titulis.

2. *in arte poetica*] verſu 388.

2. *inventionis amore*] *Ardore* conjicit vir doctus in Miſcellaneis Obſervationibus, vol. 1, p. 138. Sed bene ibidem defenditur *amore*, quod habetur etiam Gothæ.

3. *oram ſolventibus*] Sic legendum hic et 4, 2, 41, ſuffragante Gothano. *Ora* funis, quo ad oram h. e. litus religatur navis, ut ſatis viri docti oſtenderunt.

M. FABII QUINCTILIANI

IN

ORATORIÆ INSTITUTIONIS

LIBROS XII

AD MARCELLUM VICTORIUM

PROŒMIUM.

POST impetratam ſtudiis meis quietem, quæ per viginti annos erudiendis juvenibus impenderam, cum a me quidam familiariter poſtularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu ſum equidem reluctatus: quod auctores utriuſque linguæ clariſſimos non ignorabam multa, quæ ad hoc opus pertinerent, diligentiſſime ſcripta
2 poſteris reliquiſſe. Sed qua ego ex cauſſa faciliorem mihi veniam meæ deprecationis arbitrabar fore, hac[c] accendebantur illi magis: quod inter diverſas opiniones priorum, et quaſdam etiam inter ſe contrarias, difficilis eſſet electio: ut mihi, ſi non inveniendi nova, at certe judicandi de[d] ve-
3 teribus, injungere laborem non injuſte viderentur. Quamvis autem non tam me vinceret præſtandi, quod exigebatur, fiducia, quam negandi verecundia: latius ſe tamen aperiente materia, plus quam imponebatur oneris, ſponte ſuſcepi; ſimul ut pleniori obſequio demererer amantiſſimos mei; ſimul ne vulgarem viam ingreſſus, alienis de-

[c] *om.* G. [d] de veteribus *om.* G.

1. *per viginti annos*] Retinuit, et in ſui Codicis 12, 15, retulit hanc legem Juſtinianus; ubi vid. ICti.

2. *hac accendebantur*] Aut omittenda videtur, ut f.t in Gothano, *ñ hac*, quam ſequens *accendebantur* forte peperit: aut reponendum *ea*. Certe repetitio radentis palatum literæ ingrata nobis videbatur, hoc eſt, parum digna Fabio.

mum veſtigiis inſiſterem. Nam ceteri fere, qui artem 4
orandi literis tradiderunt, ita ſunt exorſi, quaſi perfectis
omni alio genere doctrinæ, ſummam inde [e] eloquentiæ
manum imponerent: ſive contemnentes tamquam parva,
quæ prius diſcimus, ſtudia: ſive non ad ſuum perti-
nere officium opinati, quando diviſæ profeſſionum vices
eſſent; ſeu, quod proximum vero, nullam ingenii ſper-
antes gratiam, circa res, etiamſi neceſſarias, procul tamen
ab oſtentatione poſitas: UT operum faſtigia ſpectantur [f],
latent fundamenta. Ego, cum nihil exiſtimem arti ora- 5
toriæ alienum, ſine quo fieri oratorem non poſſe fatendum
eſt, nec ad ullius rei ſummam, niſi præcedentibus initiis
perveniri; ad minora illa, ſed, quæ ſi negligas, non ſit
majoribus locus, demittere me non recuſabo; nec aliter,
quam ſi mihi tradatur educandus [g] orator, ſtudia ejus for-
mare ab infantia incipiam. Quod opus, Marcelle Victori, 6
tibi dicamus: quem cum amiciſſimum nobis, tum exi-
mio literarum amore flagrantem, non propter hæc modo
(quamquam ſunt magna) digniſſimum hoc mutuæ inter
nos caritatis pignore judicabamus; ſed quod erudiendo
nato tuo, cujus prima ætas manifeſtum iter ad ingenii lu-
men oſtendit, non inutiles fore libri videbantur, quos ab
ipſis diſcendi [h] velut incunabulis, per omnes, quæ modo
aliquid oratori futuro conferant, artes, ad ſummam ejus
operis perducere deſtinabamus. Atque eo magis, quod 7
duo jam ſub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricæ,
neque editi a me, neque in hoc comparati. Namque
alterum, ſermone [i] per biduum habito, pueri, quibus id
præſtabatur, exceperant: alterum pluribus ſane diebus,
quantum notando conſequi poterant [k], interceptum, boni
juvenes, ſed [l] nimium amantes mei, temerario editionis

[e] *Sic* Goth. *et* Jenſ. in eloquentia *Burm.* [f] ſpectarentur G. [g] eru-diendus G. [h] *ſic* G. *al.* dicendi. [i] ſermonem per biduum habitum G. *quod in aliis etiam inventum propter repetitionem literæ mugientis damnat Burmannus.* [k] poterant G. potuerant *al.* [l] vel Jenſ.

4. *ſummam inde eloquentiæ*] *Eloquentiæ* ab Aldo acceptum jam probabat Gronovius: cum igitur auctoritates, quas laudavi, accederent, non dubitavi tantillum a recepta lectione diſcedere. *Eloquentia* eſt *ſumma manus*, eſt *Colophon*, quæ ultima accedat artibus reliquis.

6. *diſcendi*] Prætuli hanc lectionem: neque enim a *dicendi*, hoc eſt orandi publice, incunabulis, ſed a primis *diſcendi* rudimentis auſpicatur Fabius. Et videtur ipſe Burmannus hoc probaſſe, licet operæ obſecutæ non ſint; quod ex adnotatione tum contexto Fabii ſubjecta, tum quam in Addendis poſuit, apparet.

8 honore [m] vulgaverant. Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adjecta, omnia vero
9 compositiora, et quam nos poterimus elaborata. Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in
10 eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectæ honestæque vitæ (ut quidam putaverunt) ad philosophos relegandam: cum vir ille vere civilis, et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius
11 sit profecto, quam orator. Quare, tametsi me fateor usurum quibusdam, quæ philosophorum libris continentur, tamen ea jure vereque contenderim esse operis nostri, proprieque ad
12 artem oratoriam pertinere. An, si frequentissime de justitia, fortitudine, temperantia, ceterisque similibus sit differendum, et adeo, ut vix ulla [n] possit causa reperiri, in quam [o] non aliqua quæstio ex his incidat, eaque omnia inventione atque elocutione sint explicanda: dubitabitur, ubicumque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse
13 præcipuas? Fueruntque [p] hæc, ut Cicero apertissime [q] colligit, quemadmodum juncta natura, sic officio quoque copulata, ut iidem sapientes, atque eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur [r]. Nam ut primum lingua esse cœpit in quæstu, institutumque eloquentiæ bonis male uti, cu-
14 ram morum, qui diserti habebantur, reliquerunt. Ea vero destituta infirmioribus ingeniis velut prædæ fuit. Inde quidam, contemto bene dicendi labore, ad formandos animos, statuendasque vitæ leges regressi, partem quidem potiorem, si dividi posset, retinuerunt; nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli sapientiæ studiosi vocarentur: quod neque summi imperatores, neque in consiliis rerum maximarum, ac totius administratione reipublicæ præclarissime versati, sibi umquam vindi-
15 care sunt ausi. Facere enim optima, quam promittere,

[m] amore G. *sed* honore *tuetur imitatio Hieronymi epist.* 1, 7, *a Gronovio prelata.* [n] *om.* G. [o] quæ G. *et* Jens. *quod non temere damnaverim.* [p] Fuerunt autem G. [q] aptissime G. Jens. Ald. [r] judicentur *cum aliis MS. etiam* G.

13. *Cicero*] De Orat. 3, 15, sqq. 15 *promittere*] Ad totius vitæ institutum et eam, quam vulgus etiam *professionem* vocat, hanc vocem pertinere observavimus etiam ad Fabrum: *professerem* etiam *sa-*

maluerunt. Ac veterum quidem ſapientiæ profeſſorum multos et honeſta præcepiſſe, et ut præceperunt, etiam vixiſſe, facile conceſſerim : noſtris vero temporibus ſub hoc nomine maxima in pleriſque vitia latuerunt. Non enim virtute ac ſtudiis, ut haberentur philoſophi, laborabant, ſed vultum et triſtitiam, et diſſentientem a ceteris habitum peſſimis moribus prætendebant. Nunc [s] autem 16
quæ velut [t] propria philoſophiæ aſſeruntur, paſſim tractamus omnes. Quis enim non de juſto, æquo, ac bono, modo non [u] et vir peſſimus loquitur? quis non etiam ruſticorum aliqua de cauſſis naturalibus quærit? nam verborum proprietas ac differentia, omnibus, qui ſermonem curæ habent, debet eſſe communis. Sed ea et ſciet optime 17
et eloquetur [x] orator : qui ſi fuiſſet aliquando perfectus, non a philoſophorum ſcholis virtutis præcepta peterentur: nunc neceſſe eſt ad eos aliquando auctores recurrere, qui deſertam, ut dixi, partem oratoriæ artis, meliorem præſertim, occupaverunt, et veluti noſtrum repoſcere : non ut nos illorum utamur inventis, ſed ut illos alienis uſos eſſe doceamus. Sit igitur orator vir talis, qualis vere ſapiens 18
appellari poſſit : nec moribus modo perfectus, (nam id mea quidem opinione, quamquam ſint qui diſſentiant, ſatis non eſt) ſed etiam ſcientia, et omni facultate dicendi : qualis adhuc fortaſſe nemo fuerit. Sed non ideo minus 19
nobis ad ſumma tendendum eſt, quod fecerunt plerique veterum, qui etſi nondum quemquam ſapientem repertum putabant, præcepta tamen ſapientiæ tradiderunt. Nam 20
eſt certe aliquid conſummata eloquentia, neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet. Quod ſi non contingat, altius tamen ibunt, qui ad ſumma nitentur,

[s] Hæc G. [t] *om.* G. [u] nonne vir p. G. [x] loquetur G.

pientiæ hic non tam ad publicam docendi provinciam, quam ad inſtitutum vitæ referri, propter hodiernum vocis uſum admonendum eſt.

15. *prætendebant*] Ut velum, quo minus, quam intra turpes eſſent, noſcerentur. Bene hic adnotatum a quibuſdam, reſpici ad edictum Domitiani, cui alias etiam adulatur Fabius, de ejiciendis urbe atque Italia philoſophis.

16. *Quis enim non*] Nobis placebat præ ea, quam damus ut vulgatiorem, et quaſi poſſeſſionis ſe titulo tuentem, illa quam Gibſonus probabat quarundam editionum lectio, *Quis enim modo de juſto, æquo et bono non et vir peſſimus loquitur?* Nemo hodie ita perverſus eſt, quin loquatur nonnunquam de juſto &c. Cæterum enumerari hic tres philoſophiæ partes principes, ἠθικὴν, φυσικὴν, διαλεκτικὴν, attendenti apparet.

17. *meliorem præſertim*] Quæ vitam prudentia et honeſtate inſtruit.

quam qui præſumta deſperatione quo velint evadendi,
21 protinus circa ima ſubſtiterint [y]. Quo magis impetranda erit venia, ſi ne minora quidem illa, verum operi, quod inſtituimus, neceſſaria, præteribo. Nam liber primus ea, quæ ſunt ante officium rhetoris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem elementa, et quæ de ipſa rhetoricæ
22 ſubſtantia quæruntur, tractabimus. Quinque deinceps inventioni (nam et huic [z] diſpoſitio ſubjungitur) quatuor elocutioni (in cujus partem memoria ac pronuntiatio veniunt) dabuntur. Unus accedet, in quo nobis orator ipſe informandus eſt, ut qui mores ejus, quæ in ſuſcipiendis, diſcendis [a], agendis cauſſis ratio, quod eloquentiæ genus, quis agendi debeat eſſe finis, quæ poſt finem ſtudia,
23 quantum noſtra valebit infirmitas, diſſeramus [b]. His omnibus admiſcebitur, ut quiſque locus poſtulabit, dicendi ratio, quæ non eorum modo ſcientia, quibus ſolis quidam nomen artis dederunt, ſtudioſos inſtruat, et (ut ſic dixerim) jus ipſum rhetorices interpretetur, ſed alere facundiam,
24 vires augere eloquentiæ poſſit. Nam plerumque nudæ illæ artes, nimia ſubtilitatis affectatione frangunt [c] atque concidunt quidquid eſt in oratione generoſius, et OMNEM ſuccum ingenii bibunt, et oſſa detegunt: quæ ut eſſe, et adſtringi nervis ſuis debent, ſic corpore operienda ſunt.
25 Ideoque nos non particulam illam, ſicut plerique, ſed quidquid utile ad inſtituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breviter omnia demonſtrando. Nam ſi quantum de quaque re dici poteſt, pro-
26 ſequamur, finis operis non reperietur. Illud tamen in primis teſtandum eſt, NIHIL præcepta atque artes valere, niſi adjuvante natura. Quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis hæc ſcripta ſunt, quam de agrorum
27 cultu ſterilibus terris. Sunt et alia ingenita quædam [d] adjumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, conſtantia, decor: quæ ſi modica obtigerunt, poſſunt ratione ampliari: ſed nonnumquam ita deſunt, ut bona etiam ingenii

[y] ſubſtiterunt G. [z] Goth. huic et, *recte, ut vidit Heuſingerus.* [a] docendis *inſ.* G. [b] differemus G. Jenſ. [c] franguntur G. *ſed melius* frangunt. [d] cuique Jenſ. quidem quæ adjuvant G.

27. *conſtantia*] Neſcio quam bene in *congenitis adjumentis* adnumeretur *conſtantia*: ſi enim virtutum illa initia, quas diſpoſitiones vocant ſcholæ, voluiſſet commemorare Quinctilianus, longe plura ex eo genere videtur fuiſſe enumeraturus. Quid? quod ſtatim *pertinax ſtudium, continuam exercitationem* ſeparatim nominat. Legemuſne *valetudo conſtans?* Sic puto equidem.

ſtudiique corrumpant: ſicut et hæc ipſa ſine doctore perito, ſtudio pertinaci, ſcribendi, legendi, dicendi multa et continua exercitatione, per ſe nihil proſunt.

I. Igitur nato filio, pater ſpem de illo primum quam optimam capiat: ita diligentior a principiis fiet. Falſa enim eſt [c] querela, pauciſſimis hominibus vim percipiendi quæ tradantur eſſe conceſſam, pleroſque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam contra, plures reperias et faciles in excogitando, et ad diſcendum promtos: quippe id eſt homini naturale: ac SICUT aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ gignuntur: ita nobis propria eſt mentis agitatio atque ſolertia: unde origo animi cœleſtis creditur. Hebetes vero et indociles non 2
magis ſecundum naturam homines eduntur, quam prodigioſa corpora, et monſtris inſignia: ſed hi pauci admodum [f]. Fuerit argumentum, quod in pueris elucet ſpes plurimorum, quæ dum emoritur ætate, manifeſtum eſt, non naturam defeciſſe, ſed curam. Præſtat tamen ingenio alius alium, concedo: ſed ut plus efficiat, aut minus: nemo tamen reperitur, qui ſit ſtudio nihil conſecutus. Hoc [g] 3
qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime curam ſpei futuri oratoris impendat. Ante omnia ne ſit vitioſus ſermo nutricibus: quas, ſi fieri poſſet, ſapientes Chryſippus optavit, certe, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud 4
dubie prior ratio eſt: recte tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudi- 5
bus annis [h] percipimus: ut ſapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor

[c] *om.* G. [f] Admodum fuerunt. Argumentum: G. *et al. ap.* Burm. [g] hic quippe prot. G. Hæc q. p. Jenſ. Hoc qui proviserit Ald. [h] Animis percepimus G. *quod jam placuit Almeloveenio: utrumque exemplo aliorum dici, oſtendit Burmannus.*

27. *hæc ipſa*] Cave ad proxima referas, ſed ad *congenita*, quæ paullo ante dixit, *adjumenta*.

I, 2. *ſecundum naturam homines*] Revocavi lectionem Aldinam. Sermo eſt de natura univerſa: opponuntur *hebetes homines et prodigioſa corpora*. Solenne cum ſit, quoſdam accuſativos tertiæ declinationis in *is* exire, qui *es* vulgo habent; tanto facilius irrepere hic potuit et locum tueri *hominis*.

3. *Hoc qui perviderit*] Hanc lectionem, quam in veteri exemplari vidit Regius, reliquis præferre non dubito, et firmari inde puto, quæ de vi hujus verbi diſputat Bentleius ad illud Hor. Sat. 1, 3, 25, *Cum tua prævideas* &c. Mirum ſane fuerit, eidem verbo ſi contrariæ plane voluntates ſubjectæ ſint.

mutatus eſt, elui poſſunt. Et hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt. Nam bona facile mutantur in pejus: nunc [l] quando in bonum verteris vitia? Non adſueſcat ergo, ne dum infans quidem eſt, ſermoni, qui dediſcendus ſit [l]. In parentibus vero quamplurimum eſſe
6 eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor. Nam Gracchorum [m] eloquentiæ multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem, cujus doctiſſimus ſermo in poſteros quoque eſt epiſtolis traditus: et Lælii filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam [n] dicitur: et Quinti Hortenſii filiæ oratio apud Triumviros habita,
7 legitur non tantum in ſexus honorem. Nec tamen ii, quibus diſcere ipſis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant: ſed ſint propter hoc ipſum ad cetera magis diligentes. De pueris, inter quos educabitur ille (11) huic ſpei deſtinatus, idem quod [o] de nutricibus dictum ſit.
8 De pædagogis hoc amplius, ut aut ſint eruditi plane, quam primam eſſe curam velim: aut, ſe non eſſe eruditos ſciant. Nihil enim pejus eſt iis, qui paullum aliquid ultra primas literas progreſſi, falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nam et cedere præcipiendi peritis indignantur, et velut jure quodam poteſtatis, qua fere hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi atque interim ſævientes, ſtultitiam ſuam perdocent [p]. Nec minus error eorum nocet
9 moribus. Siquidem Leonides Alexandri pædagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibuſdam eum vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque et jam [q] maximum regem ab
10 illa inſtitutione puerili ſunt proſecuta. Si cui multa videor exigere, cogitet oratorem inſtitui, rem arduam, etiam cum ei formando nihil defuerit; præterea plura ac difficiliora ſupereſſe. Nam et ſtudio perpetuo, et præſtantiſſimis
11 præceptoribus, et pluribus diſciplinis opus eſt. Quapropter præcipienda ſunt optima: quæ ſi quis gravabitur, non rationi defuerit, ſed homini. Si tamen non continget,

[l] nam G. *et* Jenſ. *forte*, num quando *h. e. aliquando: ſuccurrit illud* numquam *e* Cod. Almelov. [l] eſt G. [m] Graccorum G. [n] elegantiorem *inſ.* G. *Eſt ab ſciolo, qui vim verbi* reddidiſſe *non aſſequutus, deeſſe aliquid putaret.* [o] *Sic* G. *et* Jenſ. quo *al.* [p] docent G. [q] *om.* G. Jenſ.

6. *in ſexus honorem*] Hoc eſt, cum venia, ut ſubinde cogitemus, ſi per ſe magni æſtimanda non ſit, tamen vel hoc nomine adverſione animi noſtri dignam eſſe, quod a femina ſcripta ſit, non ita, inquam, legitur oratio Hortenſiæ; ſed ita, ut ſummorum virorum libri, uti doctiores inde melioreſque recedamus.

11. *non rationi defuerit*] Si quis optima illa, quæ præcipimus et præcipiemus, gravabitur, hoc eſt, ſuſci-

quales maxime velim, nutrices[r] pueros habere; pædagogus at[s] unus certe sit assiduus, dicendi non imperitus, qui, si qua erunt ab his præsente alumno dicta vitiose, corrigat protinus, nec insidere illi sinat: dum tamen intelligatur, id, quod prius dixi, bonum esse; hoc, remedium. A 11
Græco sermone puerum[t] incipere malo: quia Latinus[u], qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se præbet[v]: simul quia disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde et[x] nostræ fluxerunt. Non tamen hoc adeo su- 13
perstitiose[z] velim fieri, ut diu tantum loquatur Græce aut discat, sicut plerisque moris est: hinc enim accidunt et oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti, et sermonis; cui cum Græcæ figuræ assidua consuetudine hæserint[a], in diversa quoque loquendi ratione pertinacissime durant. Non longe itaque Latina subsequi debent, et cito pariter ire. Ita fiet, ut quum[b] æquali cura linguam 14
utramque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Qui- 15
dam literis instituendos[c], qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa primum ætas et intellectum disciplinarum capere, et laborem pati possit. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante Grammaticum Aristophanem fuerunt: nam is primus ὑποθήκας, in quo libro scriptum hoc invenitur, negavit esse hujus poetæ. Sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthe- 16
nes, idem præceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus: nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque jam informandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. Cur autem non pertineat ad literas ætas, quæ 17

[r] nutrices pædagogosque pueros habere, at unus &c. Ald. *quod probat vir doctus in Miscell. Observatt. Vol. I. p.* 139. *Alius ibid.* velim pueris, habere pædagogos, at unus &c. Pueris *etiam probat Burmannus, cujus lectionem, e Palatinis membranis prolatam a Gebhardo, nihil mutante præsertim Gothano, servamus.* [s] autem G. [t] pueros G. [u] Gothanus 2, *Heusingero docente*, Latinum, qui perbibet. [v] perhibet G. *sed* præbet *merito præfert Burm.* [x] et *om.* G. [z] superstitione G. [a] hæserunt G. *ut* Ald. [b] quam *ophalma, credo, Burmann.* [c] instruendos Jens. *et al. apud Burm.*

pere in se facereque cunctabitur, vel recusabit adeo; ille non rationi nostræ ac disciplinæ defuerit, eamque absurda postulare convincet, aut regulam nostram exceptione exempli sui vitiabit; sed homini, quem eruendum suscepit, deerit, eique non tantum proderit, quantum præceptis nostris obsecutus poterat.

11. *bonum esse; hoc*] Nimirum, *bonum est* et primo expetendum, habere familiam totam bene loquentem: si quidam male loquantur, *remedium* ejus inconmodi est hoc, quod de pædagogo dicit.

ad mores jam pertinet? Neque ignoro, toto illo, de quo loquor, tempore vix tantum effici, quantum conferre unus poſtea poſſit annus: ſed tamen mihi, qui id [d] ſenſerunt, videntur non tam diſcentibus in hac parte, quam docen-
18 tibus peperciſſe. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid neceſſe eſt. Aut cur hoc, quantulumcumque eſt, uſque ad ſeptem annos lucrum faſtidiamus? Nam certe quamlibet parum ſit, quod contulerit ætas prior, majora tamen aliqua diſcet puer eo ipſo
19 anno, quo minora didiciſſet. Hoc per ſingulos annos prorogatum, in ſummam proficit: et quantum in infantia præſumtum eſt temporis, adoleſcentiæ acquiritur. Idem etiam de ſequentibus annis præceptum ſit: ne quod cuique diſcendum eſt, ſero diſcere incipiat. Non ergo perdamus primum ſtatim tempus: atque eo minus, quod initia literarum ſola memoria conſtant, quæ non modo
20 jam eſt in parvis [e], ſed tum etiam tenaciſſima eſt. Nec [f] ſum adeo ætatum imprudens, ut inſtandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam [g] operam. Nam id in primis cavere oportebit, ne ſtudia, qui amare nondum poteſt, oderit, et amaritudinem ſemel præceptam [h], etiam ultra rudes annos, reformidet. Luſus hic ſit: et rogetur, et laudetur, et numquam non [i] ſciſſe ſe gaudeat: aliquando ipſo nolente doceatur alius, cui invideat: con-

[d] hoc G. [e] pueris G. [f] non G. *et al. ap. Bur.* [g] plane G. *et al. ap. Bur.* [h] perceptam G. *et al.* [i] *Sic* G. non nunquam *Bur.*

19. *in ſummam proficit*] Avidis parentum votis gratius ſine dubio eſt, filium (ut hoc utamur) anno ſexto decimo in forum deduci poſſe, quam ſeptimo decimo; primam cauſam orare potius viceſimo anno, quam uno poſt; ſic deinde Quæſtorem, Ædilem, Prætorem, Conſulem denique renunciari. At hæc omnia fieri ita poſſunt, ſi vel pluribus annis qui ſeptimum præcedunt, ea conſequatur puer, quæ intra ſeptimum et octavum alioquin diſcenda erant.

20. *numquam non*] Prætuli hanc lectionem vulgatæ, quod verior videtur ſententia. Quid enim? an interdum modo, non nunquam modo gaudere volumus puerum, ſe ſciſſe? Puto, quoties ſcivit: et ſublevandum eſſe, acuendamque attentionem, ut quam ſæpiſſime hoc fiat, inter ſtudiorum nempe initia. Poſtea, ubi δοκησισοφία metuitur, erroris et ignorantiæ convincendus.

20. *cui invideat*] Caute hic verſandum: invidia, deteſtabile vitium oppugnandum potius machinis omnibus quam alendum. Sed miramur, invidos eſſe homines, et alienis bonis angi; et de peccato originis conquerimur; cum ſedulo id agant non imperitæ modo nutrices, ſed educatores etiam, a quibus prudentiam majorem expectes, ut invidiam accendant. Quin ſanctus ipſe Hieronymus, qui in epiſtolam ad Lætam prima iſthæc inſtitutionis

tendat interim, et ſæpius vincere ſe putet: præmiis etiam, quæ capit illa ætas, evocetur. Parva docemus, inſtituen- 21
dum oratorem profeſſi: ſed eſt ſua etiam ſtudiis infantia: et ut corporum mox etiam [l] fortiſſimorum educatio a lacte cuniſque initium ducit; ita futurus eloquentiſſimus edidit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit, et hæſit circa formas literarum. Nec ſi quid diſcere ſatis 22
non eſt, ideo nec neceſſe eſt. Quod ſi nemo reprehendit patrem, qui hæc non negligenda in ſuo filio putet, cur improbetur, ſi quis ea, quæ domi ſuæ recte faceret, in publicum promit [m]? Atque eo magis, quod MINORA etiam facilius minores percipiunt; et UT corpora ad quoſdam membrorum flexus formari, niſi tenera, non poſſunt, ſic animos quoque ad pleraque duriores robur ipſum facit. An Philippus Macedonum rex Alexandro filio ſuo prima 23
literarum elementa tradi ab Ariſtotele, ſummo ejus ætatis philoſopho, voluiſſet, aut ille ſuſcepiſſet hoc officium, ſi non ſtudiorum initia, et a perfectiſſimo quoque optime tractari, et pertinere ad ſummam credidiſſet? Fingamus 24
igitur Alexandrum dari nobis impoſitum gremio, dignum tanta cura infantem, (quamquam SUUS cuique dignus eſt) pudeatne me in ipſis ſtatim elementis etiam brevia docendi monſtrare compendia? Neque enim mihi [n] illud ſaltem placet, quod fieri in plurimis [o] video, ut literarum nomina et contextum prius quam formas, parvuli diſcant. Ob- 25
ſtat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum ad ipſos ductus, dum antecedentem memoriam ſequuntur. Quæ cauſſa eſt præcipientibus, ut etiam, cum ſatis affixiſſe eas pueris recto illo, quo primum ſcribi ſolent, contextu videntur, retroagant rurſus, et varia permutatione perturbent [p], donec literas, qui inſtituuntur, facie norint, non ordine. Quapropter optime, ſicut hominum, pariter et habitus et nomina edocebuntur. Sed

[l] etiam *om.* G. *et plures.* mox etiam *om.* Jenſ. [m] promitur G. [n] *Malim* mihi ſaltem illud placet. [o] pluribus G. [p] turbent G. *et al.* turbetur ordo, *hæc ipſa in re S. Hieronymus.*

elementa fere tranſtulit, non dubitavit et hoc ponere, *Habeat et in diſcendo ſocias, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur.* An, ne accuſemus tantos viros, *invidiam* dicamus μίσος eſſe, et *æmulationem* etiam ſignificare eam, quæ vitio careat. Transferamus huc noſtri verba, 1, 2, 22.

20. *ſæpius*] Non ſemper, ne vel ignavum faciamus, vel ſuperbum et ἀλαζόνικτην.

25. *pariter et habitus*] Cum homines primum noſſe diſcunt pu-

26 quod in literis obeſt, in ſyllabis non nocebit. Non excludo autem, id quod eſt notum, irritandæ ad diſcendum
21 infantiæ gratia, eburneas etiam literarum formas in luſum offerre; vel ſi quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inveniri poteſt, quod tractare, intueri, nominare, jucun-
27 dum ſit. Cum vero jam ductus ſequi cœperit, non inutile erit eas tabellæ quam optime inſculpi, ut per illos velut
22 ſulcos ducatur ſtilus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris, (continebitur enim utrimque marginibus) neque extra præſcriptum poterit egredi; et celerius ac ſæpius ſequendo certa veſtigia, formabit[q] articulos; neque egebit adjutorio manum ſuam manu ſuperimpoſita regen-
28 tis. Non eſt aliena res, quæ fere ab honeſtis negligi ſolet, cura bene ac velociter ſcribendi. Nam cum ſit in ſtu-
23 diis præcipuum, quoque ſolo verus ille profectus, et altis radicibus nixus paretur, ſcribere ipſum: tardior ſtilus cogitationem moratur; rudis et confuſus intellectu caret: unde ſequitur alter dictandi, quæ (ex his[r]) transferenda
29 ſunt, labor. Quare cum ſemper et ubique, tum præcipue
24 in epiſtolis ſecretis et familiaribus delectabit ne hoc qui-
30 dem neglectum reliquiſſe. Syllabis nullum compendium eſt: perdiſcendæ omnes: nec, ut fit plerumque, difficillima quæque earum differenda, ut in nominibus[t] ſcriben-

[q] formabit G. Jenſ. firmabit *rel.* [r] ex his *om.* G. *et videtur totum deberi Regio. Optima forte lectio Jenſ.* quæ et transfer. [t] omnibus *ſic etiam* G. omnibus *al.*

eri, non ordo eſt, qui memoriam eorum ſervet, ſed ad habitum oris, vocem, veſtem, adjungunt nomina. Ita agendum in literis, ut O ſciant eſſe, non ideo quod N præceſſit, ſequitur P, ſed quod circulus eſt.

25. *non nocebit*] Quia nimirum literas jam norunt, non ita facilis errandi erit occaſio.

27. *formabit*] Hoc prætuli, quia non de firmitate et rigore articulorum agitur, ſed de conformatione. Turbaſſet fere Hieronymi locum, ut ad h. l. a Colomeſio proponitur ex laudata ad Lætam epiſtola, *Cum vero cœperit trementi manu ſtilum in cera ducere; vel alterius ſuperpoſita manu teneri figantur articuli* &c. ubi illud *figantur* ex *firmabit* expreſſum videri poteſt. Sed edidit Frobenius *regantur*: et ſi omnino eſt alicubi *figantur*, quod jam non vacat quærere, contenderim tamen voluiſſe, qui ita ſcripſit, *fingantur*, quod ad *formandi* intellectum proxime accedit. Neque tamen in *firmabit* abſurdum quidquam ineſſe dixerim. Add. 1, 1, 22.

28. *transferenda*] In alium puta codicem, cum legi non poſſit manus prima: neque vero deſcribere poteſt quiſquam impeditam et implicitam ſibi ſcripturam: ſupereſt igitur, ut auctor ipſe novum dictandi laborem ſuſcipiat, tanto moleſtiorem, ſi ipſe quid ſcripſerit legere, (quod quibuſdam accidere memini) nequeat.

30. *in nominibus ſcribendis*] Sic

dis deprehendantur; quin immo ne primæ quidem me- 31
moriæ temere credendum: repetere, et diu inculcare, fuerit utilius; et in lectione quoque non properare ad continuandam eam vel accelerandam; nisi cum inoffensa atque indubitata literarum inter se conjunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit: tunc ipsis syllabis 32
verba complecti, et his sermonem connectere incipiat. Incredibile est quantum moræ lectioni festinatione adjiciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio; plus 33
quam possunt audentibus, deinde cum errarunt, etiam iis quæ jam sciunt, diffidentibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde conjuncta; et diu lentior[u], donec exercitatione contingat emendata velocitas. Nam prospicere in dex- 34
trum (quod omnes præcipiunt) et providere, non rationis modo, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti, priora dicenda sunt, et, quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur. Illud non pœnitebit curasse, dum scribere nomina puer (quemadmodum moris est) cœperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus et forte occurrentibus perdat. Protinus 35
enim potest interpretationem linguæ secretioris, [x] quas Græci γλώσσας vocant, dum aliud agitur, edisce re, et inter prima elementa consequi rem, postea proprium tempus desideraturam. Et quoniam adhuc circa res tenues moramur: ii quoque versus, qui ad imitationem scribendi proponentur[z], non otiosas velim sententias habeant, sed

[u] lentius ordo G. Jens. [x] id est *inf. etiam* G. [z] præpon. G. Jens.

legendum putamus. Si syllabæ difficiliores differantur, illud consequitur, *ut in nominibus* præcipue propriis, (ut 10, 1, 52,) sed etiam aliis paullo difficilioribus, pueri deinde *deprehendantur*, id est inscitiæ convincantur. Sic utitur hoc verbo 1, 8, 21; 10, 1, 41; 12, 2, 14; 12, 8, 6. Intellectum quoque *nominis* unice juvat ipse Fabius p. p. s. 34 et 37. Sed etiam S. Hieronymus de hac ipsa exercitatione ad Lætam scribens, *Ipsa*, inquit, *nomina, per quæ paullatim consuescet verba contexere, non sint fortuita, sed certa, et coacervata de industria, prophetarum videlicet atque apostolorum—ut, dum aliud agit, futuræ memoriæ præparetur.* Pro *nominibus* posuerunt *omnibus* etiam alias librarii, v. g. 1, 6, 5. Ista videntur simpliciissima. Vide tamen, an his meliora, quæ vir doctus in Miscell. Obsservatt. vol. 1, p. 140.

32. *verba complecti*] Ludit in etymo τῆς συλλαβῆς, *comprehensionis* vel *complexionis*.

33. *conjuncta*] h. e. continuata et connexa inter se, non singulis verbis vel syllabis adeo insistens.

33. *et diu lentior*] Pro solœco illo *lentius ordo*, suspicor dedisse Fabium, *lentus ordo*: ita certe melius respondet *emendata velocitas*.

34. *scribere nomina*] Vid. ad s. 30.

31 36 honestum aliquid monentes[a]. Prosequitur hæc memoria in senectutem, et impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, et electos[b], ex poetis maxime (namque eorum parvis cognitio gratior est) locos[c] edisce inter lusum licet. Nam et maxime
32 necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: et ea præcipue firmatur atque alitur exercitatione: et in iis, de quibus nunc loquimur, ætatibus, quæ nihil dum ipsæ
33 ex se generare queunt, prope sola est, quæ juvari cura
37 docentium possit. Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quo sit absolutius os, et expressior sermo, ut nomina quædam versusque affectatæ difficultatis ex pluribus
34 et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos, et velut confragosos, quam citatissime[d] volvant. Χαλεποὶ Græce vocantur: res modica dictu: qua tamen omissa, multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur.

II. (III.) Sed nobis jam paullatim accrescere puer, et exire de gremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur po-
35 tissimum loco tractanda quæstio est, Utiliusne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiæ scholarum, et velut publicis præceptoribus tra-
2 dere. Quod quidem cum iis, a quibus clarissimarum civitatium mores sunt instituti, tum eminentissimis auctoribus video placuisse. Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos, qui ab hoc prope publico more privata quadam persuasione dissentiant. Hi duas præcipue rationes sequi videntur: unam, quod moribus magis consulant, fugiendo turbam hominum ejus ætatis, quæ sit ad vitia maxime prona, unde causas turpium factorum sæpe extitisse utinam falso jactaretur; alteram, quod quisquis futurus est ille præceptor, liberalius tempora sua impensurus
3 uni videtur, quam si eadem in plures partiatur. Prior causa prorsus gravis: nam si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi[e] videretur. Sed mea quidem sententia juncta ista atque indiscreta sunt: neque enim esse oratorem, nisi bonum virum, judico; et fieri, etiam si posset, nolo: de hac re igitur prius.
4 Corrumpi mores in scholis putant: nam et corrumpuntur interim: sed domi quoque: adsunt[f] multa ejus rei ex-

[a] admonentes G. [b] electorum Jens. [c] quos G. *ut adeo ad poetas integros referatur.* [d] citissime G. [e] discendi *etiam* G. *et* Jens. [f] *Sic etiam* G. et sunt *al.*

empla, tam læſæ hercle, quam conſervatæ ſanctiſſime utrobique opinionis. Natura cujuſque [g] totum curaque diſtat. Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi cuſtodiendique in ætate prima pudoris: non minorem flagitiis occaſionem ſecreta præbuerint: nam et eſſe poteſt turpis domeſticus ille præceptor, nec tutior inter ſervos malos, quam ingenuos parum modeſtos converſatio eſt. At ſi bona ipſius indoles, ſi non cæca ac ſopita 5
parentum ſocordia eſt: et præceptorem eligere ſanctiſſimum quemque [h], (cujus rei præcipua prudentibus cura eſt) et diſciplinam, quæ maxime ſevera fuerit, licet; et nihilominus amicum gravem virum, aut fidelem libertum, lateri filii ſui adjungere, cujus aſſiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur [i]. Facile erat hujus metus remedium. Utinam liberorum noſtrorum mores 6
non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus: mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et [l] jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, quam os [m], inſtituimus. In 7
lecticis creſcunt: ſi terram attigerint, e manibus utrimque ſuſtinentium pendent. Gaudemus, ſi quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, riſu et oſculo excipimus: nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt. Noſtras amicas, noſtros con- 8
cubinos vident: omne convivium obſcenis canticis ſtrepit: pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his conſuetudo, deinde natura. Diſcunt hæc miſeri ante quam ſciant vitia eſſe: inde ſoluti ac fluentes non accipiunt e ſcholis mala [n] iſta, ſed in ſcholas afferunt. Verum in ſtudiis magis vacabit unus uni. Ante omnia nihil prohibet eſſe iſtum, neſcio quem unum, etiam cum eo, qui in ſcholis eruditur. Sed 9

[g] tamen *pro* cujuſque G. [h] *om.* G. [i] timebantur G. timebunt Jenſ.
[l] *om.* G. *et* Jenſ. [m] mores Jenſ. *Sed* os *in Gothano novum præſidium habet: ac reſpondent ſibi*, nondum prima verba exprimit, *et* os inſtituimus. [n] *om.* G.

4. *Natura—diſtat*] *Totum* illud de publica an privata inſtitutione, quod, ſi eventus modo ſpectes, unum et indifferens videtur, (cum utrobique et corrumpantur juvenes, et feliciter adoleſcant) *diſtat natura* cujuſque pueri et *cura* parentum; ut ſi bonam naturam diligenter cuſtodias, utrobique effici poſſit, quod probetur, ſi negligas, facile perdatur &c. Ipſe enim Fabius ſatis explicat.

8. *nihil prohibet*] Nimirum jungi jubet publicam cum privata inſtitutione, qua re nihil cogitari poteſt ſalutarius.

etiam si jungi utrumque non posset, lumen tamen illud [o] conventus honestissimi, tenebris ac solitudini prætulissem. Nam optimus quisque præceptor frequentia gaudet,
10 ac majore se theatro dignum putat. At vero minores ex conscientia suæ infirmitatis hærere singulis, et officio fun-
11 gi quodam modo pædagogorum non indignantur. Sed præstet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, ut doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem consumturus est? aut potest esse ulla tam perpetua discentis intentio, quæ non,
12 UT visus oculorum obtutu continuo, fatigetur? cum præsertim multo plus secreti [p] studia desiderent. Neque enim scribenti, edisceuti [q], et cogitanti præceptor affistit: quorum aliquid agentibus, cujuscumque [r] interventus impedimento est. Lectio quoque non omnis, nec semper, præeunte vel interpretante eget: quando enim tot auctorum notitia contingeret? Ergo modicum tempus est, quo in
13 totum diem velut opus ordinetur. Ideoque per plures ire possunt etiam quæ singulis tradenda sunt: pleraque vero hanc conditionem habent, ut eadem voce ad omnes simul perferantur. Taceo de partitionibus et declamationibus rhetorum: quibus certe quantuscumque numerus adhi-
14 beatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim vox illa præceptoris, UT cœna, minus pluribus sufficit; sed ut sol, universis idem lucis caloriscque largitur. Grammaticus quoque de ratione loquendi si differat, quæstiones explicet, historias exponat, poemata enarret: tot illa discent,
15 quot audient. At enim emendationi prælectionique numerus obstat. Sit incommodum, (nam quid fere undique

[o] illorum Jens. [p] temporis *inf.* G. Jens. *sed nihil eo opus est.* [q] *om.* Jens. *male.* [r] cujusque G.

10. *quodam modo pædagogorum*] Nimirum pædagogi servi plerumque, raro literati, vitæ et pudoris tutelæ potius, quam docendi provinciæ præfecti. Hodie in lautioribus privatorum familiis iidem fere privati præceptores et pædagogi: apud principes pueros atque juvenes major pædagogi persona, cum ipsis quoque præceptoribus sint præpositi.

13. *per plures ire*] Pluribus deinceps, uni post alterum operam dare potest præceptor unus, dum ii qui quasi acceperunt ab eo pensa, in illis perficiendis occupati sunt.

13. *de partitionibus*] *Positionibus* mallem h. e. thematibus, quæ a præceptoribus ut declamandi materia proponuntur; si Manuscripti addicerent. Sed neque *partitiones* non huc faciunt, cum totum fere declamandi, ex tempore præsertim, artificium in commoda partitione insit. Nunc *materias* vocant in scholis, itemque *dispositiones*. Vid. noster 2, 6, 1.

placet ?) mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eo mitti puerum volo, ubi negligatur. Sed neque præceptor bonus majore se turba, quam ut sustinere eam possit, oneraverit : et in primis ea habenda cura est, ut is omni modo fiat nobis familiariter amicus : nec officium in docendo spectet, sed affectum : ita numquam erimus in turba. Nec sane quisquam, literis saltem leviter imbutus, 16
eum, in quo studium ingeniumque perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. Sed ut fugiendæ sint magnæ scholæ, (cui ne ipse quidem rei assentior, si ad aliquem merito concurritur) non tamen hoc eo valet, ut fugiendæ sint omnino scholæ : aliud est enim vitare eas, aliud eligere. Et si [s] refutavimus quæ contra dicuntur, 17
jam explicemus, quid ipsi sequamur. Ante omnia, futu- 18
rus orator, cui in maxima celebritate et in media reipub. luce vivendum est, assuescat jam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria et [t] velut umbratili vita pallescere. Excitanda mens et attollenda semper est, quæ in hujusmodi secretis aut languescit, et quemdam VELUT in opaco situm ducit : aut contra tumescit inani persuasione; NECESSE est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini com-

[s] *Quid si legamus* sic? [t] ac umbrat. G.

16. *cui ne—assentior*] i. e. non placet mihi, fugiendas esse magnas eorum scholas, ad quos merito concursus fiant. Et si concedam etiam, magnas scholas esse fugiendas, tamen non continuo sequeretur, ut omnes in universum damnarem.

18. *pallescere*] Non interpretor ex communi significatione, qua dicimur *nulla pallescere culpa* : sed refero ad reconditiorem intellectum, quo ad situm, et corruptionem a quiete, humore admisso, et excluso aere ortam refertur, quem docent præsertim rei rusticæ scriptores. Varro 1, 67. *Pallidior fit ficus vetustate*. Loca aliquot Columellæ, ubi is *pallorem* ita accipit, dedimus in Lexico rei rusticæ, et adjunximus Vitruv. 6, 7. *Venti infundentes humidos spiritus, pallore volumina* (de bibliotheca loquitur) *corrumpunt*. Reconditiorem voco significationem: si enim cogitasset illam magnus alioqui poetarum sospitator Heinsius, non invisset emendatum Ovidium Met. 1, 374; aut Claudianum Consul. Olybr. 21, 2; et *pallere*, quod habent optimi libri, in alterum *squalere* mutasset. Laudat illa loca et auctoritatem Heinsii ad Fabii nostri declamat. 5, 19. p. 122. Burmannus, ubi *pallentes sordibus manus* retinendas equidem puto. Ita *Sardinia* recte *pallere* dicitur apud Silium 12, 373. Quin ipse *inferorum pallor*, de quo passim poetæ, sæpe idem significat quod princeps illorum dicit Æn. 6, 462. *loca senta situ*. Itaque Luca. 5, 628. (cujus locum non minus quam alterum Silii laudat laudatissimus Burmannus) retineam *infernæ domus pallorem*, cui *squalorem* substituit Cortius. Fabius ipse, quid sit *pallescere* mox dicit, *quemdam velut in opaco situm ducit*.

19 parat. Deinde cum proferenda ſunt ſtudia, caligat in
ſole, et omnia nova offendit[u], ut qui ſolus didicerit, quod
20 inter multos faciendum eſt. Mitto amicitias, quæ ad ſe-
nectutem uſque firmiſſimæ durant, religioſa quadam ne-
ceſſitudine imbutæ: NEQUE enim eſt ſanctius, ſacris iiſ-
dem, quam ſtudiis initiari. Senſum ipſum, qui commu-
nis dicitur, ubi diſcet, cum ſe a congreſſu, qui non homi-
nibus ſolum, ſed mutis quoque animalibus naturalis[x] eſt,
21 ſegregarit? Adde, quod domi ea ſola diſcere poteſt, quæ
ipſi præcipientur[z]; in ſchola, etiam quæ aliis. Audiet
multa quotidie probari, multa [a]corrigi: proderit alicujus
22 objurgata deſidia: proderit laudata induſtria: excitabitur
laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum ſupe-
raſſe majores. Accendunt omnia hæc animos: et licet
ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſſa virtutum
23 eſt. Non inutilem ſcio ſervatum eſſe a præceptoribus
meis morem, qui cum pueros in claſſes diſtribuerant, or-
dinem dicendi ſecundum vires ingenii dabant: et ita ſu-
periore loco quiſque declamabat, ut præcedere[b] profectu
24 videbatur. Hujus rei judicia præbebantur: ea nobis in-
gens palmæ contentio: ducere vero claſſem, multo pul-
cherrimum. Nec de hoc ſemel decretum erat: tricesi-
mus dies reddebat victo certaminis poteſtatem: ita nec
ſuperior ſucceſſu curam remittebat, et dolor victum ad
25 depellendam ignominiam concitabat. Id nobis acriores
ad ſtudia dicendi faces ſubdidiſſe[c], quam exhortationes
docentium, pædagogorum cuſtodiam, vota parentum,
quantum animi mei conjectura colligere poſſum, conten-
26 derim. Sed ſicut firmiores in literis profectus alit æmu-
latio, ita incipientibus, atque adhuc teneris, condiſcipulo-
rum quam præceptoris jucundior, hoc ipſo quod facilior,
imitatio eſt. Vix enim ſe prima elementa ad ſpem tollere
effingendæ, quam ſummam putant, eloquentiæ audebunt:
proxima amplectuntur magis, UT vites arboribus applici-
tæ[d], inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina
27 evadunt. Quod adeo verum eſt, ut ipſius etiam magiſtri,
ſi tamen ambitioſis utilia præferet, hoc opus ſit, cum ad-
huc rudia tractabit ingenia, non ſtatim onerare infirmita-
tem diſcentium, ſed temperare vires ſuas, et ad intellec-
28 tum audientis deſcendere. Nam UT vaſcula oris anguſti

[u] offendunt, veluti qui G. *offendunt et perturbant novum oratorem nova.* Et ad omnia nova off. *ſuſpicat.* Heuſ. [x] communis G. [z] præcipiuntur G.
[a] quotidie *inſ.* Jenſ. [b] procedere G. [c] addidiſſe G. [d] applicatæ G.

ſuperfuſam[e] humoris[f] copiam reſpuunt: ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillatis[g] complentur: ſic animi puerorum quantum excipere poſſint, videndum eſt.: nam majora intellectu, velut parum apertos[h] ad percipiendum animos non ſubibunt. Utile igitur eſt habere, quos imi- 29
tari primum, mox vincere velis[i]: ita paullatim et ſuperiorum ſpes erit. His adjicio, præceptores ipſos non idem mentis ac ſpiritus in dicendo poſſe concipere ſingulis tantum præſentibus, quod illa celebritate audientium inſtinctos. Maxima enim pars eloquentiæ conſtat animo: hunc 30
affici, hunc concipere imagines rerum, et transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, neceſſe eſt. Is porro, quo generoſior celſiorque eſt, hoc majoribus velut organis commovetur: ideoque et laude creſcit, et impetu augetur, et aliquid magnum agere gaudet. Eſt quædam tacita dedignatio, vim dicendi tantis 31
comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere: pudet ſupra modum ſermonis[k] attolli. Et ſane concipiat quis mente vel declamantis habitum, vel orantis vocem, inceſſum, pronuntiationem, illum denique animi et corporis motum, ſudorem, ut alia præteream, et fatigationem, audiente uno; nonne quiddam pati furori ſimile videatur? Non eſſet in rebus humanis eloquentia, ſi tantum cum ſingulis loqueremur.

III. (IV.) Tradito ſibi puero, docendi peritus ingenium ejus in primis naturamque perſpiciat[l]. Ingenii ſignum in parvis præcipuum, memoria eſt. Ejus duplex virtus,

[e] ſuperfluam G. [f] humorum MS. vid. Miſc. Obſ. Vol. I. p. 140. [g] inſtillantibus G. Jenſ. [h] aptos G. Jenſ. *ſed ortum ex nota:* apertos *merito probant viri docti.* [i] velit G. [k] ſermones attollere G. Jenſ. [l] proſpiciat Jenſ. perſpiciet G.

30. *majoribus velut organis*] Non ineptum videtur ad hydraulica et pneumatica organa referri, quæ magna machinatione conſtant, et ſonos ingentes edunt. Alias etiam ad animos ac ſpiritum dicentis transferri formulas, quæ ad inſtrumenta ἐμπνευστὰ pertinent, vel ex illo Sophocleo conſtat, quod laudant Cicero Att. 2. 16. atque Longinus, 1, 3.

Φυσᾷ γὰρ ὁ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φοροῦσίας ἄτερ.

31. *ſupra modum ſermonis attolli*] Qui hic mutarunt aliquid, vim nominis *ſermonis* non adſecuti ſunt: pudet eum, qui cum uno auditore eſt attollere ſe, et voce uti majore, quam in ſermone quotidiano et familiari inter paucos utimur.

31. *quiddam pati*] More verbi Græci πάσχειν non tam ad agentem aliquem refertur, quam interiorem adfectionem animi ſignificat.

facile percipere, et fideliter continere. Proximum, imitatio: nam id quoque eſt docilis naturæ; ſic tamen, ut ea, quæ diſcit, effingat, non habitum forte et inceſſum [m], et ſi
2 quid in pejus notabile eſt. Non dabit mihi ſpem bonæ indolis, qui hoc imitandi ſtudio petet, ut rideatur: nam probus quoque in primis erit ille vere ingenioſus; alioqui non pejus duxerim [n] tardi eſſe ingenii, quam mali. Pro-
3 bus autem ab illo ſegni et jacente plurimum aberit. Hic meus, quæ tradentur, non difficulter accipiet: quædam etiam interrogabit: ſequetur tamen magis, quam præcurret. Illud ingeniorum velut præcox [o] genus, non temere
4 umquam pervenit ad frugem. Hi ſunt, qui parva facile faciunt: et audacia provecti, quidquid illic [p] poſſunt, ſtatim oſtendunt. Poſſunt autem [q] id demum, quod in proximo eſt: verba continuant: hæc [r] vultu interrito, nulla tardati verecundia, proferunt: non multum præſtant, ſed
5 cito: non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus nititur: UT quæ ſummo ſolo ſparſa ſunt ſemina, celerius ſe effundunt: et imitatæ ſpicas herbulæ, inanibus ariſtis ante meſſem flaveſcunt. Placent hæc annis comparata;
6 deinde ſtat profectus, admiratio decreſcit. Hæc cum animadverterit, proſpiciat [s] deinceps, quonam modo tractandus ſit diſcentis animus. Sunt quidam, niſi inſtiteris, remiſſi: quidam imperia indignantur [t]: quoſdam continet metus, quoſdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis

[m] ingreſſum *legi vult ex libris et aliis locis Fabii Davis. ad Cicer. de N. D.* 1, 34. [n] dixerim G. *et* al. [o] præceps G. *cum* al. [p] illi G. Jenſ. c. al. illud *in addendis poſt Gronovium videtur probare Burm.* illico *conj. Gebhardi.* [q] tamen G. [r] ac G. *utrumque non male.* [s] *Sic* G. *et* MSS. al. perſp. Bur. [t] dedignantur G. *a prima manu*; *et* Bodl. *quod fere prætulerim.*

1. *quæ diſcit, effingat*] h. e. accurate exprimat, ut nihil recedat ab formula quaſi præſcripta: v. g. præit præceptor literæ ſcribendæ rationem et quaſi tractum, tradit pronuntiationem et quaſi cantum periodi alicujus, oſtendit quo geſtu aliquid agendum ſit: quo quis iſta felicius adſequetur et effinget, tanto plus imitando valere illum intelligemus.

3. *præcox genus*] Magis fere placet alterum, *præceps*, ut propius referatur ad illud *præcurret*. Et ſane *præcox* non eſt in vitio, cum feſtinatam quidem ſed maturitatem tamen ſignificet. Sed *præcipitantia* damnatur merito.

4. *quidquid illic poſſunt*] Mihi videbatur hic locus ita conſtituendus, *quidquid poſſunt illico oſtendunt*. Adſcripſerat aliquis rariori adverbio gloſſam *ſtatim*: ea deinde locum illius occupavit, et fecit ut ipſum varie jactaretur.

6. *alios continuatio extundit*] Nihil mutandum. Vid. quæ Bentl. ad Hor. Sat. 2, 2, 14. *Alios* continuatum præceptoris ſtudium denique *extundit* h. e. perficit, ac tales

plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus exci- 7
tet, quem gloria juvet, qui victus fleat: hic erit alendus
ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit;
in hoc desidiam numquam verebor. Danda est tamen 8
omnibus aliqua remissio: non solum, quia NULLA res est,
quæ perferre possit continuum laborem; atque ea quoque,
quæ sensu et anima carent, ut servare vim suam possint,
velut alterna quiete retenduntur [u]: sed quod studium dis-
cendi voluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaque et 9
virium plus afferunt ad discendum renovati ac recentes,
et acriorem animum, qui fere necessitatibus repugnat.
Nec [x] me offenderit lusus in pueris: est et hoc signum 10
alacritatis: neque illum tristem, semperque demissum,
sperare possum [z] erectæ circa studia mentis fore, cum in
hoc quoque, maxime naturali [a] ætatibus illis, impetu ja-
ceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium stu- 11
diorum faciant negatæ, aut otii consuetudinem nimiæ.
Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non in-
utiles lusus, quum positis invicem cujusque generis quæ-
stiunculis æmulantur. Mores quoque se [b] inter ludendum 12
simplicius detegunt. Modo nulla videatur ætas tam in-
firma, quæ non protinus quid rectum pravumque sit, dis-
cat, tum vel maxime formanda, cum simulandi nescia est,
et præcipientibus facillime cedit: FRANGAS enim citius,

[u] retinentur *cum optimis quibusquam Codd. etiam* G. [x] Non G. [z] possim G. [a] naturalis impetus G. *non male.* [b] inter se ludendo G. *bene.*

reddit, quales volumus. Si legamus *aliis* quæ elegans Burmanni conjectura est, desiderabitur, quod extundatur, sed facile supplebitur.

7. *qui victus fleat*] Motus enim generosioris et impetus magni indicium. Novi ego magnos in suo genere homines, quorum pueritia ob flendi facilitatem cognomine etiam traducebatur. Exstat summi in literis hominis Ang. Politiani ad Laurentium Medicem epistola, qua illum æquo animo ferre jubet, tanquam signum generosæ indolis, iracundiam filii sui, ubi hoc loco ita utitur, (Fac. Grut. To. 1. p. 122.) *Qui victus ploret, victor insultet:* ex memoria, credo, citavit locum. Cæterum non possum non adscribere, quæ divinitus ille Politianus, p. 124. *Ut boni agricolæ nihilo minus noxias frugibus plantas herbasque convellere atque exstirpare solent, quod fœcundi soli ingenium ex illis animadverterint; ita profecto parentes ac magistros nihilo magis teneris adhuc vitiis indulgere oportet, quod ea optimæ ingenuæque naturæ documenta præbuerint.*

8. *retenduntur*] *Retinere* esse servare, bene hic docet Burmannus. Sed nescio tamen quomodo *retenduntur* quod ab Aldo est, magis Quinctilianum olere mihi videtur, inprimis propter illud *velut*, translationis indicem: aperte enim similitudo de arcu et tormentis petitur.

13 quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus eſt puer: habendumque in animo ſemper illud Virgilianum:

Adeo in [c] *teneris conſueſcere multum eſt.*

14 Cædi vero diſcentes, quamquam et receptum ſit, et Chryſippus non improbet, minime velim: primum, quia deforme atque ſervile eſt, et certe, quod convenit, ſi ætatem mutes, injuria: deinde, quod ſi cui tam eſt mens illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut peſſima quæque mancipia, durabitur: poſtremo, quod ne opus erit quidem hac caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum
15 exactor adſtiterit [d]. Nunc fere [e] negligentia pædagogorum ſic emendari videtur [f], ut pueri non facere, quæ recta ſunt, cogantur, ſed, cum [g] non fecerint, puniantur. Denique cum parvulum verberibus coegeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi poteſt hic metus, et majora diſcen-
16 da ſunt? Adde quod multa vapulantibus dictu deformia, et mox verecundiæ futura, ſæpe dolore vel metu accidunt: qui pudor refringit [h] animum, et abjicit, atque ipſius lucis fugam et tædium dictat. Jam ſi minor in deligendis [i] cuſtodum et præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere, in quæ probra nefandi homines iſto cædendi jure abutantur, quam det aliis quoque non numquam oc-
17 caſionem hic miſerorum metus. Non morabor in parte hac: nimium eſt quod intelligitur. Quare hoc dixiſſe

[c] a teneris aſu. G. *eadem varietas in Virg. Georg.* 2, 272. [d] exſtiterit G. [e] vero G. [f] videntur, *ut* negligentia *ſit abl.* Bur. [g] cur G. [h] refrangit G. [i] eligendis G.

14. *Cædi—diſcentes*] Utinam ex alta turri concionari quis omnibus, qui uſque quaque ſunt, pædagogis hoc poſſet. Non condonanda ſunt parvis pueris peccata; revocandi etiam plagis a pernicie, quibus per imbecillitatem judicii conſuli aliter non poteſt. Sed non putandum eſt poſſe plagis effici, ut diſcat puer, ut diligens ſit. Orbilii plagoſi majorem partem puerorum corrumpunt, ut ſtudia oderint ante, quam norunt. Pulſate, ſi ita videtur, petulantes, coercete verberibus maledicos; ſed cunctantes, pigros, negligentes alia quavis arte excitate. Col. 6, 2, 11. *Utilius eſt, citra corporis vexationem fame potius et ſiti cubitorem bovem emendare.*

15. *negligentia—videtur*] Sic dedimus ex Gothano. Negligentia pædagogorum, quæ permittit peccare pueris, emendatum itur pœnis, cum tamen propoſitum eſſe hoc omnibus debeat, qui alios regunt, ut *cavere malint peccata quam ulciſci.*

satis est, in ætatem infirmam, et injuriæ obnoxiam, nemini debere[l] nimium licere. Nunc quibus instituendus sit 18
artibus[m], qui sic formabitur, ut fieri possit orator, et quæ in quaque ætate inchoanda[n], dicere ingrediar[o].

IV. (V.) Primus in eo, qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, grammaticis est locus. Nec refert, de Græco an de[p] Latino loquar; quamquam Græcum esse priorem placet: utrique eadem via est. Hæc igitur 2
professio, cum breviſſime in duas partes dividatur *recte loquendi* scientiam et *poetarum enarrationem*; plus habet in recessu quam[q] fronte promittit. Nam et scribendi ratio 3
conjuncta cum *loquendo* est, et enarrationem[r] præcedit *emendata lectio*, et mixtum his omnibus *judicium* est: quo[s] quidem[t] ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditicios submovere familia permiserint sibi; sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Nec 4
poetas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modo, sed verba, quæ frequenter jus ab auctoribus sumunt. Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta, cum ei de metris rhythmisque dicendum sit: nec si rationem siderum ignoret, poetas intelligat; qui (ut alia mittam) toties[u] ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur: nec ignara philosophiæ, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Græcis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui præcepta sapientiæ versibus tradiderunt. Eloquentia quoque non medio- 5
cri est opus, ut de unaquaque earum, quas demonstravimus, rerum, dicat proprie et copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem, ut tenuem ac jejunam, cavillantur: QUÆ nisi oratori[x] futuro fundamenta fideliter jecerit, quidquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quæ vel sola omni studiorum genere plus habet operis[z], quam

[l] debet G. [m] puer *inf.* G. *et* Jens. [n] incohanda G. [o] aggrediar G. [p] *om.* G. [q] prima *inf.* G. *recte, puto.* [r] narrationem G. Jens. *male.* [s] quod G. [t] quidam Jens. [u] totiens *et* quotiens *fere semper* G. *ex disciplina Marii Victorini p.* 2469. *Putsch.* [x] oratoris futuri G. Jens. *et a. apud* Bur. [z] opis G.

6 oſtentationis. Ne quis igitur tamquam parva faſtidiat grammatices elementa: non quia magnæ ſit operæ, conſonantes a vocalibus diſcernere, ipſaſque eas in ſemivocalium numerum, mutarumque partiri; ſed quia interiora velut ſacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum ſubtilitas, quæ non modo acuere ingenia puerilia, ſed exercere 7 altiſſimam quoque eruditionem ac ſcientiam poſſit. An cujuſlibet auris eſt exigere literarum ſonos? non Hercule magis, quam nervorum. At grammatici ſaltem omnes in hanc deſcendent rerum tenuitatem, deſintne aliquæ nobis neceſſariæ literæ, non quum Græca ſcribimus (tum [a] enim ab iiſdem duas mutuamur) ſed proprie in Latinis, ut in his *Servus*, et *Vulgus*, Æolicum digamma deſideratur. 8 Et medius eſt quidam V et I literæ ſonus. Non enim ſic *optimum* dicimus, ut *opimum* [c]: et in *Here*, neque E 9 plane neque I auditur. An rurſus aliæ redundent, præter illam aſpirationis notam [d] Ⱶ, quæ ſi neceſſaria eſt, etiam contrariam [e] ſibi poſcit Ⱶ: ut K, quæ et ipſa quorumdam nominum nota eſt: et Q, an cujus ſimilis effectu [f] ſpecie-

[a] tunc enim ab ipſis G. [b] digammon G. Jenſ. *et* MSS. al. *apud* Bur. [c] optumum G. Jenſ. [d] daxiam G. [e] exrariam G. [f] *Sic* G. *cum* MSS. *al.* effectus ſpecieſque *al.*

7. *Æolicum digamma*] De Digamma vid. Grammatici v. g. Priſcia. 1. p. 542. ſqq. Mar. Victori. p. 2468. ed. Putſch. et quos hic laudat Burmannus. Nos hoc tantum monemus, Fabio judice Latinæ linguæ deeſſe literam propriam ac peculiarem, qua indicetur ſonus, quem tribuimus τῇ V inter duas vocales poſitæ, quam Æolum ⅁ exprimi voluerat Claudius, ſed cui ut in aliis præclaris legibus v. g. de flatibus ventris emittendis, non obſecuti ſunt poſteri.

8. *ut opimum*] Hanc lectionem ſervandam putavi. Vult Fabius medium eſſe ſonum et interjectum inter I et V. Si enim ita clare I exaudiretur in *optimus* atque percipitur in *opimus*, qui factum eſſet, ut pro *optimus* etiam *optumus* diceretur ſcribereturque?

9. *aſpirationis notam*] Quid ſibi vult *daxiam* illud, quod Gothæ legi pro *notam* indicavimus? Scripſit aut ipſe, quod arbitror, Quinctilianus, aut qui interpretari illum vellet, δασεῖαν ſive ΔΑΣΕΙΑΝ, quod ſpiritus aſperi ſive denſi Græcum nomen eſſe conſtat. Vicinæ figura Σ et Ξ; cognatæ ſono, apud recentiores certe, X et S. Itaque X pro duplici S poſitum in Columella Lipſienſi et alias ſexcenties, obſervavimus.

9. *ut K, quæ et*] Ita ſcribere auſus ſum pro *et K*: primum enim hoc eſt exemplum, quo illuſtrat Fabius quod propoſuerat, quaſdam literas redundare, *ut K*,—*et Q*,—*et X*. Cæterum K (verba ſunt Scauri in Orthogr. p. 2252. Putſch.) *retenta eſt, quoniam notas quaſdam ſignificaret ut* Keſonem, *ut* Kaput, *et* Kalumniam *et* Kalendas &c. Add. noſter, 1, 7, 10.

que, nisi quod paullum a nostris obliquatur, *Koppa* [g] apud Græcos nunc tantum in numero manet: et nostrarum ultima X, qua tamen carere potuimus [h], si non quæsissemus. Atque etiam in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia *Jam* sicut *Tam* scribitur, et *Quos* ut *Cos*. At quæ ut vocales jungun- tur [i], aut unam longam faciunt, ut veteres scripsere [j], qui geminatione earum, velut apice, utebantur; aut duas: nisi quis [m] putat etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri; quod nequit, si non aliquæ officio consonantium fungan- tur. Quæret etiam hoc, quomodo duabus demum vocali- bus in seipsas coeundi natura sit, cum consonantium [n] nulla,

[g] K. G. Cappa Jens. *et rel.* [h] quam *inf.* G. [i] jungantur Jens. [j] scriptores Jens. [m] quas G. [n] coeat *hic inf. editt. a Stephano inde: ignorant cum optimis quibusque* G. *et* Jens.

9. *Koppa apud Græcos*] Sic optime reposuit Burmannus obsecutus doctissimo I. B. apud Montfaucon- nium in Palæogr. Græca p. 569. Add. quæ ad Κοππατίαν Aristophanis Nub. v. 23. a Scaligero et Salmasio Kusterus. *Koppa* Græcorum קוֹף Kuph Ebræorum respondens ut figura et ordine ita etiam potestate, *nonaginta* notat in numeris, soni sibi subjectam potestatem apud illos diu est cum non habet; habuisse quidem, Quinctilianus videtur innuere: Q Latinum etiam non multum abhorret ab figura Ebræorum Græcorumque, nisi quod cauda ad perpendiculum apud illos descendens, a Latinis aliquantum sinuatur et obliquatur.

9. *nostrarum ultima X*] Nam Z non nostra h. e. Latina est, verum Græca: carere ea potuissent, ut diu caruere X, CS pro ea adhibentes.

10. *quia Jam sicut Tam*] Ita intelligo: *jam* scribitur et pronuntiatur pro monosyllabo non minus quam *tam*; ergo I non est vocalis in ea voce sed consonans: *quos* ut *cos*; itaque ו V vim vocalis non habet: neque junguntur in his vocibus I et A, itemque V et O ut vocales.

10. *velut apice*] *Apex* signum est syllabæ longæ: vid. noster 1, 7, 2. Sic Mar. Victori. Artis 1. p. 2469. Putsch. *In defruto* (ita leg. non *defrudo*) *apicem secundæ syllabæ imponere debetis* &c. Igitur *feelix* idem valet quod *felix* &c. vid. ad 1. 5, 23. it. 1, 7, 14.

10. *aut duas*] Intell. syllabas, ut ipsa vox *duas*.

11. *cum consonantium nulla*] Tenebras huic loco objecerat vox *coeat* intempestive intrusa. Hac bonis auctoribus jam ejecta, ita interpretari locum licebit. *Vocalibus est natura in se ipsas coeundi*, h. e. ita junguntur non nunquam vocales eædem, ut quasi colliquescant et altera alteri serviat, cedat, frangi se ab ea et comminui patiatur, ut duæ vocales non amplius duarum vocalium vim habeant, sed altera transeat in consonantem. *Conjicit* non sunt quatuor syllabæ, sed modo tres; neque secunda producitur, sed manet correpta; verum prius *i* accipit vim consonantis. Diversa consonantium, quoties juxta se eædem bis ponuntur, ratio. In verbo *addit* utrumque *d* plenam suam vim retinet, positionemque efficit. Sed *frangit* interdum una consonans *alteram* a se diversam nimirum, et secum rapit. Sic liquidæ frangunt mutas, h. e. cum illis ita coeunt, ut in eadem syllaba pronuncientur, eaque causa præcedentem brevem non producant necessario, sed brevem esse

nisi alteram frangat. Atqui litera I sibi insidit; *Conjicit* enim est ab illo *Jacit:* et V, quomodo nunc scribitur *Vulgus* et *Servus*. Sciat etiam Ciceroni placuisse *Aiio* [o] *Maiiamque* geminata I scribere: quod si est, etiam jungetur ut consonans. Quare discat puer, quid in literis proprium, quid commune, quæ cum quibus cognatio: nec miretur, cur ex *Scamno* fiat *Scabellum*, aut a *pinna* (quod est acutum) securis utrimque habens aciem *Bipennis:* ne illorum sequatur [p] errorem, qui, quia a pennis duabus hoc esse nomen existimant, *pinnas* [q] avium dici volunt. Neque has modo noverit mutationes, quas afferunt declinatio, aut præpositio, ut *fecat secuit, cadit excidit, cædit cecidit* [r], *calcat exculcat*: et sic [s] a *lavando lotus*, et inde rursus *illotus* et mille alia: sed et quæ [t] rectis quoque casibus ætate transierunt: nam ut *Valesii* et *Fusii* in *Valerios Furiosque* venerunt; ita *arbos, labos, vapos* etiam et *clamos* ac *lases*, ætatis fuerunt. Et hæc ipsa S litera ab his nominibus excluſa, in quibusdam ipsa alteri succesſit: nam *mertare* atque *pultare* dicebant: quin *fordeum* [u] *fœdusque*, pro

[o] ait aiiamque G. aiio *plane om. et solum* aiiamque *agnoscit* Jens. [p] sequar G. [q] pennas G. *et al. apud Bur.* G. excidit *in Add.* [r] excudit *Bur. Jens. quod forte optimum.* [s] sit *Jens. et al. ap. Burm.* [t] a *inf.* G. [u] fœdum *Camerario auctore plures.* fordeum *cum reliquis* G.

patiantur. Unice huc facit ipsius Quinctiliani locus 12, 10, 29. ubi *F litera consonantem* dicitur *frangere*, idque in ipso verbo *frango* usu venire.

11. *quomodo nunc scribitur*] Antiquiores enim non *vulgus, servus*, scribebant, sed *volgus, servos*. vid. post alios Cl. Pontedera in Addendis ad Scriptt. Rei Rust. p. 1282. Locus classicus est Prisciani 1. p. 554. In his nominibus *sibi insidit V*, h. e. juxta se invicem ponitur, sed ita ut prius vocalem exuat et consonans fiat, quo coire propius et applicare se ad alterum possit. Add. 1, 7, 26.

11. *etiam jungetur ut consonans*] Pronunciando, ne *aiio* et *Maiiam* tribus aut plane quatuor syllabis pronuncies, sed duabus.

12. *pinnas avium*] Quos reprehendit Fabius, ii sic argumentabantur. Duo sunt vicina nomina *penna* et *pinna*: acumen alterum, alterum vestem avium notat. Jam *Bipennis* non est dicta ab avium veste, sed ab acumine: ergo *penna* est acumen; *pinna* autem relinquenda avibus. Falso illi quidem; cum cognatæ *e* et *i* facile permutentur. Quæ de *pinnis* et *pennis* adnotavimus, ea placent etiam doctissimo Cannegietero ad Avia. fab. 2. p. 18, b.

14. *fordeum fœdusque*] Hanc scriptionem major certe pars probat; puto etiam melior, licet ab altera parte Camerarium videam. Illud quidem intelligitur, F, vel digamma Æolicum, permutatum esse cum adspiratione; ut pro *hœdo, hordeo, Fœdum Fordeum* dixerint: qua de re multa Velius Longus de Orthogr. p. 2230. Putsch. Scaurus ibid. p. 2252. Hispanorum linguam hac permutatione frequenter uti, jam monuimus ad Varr. de R. R. 2, 5, 6. Verba *vau similis litera* sunt periphrasis ipsius digammi. Priscia. l. c. *Placuit loco digamma V pro consonante; quod cognatione soni*

aſpiratione, vau[x] ſimili litera utentes: nam contra Græci adſpirare ſolent Φ, ut pro Fundanio Cicero teſtem, qui 15
primam ejus literam dicere non poſſet, irridet. Sed B[z]
quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde[a] *Burrus* et *Bruges*, et *Balæna*. Nec non eadem fecit ex *duello bellum*, unde *Duellios*[b] quidam dicere *Bellios* auſi. Quid[c] 16
ſtlotum[d] *ſtliteſque?* Quid T literæ cum D quædam cognatio? Quare minus mirum, ſi in vetuſtis operibus urbis noſtræ, et celebribus templis legantur[e] *Alexanter* et *Caſſantra*. Quid O atque V permutatæ invicem? ut *Hecoba* et *notrix*, *Culchides*, et *Pulyxena*[ee], ſcriberentur: ac, ne in Græcis id tantum notetur, *dederont*, ac *probaveront*. Sic Ὀδυσσεὺς
quem Ὄδυσσεα fecerunt Æoles, ad *Ulyſſem*[f] deductus eſt. 17
Quid? non E quoque I loco fuit? ut *Menerva*, et *leber*, et *mageſter*, et *Diiove* et *Veiove*, pro *Diiovi*[g] et *Veiovi?* Sed mihi locum ſignare ſatis eſt. Non enim doceo, ſed admoneo docturos. Inde in ſyllabas cura tranſibit, de quibus in

[x] vel ſimili G. Jenſ. F. vel ſimili Patiſſo. [z] V Goth. male. [a] Utyde Vyrrus et Vurges et Velena G. [b] Duellos—Bellos *cum aliis ap. Bur. etiam G. Nimirum non proprium nomen eſt, ſed adjectivum, ut ex Vet. Gl. hic Colomeſius laudat, Duellus* πολὺς *&c.* [c] *om.* G. [d] Stlocum *al.* Stlatum *al. apud Burm. pro* locum *nempe et* latum. [e] legatur G. [ee] Pulixena G. [f] Ulixem G. [g] Die Jove victore pro Dii Jovi. Sed G. divovi *&c.* Jenſ.

videbatur affinis eſſe digamma ea litera. Et p. 545. *V vero loco conſonantis poſita eandem prorſus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Æoles digamma F. Unde a pleriſque ei nomen hoc datur, quod apud Æoles olim habuit F digamma, id eſt vau, ab ipſius voce profectum* &c. Nimirum digamma illud lenius aliquanto et ſine adſpiratione efferebant Æoles. vid. no. ſeqq.

14. *Græci adſpirare ſolent* Φ] Eſt enim Φ inventa pro Π et H ſ. ſpiritu aſpero: Priſci. 1. p. 542. *Atque hoc ſolum intereſt* (eodem teſte p. 543.) *inter f et ph, quod non tam fixis labris eſt pronuncianda f quomodo ph.* Hinc intelligitur, quid peccaverit teſtis Græculus.

15. *Burrus et Bruges*] Cic. Orat. 48. Burrum *ſemper Ennius, nunquam* Pyrrhum: Vi patefecerunt Bruges, *non* Phryges. *Balænam* eſſe Φάλαιναν, notum. Pro *Balæna* eſt in Gothano *belena*, quod cum agnoſcat etiam Priſcianus l. 1. p. 547. Putſch. Cannegieterus diſſ. de Aviano c. 7. p. 257. defendit, et intelligit *tribum Velinam*, ut *Boltinia* dicta pro *Voltinia*.

15. *Duellios quidam*] Vid. Cic. Orat. 45. Cæterum *Duilios* et *Bilios* malint Pe. Ciacconius ad Column. roſtr. et Merula ad Ennium p. 59. *Duellum* autem etiam pro *bello* adjectivo, et *virgines duellas* dictas eſſe, ex Gloſſis Forneri hic oſtendit Colomeſius. Cæterum illa permutatio etiam inde apparet, quod ex *duo bis* et *bini* derivantur, pro *duis* et *duini*. Sed omnia, credo, quæ adhuc oblata ſunt hujus rei exempla collegit Menagius Amœnit. jur. civ. in *Bona*: nam et hæc *Duona*.

17. *Diiove et Veiove*] P. Merula ad Enn. p. 58. in antiquiſſimo libro legi ait *divone victore pro divoni*: unde conjicit *duone victores pro boni*.

orthographia pauca adnotabo. Tum videbit ad quem hoc pertinet, quot et quæ ſint partes orationis: quamquam
18 de numero parum convenit. Veteres enim, quorum fuerunt Ariſtoteles atque Theodectes, *verba* modo et *nomina* et *convinctiones* [h] tradiderunt: videlicet [i] quod in verbis vim ſermonis, in nominibus materiam, (quia alterum eſt quod loquimur, alterum de quo loquimur) in convinctionibus autem complexum eorum eſſe judicaverunt, quas *conjunctiones* [k] a pleriſque dici ſcio, ſed hæc videtur ex συνδέσμῳ
19 magis propria tranſlatio. Paullatim a philoſophis, ac maxime Stoicis, auctus eſt numerus: ac primum convinctionibus *articuli* adjecti, poſt *præpoſitiones*; nominibus *appellatio*, deinde *pronomen*, deinde mixtum verbo *participium*, ipſis verbis *adverbia*. Noſter ſermo articulos non deſiderat, ideoque in alias partes orationis ſparguntur. Sed ac-
20 cedit ſuperioribus *interjectio*. Alii tamen [m] ex idoneis duntaxat auctoribus octo partes ſecuti ſunt, ut Ariſtarchus, et ætate noſtra Palæmon, qui *vocabulum*, ſive *appellationem*, nomini ſubjecerunt, tamquam ſpecies [n] ejus. At ii, qui aliud *nomen*, aliud *vocabulum* faciunt, novem. Nihilominus fuerunt, qui ipſum adhuc *vocabulum* ab *appellatione* diduceret, ut eſſet *vocabulum* [o], corpus viſu tactuque manifeſtum, *domus*, *lectus*; *appellatio*, cui vel alterum deeſt, vel utrumque, *ventus*, *cœlum*, *deus*, *virtus*. Adjiciebant et *aſſevera-*
21 *tionem*, ut *heu*: et *attractationem* [p], ut *faſceatim*: quæ mihi non approbantur. *Vocabulum*, an *appellatio* dicenda ſit
22 προσηγορία et ſubjicienda nomini, necne, quia parvi refert, liberum opinaturis relinquo. Nomina declinare et verba in primis pueri ſciant: neque enim aliter pervenire ad intellectum ſequentium poſſunt, quod etiam monere [q] ſupervacuum fuerat [r], niſi ambitioſa feſtinatione plerique a poſ-
23 terioribus inciperent: et dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſiora malunt, compendio morarentur. At ſi quis et didicerit ſatis, et (quod non minus deeſſe interim ſolet) voluerit docere quæ didicit, non erit contentus tradere in nominibus tria genera, et [s] quæ ſint duobus omnibuſve

[h] conjunctiones G. *hic et p. p. male.* [i] et *inf.* G. *hic et p. p.* [k] ſubjunctiones G. *Nimirum ante paullo legerat* conjunctiones, *et hic diverſum requiri ſenſit.* [m] autem G. [n] *forte leg.* ſpecimen. [o] ad *inf.* G. [p] tractationem G. attractationem Jenſ. [q] admonere G. [r] erat G. [s] ea *inf.* G. taut *inf.* G. Jenſ.

19. *in alias partes or. ſparg.*] Si ſana eſt lectio, ita forte interpreteris; articulorum Græcorum vis apud Latinos ſpargitur in alias partes orationis. V. G. ὁ ἄλλος alter, ἄλλος alius &c.

communia. Nec ſtatim diligentem putabo, qui *promiſcua*, 24
quæ et *epicœna* dicuntur, oſtenderit, in quibus ſexus uter-
que per alterum apparet: aut quæ feminina poſitione
mares, neutrali *feminas* ſignificant, qualia ſunt, *Muræna*,
et *Glycerium*. Scrutabitur mille [u] præceptor acer atque 25
ſubtilis origines nominum: ut [x] quæ ex habitu corporis [z]
Rufos Longoſque fecerunt; (ubi [a] erit aliud ſecretius, ut
Sullæ, *Burrhi*, *Galbæ*, *Planci*, *Panſæ*, *Scauri*, taliaque;) et
ex caſu naſcentium; hinc *Agrippa*, et *Opiter*, et *Cordus*, et
Poſthumus erunt: et ex iis, quæ poſt natos eveniunt; unde
Vopiſcus. Jam *Cottæ*, *Scipiones*, *Lænates*, *Serani* [c] ſunt, et
ex variis cauſſis. Gentes quoque ac loca, et alia multa 26
reperias inter nominum cauſſas. In ſervis jam intercidit
illud genus, quod ducebatur a domino, unde *Marcipores*,
Publiporeſque [d]. Quærat etiam, ſitne apud Græcos vis
quædam ſexti caſus, et apud nos quoque ſeptimi. Nam
cum dico [e], *haſta percuſſi*, non utor ablativi natura; nec,
ſi idem Græce dicam, dativi, τῷ δορί [f]. Sed in verbis quo- 27
que quis eſt adeo imperitus, ut ignoret genera, et qualita-
tes, et perſonas, et numeros? Literarii pene iſta ſunt ludi
et trivialis ſcientiæ. Jam quoſdam illa turbabunt, quæ
declinationibus non tenentur. Nam et quædam, *partici-
pia*, an *verbi appellationes* ſint, dubitari poteſt, quia aliud
alio loco valent [g], ut *lectus* et *ſapiens*. Quædam verba [h] 28
appellationibus ſimilia, ut *fraudator*, *nutritor*. Jam [i], *Itur in
antiquam ſylvam*, nonne propriæ cujuſdam rationis eſt? nam

[u] mi ille *conjectura elegans Burm.* [x] *om.* G. [z] Cicerones, *quod quidam hic inſerunt, omittit etiam* Goth. *Vid. Miſcell. Obſervatt. vol.* 1. *p.* 141. *Totum locum ita emendandum conjicit Gronovius*, ut quæ habitu corporis Rufis Longiſque fecerunt: ubi erit aliquod ſecretius Sullæ, Burrhi, Galbæ, Planci, (*vel* Plauti, *et forſan utrumque ponendum*,) Panſæ, Scauri, taliaque et ex caſu naſcentium, Agrippa, et Opiter, et Cordus, et Poſtumus, et Vopiſcus: et ex iis quæ poſt natos eveniunt, unde jam Cottæ, Scipiones, Lænates, Serrani ſunt, et ex variis cauſis. *Almelovenius conferri jubet Salmaſ. ad Vopiſci Cari.* c. 20. [a] *Sic cum multis ap. Burm.* G. ut Jenſ. niſi rel. [b] *Sic etiam* G. *et* Jenſ. et Cordus *om. Burm. poſt alios.* [c] Sera ſunt et G. Jenſ. [d] que *om.* G. Jenſ. [e] *om.* G. [f] τῷ δορὶ *om.* G. *qui tamen Græca eleganter et accurate plerumq. exprimit.* [g] valet Jenſ. *male.* [h] *Sic* V. C. Almelov. *et* Bodl. *et al. ap. Burm.* verba *om. al.* [i] Nam G.

25. *Rufos Longoſque*] Repetit infra 1, 6, 38. nec ibi Ciceronum mentio, qui hic certe importuni ſunt.

28. *verba appellat. ſimilia.*] Inferendum omnino *verba*. Quid enim? appellationes non ſunt *fraudator*, *nutritor*, ſed participia? Ita quidem ſtatuere coguntur, qui vulgatam ſervant lectionem. Verba eſſe, et eadem appellationes, novimus.

quod initium ejus invenias? cui ſimile *Fletur* accipimus, aliter ut:

Panditur interea domus omnipotentis olympi.

Aliter ut,

——*Totis Uſque adeo turbatur agris*——.

Eſt etiam quidam tertius modus, ut *urbs habitatur*: unde[1] et *campus curritur*, *mare navigatur*. *Pranſus* quoque atque *potus* diverſum valent[m], quam indicant[m]. Quid? quod multa verba non totum declinationis ordinem ferunt? quædam etiam mutantur, ut *fero* in præterito; quædam tertiæ demum perſonæ figura dicuntur, ut *licet*, *piget*: quædam ſimile quiddam patiuntur *vocabulis in adverbium tranſeuntibus*: nam ut *noctu* et *diu*, ita[n] *dictu* et *factu*. Sunt enim hæc quoque verba participialia quidem, non tamen qualia *dicto*, *factoque*.

V. (IX.) Jam cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut *emendata*, ut *dilucida*, ut *ornata* ſit (quia dicere apte, quod eſt præcipuum, plerique ornatui ſubjiciunt) totidem vitia, quæ ſunt ſupradictis contraria, emendate loquendi regula, quæ grammatices prior pars eſt, examinet. Hæc exigitur *verbis*, aut *ſingulis*, aut *pluribus*. *Verba* nunc generaliter accipi volo: nam duplex eorum intellectus eſt, alter, qui omnia, per quæ ſermo nectitur, ſignificat, ut apud Horatium,

Verbaque proviſam rem non invita ſequentur;

alter, in quo eſt una pars orationis, *lego*, *ſcribo*: quam vitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt, *voces*, *dictiones*, *locutiones*. *Singula* ſunt aut *noſtra*, aut *peregrina*; aut *ſimplicia*, aut *compoſita*; aut *propria*, aut *tranſlata*; aut *uſitata*, aut *ficta*. Uni verbo vitium ſæpius, quam virtus, ineſt. Licet enim dicamus aliquid proprium, ſpe-

[1] ut G. [m] valet, indicat G. [n] ſic G.

28. *initium ejus*] Quam alias primam poſitionem vocant, h. e. prima perſona indicativi præſentis, ut *eor*, *fleor* &c. Cæterum diverſa ratione accipiuntur verba *Itur*, *Panditur*, *Turbatur*: quod apparet ſi interpreteris: primum enim impersonale eſt, et active capitur, alterum perſonale paſſivum, tertium impersonale paſſivum.

28. *tertius modus*] Primus erat, ubi prima perſona paſſivi non exſtat, quia verbum eſt intranſitivum, alter ubi ea exſtat, tertius ubi etiam non exſtat prima perſona paſſivi, ſed verbum tamen non nunquam tranſitive capitur.

5, 2. *Horatium*] Art. Poet. 311.

cioſum, ſublime, nihil tamen horum, niſi in complexu loquendi ſerieque, contingit: laudamus enim verba bene rebus accommodata. Sola eſt quæ notari poſſit velut *vocalitas*, quæ *εὐφωνία* dicitur: cujus in eo delectus eſt, ut inter duo, quæ idem ſignificant, ac tantumdem valent, quod melius ſonet [o], malis. Prima *barbariſmi* ac *ſolœciſmi* fœditas abſit. Sed quia interim excuſantur hæc vitia aut 5
conſuetudine, aut auctoritate, aut vetuſtate, aut denique vicinitate virtutum (nam ſæpe a figuris ea ſeparare difficile eſt) ne quem [p] tam lubrica obſervatio fallat, acriter ſe in illud tenue diſcrimen grammaticus intendat [q], de quo nos latius ibi loquemur, ubi de figuris orationis tractandum erit. Interim vitium, quod ſit in [r] ſingulis verbis, ſit *barbariſmus*. Occurrat mihi forſan aliquis, quid hic 6
promiſſo [s] tanti operis dignum? aut quis hoc neſcit, alios barbariſmos *ſcribendo* fieri, alios *loquendo?* quia, quod male ſcribitur, male etiam dici [t] neceſſe eſt; qui vitioſe dixerit, non utique et ſcripto peccat: illud prius *adjectione* [u], *detractione*, *immutatione*, *tranſmutatione*; hoc ſecundum, *diviſione*, *complexione*, *aſpiratione*, *ſono* contineri? Sed 7
ut parva ſint hæc; pueri docentur [x] adhuc, et grammaticos officii ſui commonemus. Ex quibus ſi quis erit plane impolitus, et veſtibulum modo artis hujus ingreſſus, intra hæc, quæ profitentium commentariolis vulgata ſunt, confiſtet: doctiores multa adjicient: vel hoc primum, quod *barbariſmum* pluribus [z] modis accipimus. Unum, in *gente*, quale ſit, ſi quis *Afrum vel Hiſpanum* Latinæ orationi 8
nomen inſerat: ut ferrum, quo rotæ vinciuntur, dici ſolet *canthus*, quamquam eo, tamquam recepto, utitur Perſius: ſicut Catullus *ploxenum* [a] circa Padum invenit: et in

[o] *Sic* G. ſonat *al.* [p] qua (*intell.* ratione) *boni libri ap. Burm.* [q] intendit G. [r] *om.* G. [s] *Sic* G. Jenſ. *cum aliis.* promiſſor *rel.* [t] proferri G. [u] additione *etiam* G. [x] docentur. Adhuc etiam G. [z] multis G. [a] polexemum G.

5. *a figuris orationis*] Libri noni prima parte.

6. *promiſſo tanti operis*] Vindicavit alterum *promiſſor* Ja. Gebh. Crepund. 1, 14. quod probat, et *dignum* cum *tanti operis* conſtrui jubet ipſe Burmannus. Neque dubitarem, ſi de poeta ageretur. Illud apparet, reſpici ad Horat. Art. Poet. 138.

8. *canthus*] Celticum putat Burmannus, et convenire cum Belgarum et Germanorum *Kant*, quo oram et marginem notant. Perſii locus eſt 5, 71.

8. *ploxenum*] Locus eſt 96, 6. Voſſius ad Catullum p. 324. Burmanno laudatus, exiſtimat Celticum et hoc eſſe, *plogum*, *ploum*, Belg. *ploeg*, German. *pflug*. Colomeſius

oratione Labieni (sive illa Cornelii Galli est) in Pollionem *casnar* [b], affectator, e Gallia ductum est: nam *mastrucam*,
9 quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit. Alterum *genus barbarismi* accipimus, quod fit animi natura, ut is, quo insolenter quid aut minaciter aut crudeliter
10 dictum sit, barbare locutus existimetur [c]. Tertium est illud vitium *barbarismi*, cujus exempla vulgo sunt plurima, sibi etiam quisque fingere potest, ut verbo, cui libebit, adjiciat literam syllabamve; vel detrahat; aut aliam pro
11 alia, aut eamdem alio, quam rectum est, loco ponat. Sed quidam fere in jactationem eruditionis sumere illa ex poetis solent, et auctores, quos prælegunt, criminantur. Scire autem debet puer, hæc apud scriptores carminum aut venia digna, aut etiam laude duci: potiusque illa do-
12 cendi erunt minus vulgata. Nam duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinca [d] Placentinus (si reprehendenti Hortensio credimus) *preculam* pro *pergulam* dicens, et immutatione [e], cum *c* pro *g* uteretur; et transmutatione, cum *r* præponeret *e* antecedenti. At in eadem vitii geminatione *Metico Suffetico* dicens Ennius, poetico jure defen-
13 ditur. Sed in prosa quoque est quædam jam recepta immutatio. Nam Cicero *Canopitarum* exercitum dicit, ipsi *Canobon* vocant: et *Tharsomenum* pro *Thrasumeno* [f] multi auctores, etiam si est in eo transmutatio, vindicaverunt: similiter alia: nam sive est [g] *assentior*, Sisenna dixit [h] *as-*

[b] Casamum G. Casenar Jens. Caseno *et* Casma *al.* [c] existimatur G. [d] Tigna G. Tinga Jens. [e] immutationem—transmutationem G. [f] Transomenno G. Jens. *multam etiam varietatem observat Burm.* [g] *Sic* G. *et MSS. al.* falsum *inf. al.* [h] dicit G.

hic laudat Salmas. ad Capitoli. Anto. Pium c. 12.

8. *casnar*] If. Pontanus ab eadem origine deducit, unde Gallicum *chasser*; terminationem autem comparat cum Belgica *naer*, in *Wagenaer*, auriga, *Hovenaer*, hortulanus, cui respondet nostra *ner*. Burmannus esse putat in ultima syllaba vocem *nar*, qua ridiculum vel stultum notant Germani. Nobis N. L.

8. *mastrucam*] Belgicum esse *Motzrocken* docet apud Burmannum Sligtenhorstius. *Mutz* vocant etiam Germani quidam togam, quam eandem etiam nomine *Rock* appellant. Si hariolari et nobis liceat, dicamus, *Mastrugam* esse *ein Mützrock*, togam, cui capitis tegumentum, quod *Mutze* tota vocat Germania, adsutum est, *cucullum*.

13. *sive est assentior*] Omnino recte omittitur illud *falsum*. Qui inseruit primum, hunc turbavit, quod *illud* ad propius, *hoc* ad remotius referri posse, non cogitavit. Verum sic etiam noster 2, 5, 19, ubi varia tentantes viros doctos revocat Burmannus. Quæ sequuntur adverbia *illic* et *hic*, ea rem omnem conficiunt. Nisi tamen malis inter se permutata *assentio* et *assentior*: quo facto *hic* et *ille* vim consuetam

ſentio, multique et hunc, et analogiam ſecuti; ſive illud verum eſt, hæc quoque pars conſenſu defenditur. At ille pexus pinguiſque doctor, aut illic detractionem, aut hic adjectionem putabit. Quid? quod quædam, quæ ſingula procul dubio vitioſa ſunt, juncta ſine reprehenſione dicuntur? Nam [et[l]] *dua* et *tre* [et[l]] *pondo* diverſorum generum ſunt barbariſmi: at *duapondo* et *trepondo* uſque ad noſtram ætatem ab omnibus dictum eſt, et recte dici Meſſala confirmat. Abſurdum forſan videatur dicere, barbariſmum, quod eſt unius verbi vitium, fieri per numeros, aut genera, ſicut ſolœciſmum[m]: *ſcala* tamen et *ſcopa*, contraque *hordea* et *mulſa*, licet literarum mutationem, detractionem, adjectionem[n] non habeant, non alio vitioſa ſunt, quam quod pluralia ſingulariter, et ſingularia pluraliter efferuntur: et *gladia* qui dixerunt, genere exciderunt. Sed hoc quoque notare contentus ſum, ne arti, culpa quorumdam pervicacium perplexæ, videar et ipſe quæſtionem addidiſſe. Plus exigunt ſubtilitatis, quæ accidunt *in dicendo*, vitia, quia exempla eorum tradi ſcripto non poſſunt, niſi cum in verſus inciderunt, ut διαίρεσις *Europaï*[o]: et ei contrarium vitium, quod συναίρεσιν et συναλοιφὴν Græci vocant, nos *complexionem* dicimus[p]: qualis eſt apud P. Varronem,

Cum te flagranti dejectum fulmine Phaethon.

Nam ſi eſſet proſa oratio, eaſdem literas enunciare veris

[l] *om.* G. Jenſ. [l] et *videtur omittendum.* [m] ſolœciſmus G. [n] additionem G. [o] Europæ Aſiæ G. *vid. no. proxime ſequens.* [p] vocamus G.

retinerent. Quod qui tueri velit, illi conſtituendum fuerit, utrum amaverit Siſenna? Quidquid ejus ſit, τῷ *falſum* nihil nobis opus eſt: quin impedit ſententiam, et vim oppoſitionis. *Sive eſt*, idem ſignificat quod *ſive verum eſt* &c. Add. 5, 6, 21.

15. *nam et dua et tre*] Utrumque *et* includendum curavi, quod utrumque abeſſe debere, auctoritate ductus unum, alterum conjectura, arbitror. Ceterum de ſententia Gronovii de pec. vet. 1, 7. p. 35. hæ formulæ hanc vim habent, *duas pondo libras*, vel *tres pondo libras*; ut *treviri, pomeridiem*, pro *tres viri, poſt meridiem*. Ex vulgata lectione ſequeretur, in *pondo* eſſe barbariſmum, quem nemo, credo, videt.

16. *gladia*] *Gladium* neutro genere defendit (quod aliis jam annotatum) Lucilii, Plauti, Varronis auctoritate Fr. Douza ad Lucil. p. 103.

18. *eaſdem literas*] Nihil ergo de compendiis diphthongorum, nihil de punctis diæreſeos Quinctiliano prodente notum erat. Quod enim *Europaï* hic editum eſt etiam a Burmanno, metuo ut ſit e bonis libris. Quin neſcio an non indicata modo Gothani codicis lectio præfe-

ſyllabis licebat. Præterea quæ fiunt ſpatio, ſive cum ſyllaba correpta producitur, ut,

Italiam fato profugus;

ſeu longa corripitur, ut, *Unius ob noxam et furias*; extra carmen non deprehendas: ſed nec in carmine vitia du-
19 cenda ſunt. Illa vero non niſi aure exiguntur, quæ fiunt per ſonos: quamquam per adſpirationem, ſive adjicitur vitioſe, ſive detrahitur; apud nos poteſt quæri, an in ſcripto ſit vitium, ſi H litera[q] non eſt notata? cujus qui-
20 dem ratio mutata cum temporibus eſt ſæpius. Parciſſime ea veteres uſi etiam in vocalibus, cum *ædos*, *ircoſque* dicebant. Diu deinde ſervatum[r], ne conſonantibus adſpiraretur[s], ut in *Graccis*, et *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius uſus, ut *choronæ*, *chenturiones*, *prænchones* adhuc quibuſdam inſcriptionibus maneant: qua de re Catulli no-
21 bile epigramma eſt. Inde durat ad nos uſque *vehementer*, et *comprehendere*, et *mihi*: nam *mehe*[t] quoque pro *me* apud antiquos, tragœdiarum præcipue ſcriptores, in veteribus
22 libris invenimus. Adhuc difficilior obſervatio eſt per *tenores*, (quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato a Græcis verbo, qui τόνος dicunt) vel

q *Sic* G. notata *etiam* Voſſ. ſec. litera eſt, non nota *omnes*, *puto*: *certe nihil monet de diverſitate Burm.* r reſervatum *cum aliis etiam* G. *et* Jenſ. s adſpiraret G. *non male*: *intelligitur H.* t mee G. Jenſ.

renda ſit? Apertiſſime ſane agitur de talibus vitiis, quæ ſcriptura non deprehenduntur, ſed ſola pronunciatione. Jam ter peccari poteſt in *Europæ*, *Aſiæ* pronunciatione, ſi quis vocales ſeparatim, non diphthongos efferat. *Phaethon* (ita ſcribendum, non Phaeton) etiam diſſyllabum in MSS. Ovidii paſſim eſſe ex Heinſio ad Metam. 1, 571. notat Burmannus.

18. *Italiam*] Æn. 1, 6 et 40.

19. *ſi H litera non eſt notata*] Miror qui vulgata ſe lectio tueri tamdiu poterit? *Si* enim, quod præferunt libri, *H litera eſt, non nota*; quærine poteſt, *an in ſcripto ſit vitium?* Non puto. Vitium enim haud dubie eſt ponere literam ubi non debet, omittere ubi ponenda erat. Sed quæri ſane poteſt, *utrum in ſcripto ſit vitium? ſi* adſpiratio ſigno ſuo, *H litera non eſt notata*, ac tantum in proferendis verbis, ſicubi opus videtur, adjicitur. Ille apud Catullum Arrius, de quo ſtatim, *Chommoda* et *Hinſidias* non ſcripſit, ſed dixit: et audias anhelatores id genus hodie quoque. Non peccant in Germanicis vocibus vel cum vel ſine adſpiratione ſcribendis Galli, ſed in pronunciandis. Recte igitur videmur Gothani libri auctoritatem hic prætuliſſe.

20. *Catulli*]

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, et hinſidias Arrius inſidias &c.

accentus, quas Græci προσῳδίας vocant, cum acuta et gravis alia pro alia ponitur, ut in hoc *Camillus*, si acuitur prima: aut gravis pro flexa, ut *Cethegus*, et hic prima acuta; 23
nam sic media mutatur: aut flexa pro gravi, ut[u] apice circumducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes, et deinde flectentes, dupliciter peccant. Sed id 24
sæpius in Græcis nominibus accidit: ut *Atreus*, quem nobis juvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset; item *Terei Nereique*. Hæc de accentibus tradita. Ceterum jam scio, 25
quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos, sic docere ac loqui, ut propter quædam vocum discrimina, verbum interim acuto sono finiant, ut in illis,

Quæ circum litora, circum Piscosos scopulos---

Ne si gravem posuerint secundam, *circus* dici videatur, 26
non *circuitus*. Item *quantum*, *quale*, interrogantes, gravi; comparantes, acuto tenore concludunt: quod tamen in adverbiis fere solis ac pronominibus vindicant, in ceteris veterum legem sequuntur. Mihi videtur[x] conditionem 27

[u] aut G. *et* Jens.

[x] videntur Jens.

22. *cum acuta aut gravis*] Gravem habet syllaba, quæ alium accentum non habet, adeoque in proferendo quasi infra cæteras, quæ suum sibi accentum habent, deprimitur. Jam notum est, unum tantum unius vocis esse accentum. Hinc fit, ut si antepenultima acuatur, deprimatur penultima, et, apud Latinos quidem, corripiatur. Si in *Camillus* et *Cethegus* primam acuas, penultima jacebit depressa, gravem habebit, quæ tamen in *Camillus* acui debebat, in *Cethegus* circumflecti.

23. *ut apice circumducta*] Ne in re parva propter technicas voces hæreat aliquis, etiam hunc locum paucis declaramus. Peccatur, si *ponatur flexa* h. e. circumflexa syllaba, pro *gravi*, exempli causa, posteriore (eam enim esse *sequentem* tum aliis, tum Fabio nostro, 1, 7, 3. &c. satis constat,) syllaba *apice circumducta*, hoc est, circumflexa (vid. ad 1, 4, 10. et conf. 1, 7, 2.) in qua proinde syllaba duplex peccatum committeretur *cet.* Hoc declaratur deinde Græcis nominibus, et laudatur pronunciatio doctissimorum senum, qui *Atreus* dicerent, non *Atrêus*; *Térei*, *Nérei*, non *Terêi*, *Nerêi*. Potest tamen idem transferri ad nomina etiam Latina, v. g. *pileus*, *balteus*. In Græcis exemplis sustuli literas et accentus Græcos, qui videbantur sententiæ Fabii non satis convenire.

25. *Quæ circum litora*] Virg. Æn. 4, 254.

27. *conditionem mutare*] Videtur hoc dicere, conditionem suam ac statum, et proinde etiam intellectum in tali connexione (hoc enim accipio *his locis*,) mutat ἡ *circum* eo ipso quod in pronunciando statim proximæ voci seu casui suo sine intervallo adjungitur: ut adeo non opus sit accentum mutare, et ex priore in sequentem transferre. Vener. Collega meus Heumannus sic emendabat: *Mihi videtur* condi-

mutare, quod his locis verba conjungimus. Nam cum dico, *circum litora*, tamquam unum enuncio, diſſimulata
23 diſtinctione: itaque tamquam in una voce, una eſt acuta: quod idem accidit in illo,

Trojæ qui primus ab oris.

24
28 Evenit, ut metri quoque conditio mutet accentum: ut

Pecudes pictæque volucres:

25 nam volucres media acuta legam: quia etſi brevis natura, tamen poſitione longa eſt, ne faciat iambum, quem non
29 recipit verſus heroicus. Separata[z] vero hæc a præcepto noſtro non recedent: aut ſi conſuetudo vicerit, vetus lex ſermonis abolebitur[a]; cujus difficilior apud Græcos obſervatio eſt, (quia plura illis loquendi genera, quas Διαλέκτους
26 vocant: et quod alias vitioſum, interim[b] alias rectum eſt)
30 apud nos vero breviſſima ratio. Namque in omni voce, *acuta* intra numerum trium ſyllabarum continetur, ſive

27

[z] *Suſpecta vox Gallæo.* [a] abolebit G. [b] *Aut* interim *delendum videtur, aut* alias.

tio metri *mutari*, quum *his locis—tanquam* iambum *enuntio*: et ſic interpretatur: Cum conditio metri mutari pronuntiatione non debet, *evenit* (ſ. 28.) aliquando, ut *conditio metri mutet accentum*. Werlhofius volebat *circúmlitora* quaſi una voce legendum, accentumque adeo collocandum in quarta a fine ſyllaba. Perpenſis denuo omnibus mihi hoc placebat: Conditionem vulgarem pronunciandi et rationem mutare videtur Fabio vox *circum*, quod *his locis*, i. e. proxime ante caſum ſuum ponitur. Nam hic utraque ſyllaba vocis *circum* depreſſa quaſi latere poteſt, tanquam pars totius vocis *circumlitora*, ut adeo in quinque his ſyllabis una tantum ſit acuta, nempe prima in *litora* ita *circumpiſcóſos*: ita *abóris*, ubi *ab* non habet accentum, ſed ad caſum ſuum adjungitur &c. Hac admiſſa interpretatione, (non ſatis aperte ante propoſita, quin nec plane percepta animo, licet circa illam me fuiſſe res ipſa loquatur) jam nec illa difficilia ſunt, quæ ſequuntur ſ. 29. et hanc habent ſententiam: Separatim ſi pronuntiemus verba, de quibus adhuc diſputatum eſt, ea a præcepto noſtro, a regula et lege pronuntiandi *non recedent*, ſed pronuntiabitur circum, âb óris: *aut ſi conſuetudo* illa recens, de qua ſ. 25. vicerit, ut dicamus *circúm*, *quantúm*; tunc vetus *lex ſermonis abolebitur*, quæ ſtatim explicabitur ſ. 30. illud in primis, quod ultima nunquam neque acuitur neque circumflectitur. Ita in verſu laudato dicendum quidem *vólucres*, ſed extra eum, ſeparatim, *vólucres*.

27. *Trojæ*] Æn. 1, 5. et proximus verſus Georg. 3, 243.

29. *Separata vero*] Hunc locum a me non intelligi fateor, gratiam habiturus, qui explicaverit, vel, ſi corruptus eſt, emendaverit.

29. *quia plura illis*] Non multum difficultatis doctrinæ de accentibus ſive tenoribus dialecti adferunt. Itaque ſuſpectum mihi, fateor, totum hoc quod parentheſi circumſcriptum eſt.

hæ ſint in verbo ſolæ, ſive ultimæ: et in his aut proxima extremæ, aut ab ea tertia. Trium porro, de quibus loquor, media longa aut acuta, aut flexa erit: eodem loco brevis, utique gravem habebit ſonum, ideoque poſitam ante ſe, id eſt ab ultima tertiam, acuet. Eſt autem[c] in omni voce uti- 31
que acuta, ſed numquam plus una; nec ultima umquam; ideoque in diſſyllabis prior. Præterea numquam in eadem, flexa et acuta, quoniam eadem flexa et[d] acuta. Utique[e] neutra claudet vocem Latinam. Ea vero, quæ ſunt ſyllabæ unius, erunt acuta, aut flexa, ne ſit aliqua vox ſine acuta. Et illa per ſonos accidunt quæ demonſtrari 32
ſcripto non poſſunt, vitia oris et linguæ: ἰωτακισμὸς et λαμβδακισμὸς, ἰσχνότητας et τλαπεισμὸς, feliciores fingendis nominibus Græci vocant: ſicut κοιλοστομίαν, cum vox quaſi in receſſu oris[f] auditur. Sunt etiam proprii quidam 33
et inevitabiles[g] ſoni, quibus nonnumquam nationes reprehendimus[h]. Remotis igitur omnibus, quæ[i] ſupra diximus, vitiis, erit illa, quæ vocatur ὀρθοέπεια[j], id eſt emendata cum ſuavitate vocum explanatio: nam ſic accipi poteſt *recta*. Cetera vitia omnia ex pluribus vocibus ſunt, 34
quorum eſt *ſolœciſmus*: quamquam circa hoc quoque diſputatum eſt: nam etiam qui complexu orationis accidere eum confitentur, quia tamen unius emendatione verbi corrigi poſſit, in verbo eſſe vitium, non in ſermone con-

[c] etiam G. [d] *Sic* MSS. *et* Jenſ. ex *al.* [e] *Sic* Jenſ. Colin. Obrecht. itaque *al.* [f] omnis G. [g] inenumerabiles G. innumerabiles Jenſ. *et al.* inenarrabiles *boni libri ap.* Bur. [h] depre. *conjectura* Bur. [i] de quibus G. [j] ὀρθόπεια G. *ut* φιλεταῖρος, μιπραίτιος.

31. *eadem flexa et acuta*] Revocavi lectionem MSS. quam abolleverat non ſatis hic felix Regii ſedulitas. Dixerat modo, *numquam plus una acuta in voce eſſe*. Jam ſubjicit, *numquam in eadem voce eſſe flexam et acutam*. Ratio eſt, quia *flexa* ſyllaba *eadem eſt acuta*. Circumflexus enim et acuti vim habet, et quiddam amplius: vide quæ ſtatim ſequuntur, *Ea vero, quæ ſunt* &c. Hæc videntur dubio carere. Neque cauſa proinde fuit, cur pro *et ex* ſubſtitueret Regius. Proxima verba utique poſcunt τὴν *utique*. Novum quiddam ſequitur, quod per *itaque* cum proximis quidem certe copulari non poteſt: refertur autem ad præcedentia verba, *nec ultima umquam. Utique* eodem plane modo initio hujus ſegmenti poſitum eſt.

33. *nationes reprehendimus*] Elegans Burmanni conjectura, ſententia certa et indubitabilis: ſed quid ſi recte Camerarius cepit de iis vitiis, quæ ſibi exprobrant nationes. Utitur exemplo Camerarius, quod neſcio an hodie valeat, *ſibilatione illa Gallica, cum* Scarolum *dicunt et* Scampaniam: nam noſtra, Germanorum plerorumque, vitia durant.

35 tendunt. Cum ſive *amaræ corticis*, ſeu *medio cortice*, per genus facit ſolœciſmum, (quorum neutrum quidem reprehendo, cum ſit utriuſque Virgilius auctor; ſed fingamus utrumlibet non recte dictum) mutatio vocis alterius, in qua vitium erat, rectam loquendi rationem ſic reddit, ut *amari corticis* fiat, vel *media cortice*: quod manifeſtæ calumniæ eſt: neutrum enim vitioſum ſeparatum eſt, ſed
36 compoſitione peccatur, quæ jam ſermonis eſt. Illud eruditius quæritur, an in ſingulis quoque verbis poſſit fieri ſolœciſmus: ut ſi unum quis ad ſe vocans, dicat, *venite*: aut ſi plures a ſe dimittens, ita loquatur, *Abi*, aut, *Diſcede*. Necnon cum reſponſum ab interrogatione diſſentit: ut ſi dicenti, *Quem video?* ita occurras, *Ego*. In geſtu etiam nonnulli putant idem vitium ineſſe, quum
37 aliud voce, aliud nutu vel manu demonſtratur. Huic opinioni neque omnino accedo [m], neque plane diſſentio: nam id fateor poſſe accidere voce una, non tamen aliter, quam ſi ſit aliquid, quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur: ut *ſolœciſmus* ex complexu fiat eorum, quibus res ſignificantur, et voluntas oſtenditur.
38 Atque ut omnem effugiam cavillationem, ſit aliquando in uno verbo, numquam in ſolo verbo. Per quot autem, et quas accidat ſpecies, non ſatis convenit. Qui pleniſſime [n], quadripertitam volunt eſſe rationem, nec aliam, quam barbariſmi, ut fiat adjectione, ut, *Veni de Sufis in Alexandriam*: detractione, *Ambulo viam*, *Ægypto venio*,
39 *Ne* [o] *hoc fecit*: tranſmutatione, qua ordo turbatur, *Quoque*

[m] concedo G. ad Capper. *p.* 77.

[n] planiſſime G.

[o] me *conj.* Burm. *et defendit* Epiſt.

35. *amaræ corticis*] Ecl. 1, 62. *medio*, Georg. 2, 74.

39. *Ne hoc fecit*] Negari non poteſt, *ne* interrogandi interdum præponi, ut ſignificet *an* vel *anne?* Verum id obſervavi adhuc in ſententia tantum infinita, ubi dubitandi potius vim habet, et ad verendi ſignificationem prope accedit. Sic Varro R. R. 2, 9, 16. *cum circumſpiceret, ne quid præteriiſſet* &c. quæ laudamus in Indice, quibus addi poſſunt ex ipſo Quinctiliano 5, 7, 13. *Explorandum, ne corrupti ſint* &c. Plin. Epiſt. 10, 120, 3. *Hic quoque non mediocriter hæreo, ne cujuſquam retro habeatur ratio*. Quod enim profertur ex Apuleii apologia p. 299, 25. Elmenh. *ne ego reprehendar?* in illo potius *nedum* ſignificat. Terentianus autem locus nimis variat. And. 4, 5, 45. Bentleius ita dedit. Ch. *Audivi jam omnia?* Da. *Anne* (non *Ah ne*) *tu omnia?* Denique ſi *ne* interrogationis directæ præponatur, quod non oſtenſum eſt: non pertinebit hoc exemplum ad detractionem, ſed ad tranſmutationem. Quæ cum ita ſint, vehementer placet conjectura Burmanni ſupra propoſita *Me hoc fecit*, quæ non inſolens, Plauto præſertim, ellipſis eſt.

ego, *Enim hoc voluit*, *Autem non habuit*: ex quo genere an
sit *igitur*, in initio sermonis positum, dubitari potest, quia
maximos auctores in diversa fuisse opinione video, cum
apud alios sit etiam frequens, apud alios numquam repe-
riatur. Hæc tria genera quidam diducunt a solœcismo, 40
et *adjectionis vitium*, πλεονασμόν· *detractionis*, ἔλλειψιν· *in-*
versionis, ἀναστροφήν vocant: quæ si in speciem solœcismi
cadant, ὑπέρβατον quoque appellari eodem modo posse [p].
Immutatio sine controversia est, cum aliud pro alio ponitur. 41
Id per omnes orationis partes deprehendimus, frequentis-
sime in verbo, quia plurima huic accidunt, ideoque in eo
fiunt *solœcismi* per *genera*, *tempora*, *personas*, *modos*, sive
cui *status* eos dici, seu *qualitates* placet, vel sex, vel (ut
alii volunt [q]) octo: nam totidem vitiorum erunt formæ,
in quot species eorum quidque, de quibus supra dictum
est, diviseris. Præterea *numeros*, in quibus nos *singularem* 42
ac *pluralem* habemus, Græci et δυϊκόν. Quamquam fue-
runt, qui nobis quoque adjicerent [r] dualem, *scripsere*, *le-*
gere: quod evitandæ asperitatis gratia mollitum est, ut
apud veteres pro *male mereris*, *male merere*: ideoque quod
vocant *duale*, in illo solo genere consistit: cum apud
Græcos et in verbi tota fere ratione, et in nominibus de-
prehendatur, et sic quoque rarissimus ejus sit usus; apud
nostrorum vero neminem hæc observatio reperiatur: quin 43
e contrario,

Devenere locos, et *Conticuere omnes*, et *Consedere duces*,
aperte nos doceant, nihil horum ad duos pertinere; *Dixe-*
re quoque, quamquam id Antonius Rufus ex diverso po-
nit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet.
Quid? non Livius circa initia statim primi libri, *Tenuere*, 44
inquit, *aream Sabini?* et mox, *In adversum Romani subiere?*
Sed quem potius ego, quam M. Tullium, sequar? qui in
Oratore, *Non reprehendo*, inquit, *scripsere: scripserunt esse*
verius sentio. Similiter in vocabulis et nominibus fit *solœ-* 45
cismus genere, *numero*, proprie autem *casibus*. Quidquid eo-
rum alteri succedet, huic parti subjungatur licet; per [t]

[p] posset Obr. *Sed nihil opus est contra libros.* [q] dicunt G. Jens. [r] adjecerunt G. [s] quæ contra G. [t] insuper *conjectura Gallæi Burmanno laudata.*

44. *M. Tullium*] Locus est ab aliis jam indicatus, de Orat. 47. *Nec vero reprehenderim*, scripsere alii rem: et scripserunt *esse verius sentio*. Laudat verba Ennii ex annali primo.

comparationes et *superlationes*; itemque in quibus *patrium*
46 pro *possessivo* dicitur, vel contra. Nam vitium quod fit per quantitatem, ut *magnum peculiolum*, erunt qui *solœcismum* putent; quia pro nomine integro positum fit diminutum [u]. Ego dubito, an id *improprium* potius appellem: significa-
47 tione enim deerrat. *Solœcismi* porro vitium non est in sensu, sed in complexu. In *participio* per *genus*, et *casum*, ut in vocabulo; per *tempora*, ut in verbo; per *numerum*, ut in utroque, peccatur. *Pronomen* quoque *genus*, *numerum*, *casus* habet, quæ omnia recipiunt hujusmodi errorem.
48 Fiunt *solœcismi*; et quidem plurimi, per partes orationis; sed id tradere satis non est, ne ita demum vitium esse credat puer, si pro alia ponatur alia, ut *verbum*, ubi *nomen*
49 esse debuerit, vel *adverbium*, ubi *pronomen*, et similia. Nam sunt quædam cognata, ut dicunt, id est ejusdem generis, in quibus, qui alia specie, quam oportet, utetur, non minus, quam ipso genere permutato, deliquerit. Nam et *an*, et *aut*, conjunctiones sunt; male tamen interroges,
50 *hic, aut ille sit?* et *ne* ac *non*, adverbia; qui tamen dicat pro illo, *Ne feceris*, *Non feceris*, in idem incidat vitium, quia alterum negandi est [x], alterum vetandi. Hoc amplius *intro* et *intus*, loci adverbia: *Eo* tamen *intus*, et *Intro sum*,

[u] diminutivum G. Jens. [x] *om.* G.

45. *patrium pro possess.*] *Patrium*, quod vulgo *patronymicum* vocant. De hujus et possessivi differentiis multa Priscianus lib. 2. p. 585. seq. *Patronymica filios vel nepotes significant; possessiva autem non solum filios, sed omnia quæ possunt esse in possessione* &c. Possessivum est V. G. *Evandrius ensis.*

50. *hic, aut ille sit*] Si videas, quæ hac de re contra Fabium disputata sunt, apparebit, plerumque vitiosos codices laudari, aut ea loca ubi disjunctio est, non dubitatio vel interrogatio. V. G. Plaut. Bacch. 1, 2, 54. *Tibi ego, aut tu mihi servus es.* Cic. pro Rosc. Am. 21. *Quæsisse, num ille aut ille defensurus esset.* Sen. de Constant. 5. *Cogita nunc, an huic fur, aut calumniator, aut vicinus potens, aut dives aliquis* &c. Plin. mai. 7. pr. editiones optimæ *parens melior homini, an tristior noverca fuerit.* Apud Plautum, Ciceronem, et Senecam debuit, potuit quidem, *aut* esse; apud Plinium est *an*. Plinii junioris, et non multo majorum, errorem accusat Fabius. Nolim certe virum ita eruditum temere erroris in arte sua postulare. Quot sunt solennes librorum corruptiones? et cur accusasset Quinctilianus, nisi committi illa ætate consuevisset?

50. *intro et intus*] Cum tamen *intus* interiorem domus partem significet, *intus duci* dicitur Myrrha Ovid. Met. 10, 457: et sunt plura id genus tum in Fabriano Thesauro, tum a Burmanno ad h. l. observata. Cæterum videtur Lucilio hanc observationem ut plures (v. g. 1, 6, 8) debere Fabius, cujus ex Charisii 1. versus ita restituit Fr. Dousa in Reliqu. 9, 12. *Nam velut* INTRO *aliud longe esse atque* INTU' *vide-*

ſolœciſmi ſunt. Eadem in diverſitate *pronominum*, *interjectionum*, *præpoſitionum*, accidunt. Eſt enim *ſolœciſmus* in oratione comprehenſionis unius ſequentium ac priorum inter ſe inconveniens poſitio. Quædam tamen et faciem *ſolœciſmi* habent, et dici vitioſa non poſſunt, ut *tragœdia Thyeſtes*, et *ludi Floralia* ac *Megaleſia* [z]: quamquam hæc ſequenti tempore interciderunt, numquam aliter a veteribus dicta. *Schemata* igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poetas, ſed oratoribus quoque permiſſa. Verum *ſchema* fere habebit aliquam rationem, ut docebimus eo, quem paullo ante promiſimus, loco. Sed hoc quoque, quod *ſchema* vocatur, ſi ab aliquo per imprudentiam factum erit, *ſolœciſmi* vitio non carebit. In eadem ſpecie ſunt, ſed ſchemate carent, ut ſupra dixi, nomina feminina, quibus mares utuntur, et neutralia, quibus feminæ. Hactenus de *ſolœciſmo*. Neque enim artem grammaticam componere aggreſſi ſumus: ſed cum in ordinem incurreret, inhonoratam tranſire noluimus. Hoc amplius, ut inſtitutum ordinem ſequar, verba aut Latina, aut peregrina ſunt. *Peregrina* porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut inſtituta etiam multa, venerunt. Taceo de *Tuſcis* et *Sabinis*, et *Prænestinis* quoque: nam, ut [a] eorum ſermone utentem, Vectium [b] Lucillius inſectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Livio *Patavinitatem*: licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima Gallica [c] valuerunt, ut *rheda* ac *petorritum* [d]: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur. Et *mappam* [e] quoque, uſitatum circo nomen, Pœni ſibi vindicant: et

51 52 53 54 55 56 57

[z] Megalenſia G. [a] *om.* G. [b] Vetium G. [c] Gallice G. Jenſ. [d] peterritum G. petoritum *editt. pleræque.* [e] mappalia G. *et* al.

mus. Sic et APUD TE *longe aliud eſt, neque idem valet* AD TE: INTRO NOS VOCAT AD SESE, TENET INTUS APUD SE.

53. *docebimus*] Infra 9, 1: add. 1, 8, 14.

56. *Patavinitatem*] Conf. 8, 1, 3. unde illud quidem certo apparet, nugas agere, qui Pompeianarum partium ſtudium, vel ſimile quid a patriæ amore profectum intelligunt; aut aliud quidpiam denique, quam peregrinitatem aliquam in vocibus, in urbe vel plane non uſitatis vel alio intellectu. Peperit nobis cenſura illa Pollionis elegantem Morhofii de *Patavinitate Livii* librum, unde de Pollionis ingenio aſpero, de laudibus Livii, de ejus ſepulcro, de urbanitate et pluribus rebus aliis diſci multa poſſunt.

57. *mappam—Pœni ſibi vind.*] Vocem מפה quæ in Rabbinorum ſcriptis occurrit, huc non pertinere, jam monuit Magnus Vir Bochartus Chan. 3, 8. pr.

57. *uſitatum circo*] Cum magiſtratus ludis præſidens ſignum ea det emittendorum carceribus equorum.

Gurdos, quos pro ſtolidis accipit vulgus, ex Hiſpania
58 duxiſſe originem audivi. Sed hæc diviſio mea ad Græcum præcipue ſermonem pertinet: nam et maxima ex parte Romanus inde converſus eſt, et confeſſis quoque Græcis utimur verbis, ubi noſtra deſunt, ſicut illi a nobis non numquam mutuantur. Inde illa quæſtio exoritur, an eadem ratione per caſus duci externa, qua noſtra, con-
59 veniat. Ac [f] ſi reperias grammaticum veterum amatorem, neget quidquam ex Latina ratione mutandum: quia, cum ſit apud nos caſus ablativus, quem illi non habent, parum conveniat, uno caſu noſtro, quinque Græcis uti:
60 quin etiam laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere linguam Latinam ſtudebant, nec alienis egere inſtitutis fatebantur: inde *Caſtorem*, media ſyllaba producta, pronuntiarunt, quia hoc omnibus [g] noſtris nominibus accidebat, quorum prima poſitio in eaſdem, quas *Caſtor*, literas exit: et ut *Palæmo* ac [h] *Telamo* [i], ut [i] *Plato*, (nam ſic eum Cicero quoque appellat) dicerentur [m], retinuerunt: quia Latinum, quod *o* et *n* literis finiretur [n], non reperiebant.
61 Ne in *a* quidem atque *s* literas exire temere maſculina Græca nomina recto caſu patiebantur: ideoque [o] et apud Cælium legimus, *Pelia Cincinnatus* [p]: et apud Meſſalam,

[f] At G. Jenſ. [g] *om.* G. *et videtur abeſſe poſſe.* [h] *ita* G. *et* Jenſ. ſic *al.* [i] *Sic MSS. quidam Gr.* Τελαμὼν Thelam. *al.* [i] ac G. et *al.* [m] differenter G. *vid. not.* [n] finirent G. [o] itaque G. [p] Cinnatus G.

57. *Gurdos*] Illuſtravit ad h. l. Colomeſius. Almeloveenius adſcripſerat a Gotholanis *Gort* vocari ſtultum; et Burmannus, *Ian Gort* fatuum eſſe et effeminatum apud Belgas.

60. *ut Plato*] Sic legendum omnino videtur. Rigidiores quidam Grammatici volunt Græcas voces omnes conformari ad analogiam ſermonis Latini. Quemadmodum igitur *Plato* eſt Ciceroni et aliis, qui Græce Πλάτων, ita, his quidem judicibus, *Palæmo* et *Telamo* ſine terminali Græcorum litera dicendi ſunt.

60. *dicerentur*] Vox jam ſuſpecta Gallæo: et magis mihi, poſtquam inveni *differenter* in Gothano codice, quam puto originem corruptionis eſſe. Nimirum ſcripſit aliquis in margine libri ſui *differenter* ſcribi *Platonis* nomen in recto caſu, ut nunc *Plato* ſit, alias *Platon*. Illud *differenter* in contextum ab alio relatum, cum non intelligeret poſterorum alius, in *dicerentur* mutavit; quo facto opus fuit particula conjunctivum regente. Hinc varietas illa circa particulas. Denique totum locum vel ſic, vel proxime dedit, puto, Fabius: *Et Palæmo ac Telamon, ut Plato (nam ſic cum Cicero quoque appellat) retinuerunt*, h. e. pertinaciter defenderunt, ut mox 1, 6, 20. Monet Almeloveenius, fuſe hunc locum tractatum ab H. Stephano, de abuſu Gr. L. c. 4. Sed nihil habet, quod ad lectionem conſtituendam pertineat.

Benefecit Euthia: et apud Ciceronem, *Hermagora:* ne[q] miremur, quod ab antiquorum plerisque *Ænea* et *Anchisa* fit dictus[r]. Nam si ut *Mæcenas, Suffenas, Asprenas* dice- 61
rentur, genitivo casu non *e* litera, sed *tis*[s] syllaba terminarentur. Inde *olympo* et *tyranno* acutam mediam syllabam dederunt, quia[t] duabus longis sequentibus primam brevem acui noster sermo non patitur. Sic genitivus *Achilli* et *Ulixi* fecit, sic alia plurima. Nunc recentiores 63
instituerunt Græcis nominibus Græcas declinationes potius dare: quod tamen ipsum non semper fieri potest[u]. Mihi autem placet Latinam rationem sequi, quousque patitur decor. Neque enim jam *Calypsonem* dixerim, ut *Junonem:* quamquam secutus antiquos C. Cæsar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo su- 64
peravit. In ceteris, quæ poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui Græcam figuram sequi malit, non Latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur. Simplices 65
voces, prima positione, id est natura sua constant: compositæ, aut præpositionibus subjunguntur, ut *innocens*; interdum repugnantibus inter se duabus, quale est *imper-*

[q] nec G. Jens. [r] dictum G. [s] ex G. *et* Jens. *male.* [t] una aut *inseri vult* Turn. [u] posse G.

61. *Hermagora*] Cic. Rhet. 1, 6, 9. 11. 51. Brut. 78. Licet in recentioribus editionibus *Hermagoras* legatur: Quinctiliano tamen credit Burmannus, tanto magis, quod etiam *Atrida* dixerunt, non *Atrides*, boni auctores, quorsum laudat Broukh. ad Prop. 2, 11, 1.

62. *duabus longis sequentibus*] Parum accurata ista videri possunt. Primo enim duabus longis sequentibus primam s. antepenultimam acui non Latinus tantum sermo non patitur, sed neque Græcus, qui Ὀλυμπῶ cum patiatur, Ὀλυμπῷ respuit: deinde apud Latinos ultima hic non respicitur, sed sola penultima, nec magis *Olympus* et *tyrannus* primam acuere possunt, quam *Olympo* et *tyranno*: denique in utraque lingua nulla plane habetur primæ syllabæ ratio, ita quidem ut Οὔλυμπος nusquam in accentu diversum quid patiatur ab altero illo Ὄλυμπος. Neque tamen est ut librarios hic accusemus. Videtur primo Fabius ipse primam positionem Ὄλυμπος, Τύραννος cogitasse. Illa deinde exempla, quod solet, casu inflexit ad ordinem constructionis et verbum *dederunt*. Tum in ratione accentus explicanda ad hos ipsos casus, quos posuerat, tantum attendisse, et quæ multo latius patent, ad hæc sola vocabula, et quæ his undecunque similia sunt, restrinxisse.

62. *Sic genitivus*] Ne de accentu amplius cogites, *Sic* illud refertur ad morem quorundam Romanorum, qui in Græcis etiam nihil ex Latina ratione mutare vellent, dicerentque *Achillei*, contracte *Achilli* ab *Achilleus*, quasi esset secundæ declinationis: sic *Ulixei*, *Ulixi* ab *Ulixeus*, Ὀδυσσεύς, in qua voce ad Latinas leges traducenda plura etiam sibi indulserunt.

territus; alioqui poſſunt aliquando continuari duæ, ut *incompoſitus*, *reconditus*, et quo Cicero utitur, *ſubabſurdum*: aut e duobus quaſi corporibus coaleſcunt, ut *maleficus*. Nam ex tribus noſtræ utique linguæ non conceſſerim: quamvis *capſis* Cicero dicat compoſitum eſſe ex *cape ſi vis*; et inveniantur, qui *Lupercalia* æque tres partes orationis eſſe contendant, quaſi *luere per caprum*: nam *Suovetaurilia*[x] jam perſuaſum eſt eſſe ex *ſue*, *ove*, et *tauro*: et ſane ita ſe habet ſacrum, quale apud Homerum quoque eſt. Sed hæc non tam ex tribus, quam ex particulis trium coeunt. Ceterum etiam ex præpoſitione et duobus vocabulis dure videtur ſtruxiſſe Pacuvius:

——*Nerei*
Repandiroſtrum, *incurvicervicum*, *pecus*.

Junguntur autem aut ex duobus Latinis integris, ut *ſuperfui*, *ſubterfugi*; (quamquam ex integris an compoſita ſint, quæritur) aut ex integro et corrupto, ut *malevolus*; aut ex corrupto et integro, ut *noctivagus*; aut ex duobus corruptis, ut *pediſequus*; aut ex noſtro et peregrino, ut *biclinium*; aut contra, ut *epitogium*, et *Anticato*; aut ex duobus peregrinis, ut *epirhedium*. Nam cum ſit præpoſitio ἐπὶ Græca, *rheda* Gallicum; nec Græcus tamen, nec Gallus utitur compoſito: Romani ſuum ex utroque alieno fecerunt. Frequenter autem præpoſitiones quoque copulatio iſta corrumpit: inde *abſtulit*, *aufugit*, *amiſit*; cum præpoſitio ſit *ab* ſola: et *coit*; cum ſit præpoſitio *con*: ſic *ignavi*, et *erepti*, et ſimilia. Sed res tota magis Græcos decet, nobis minus ſuccedit: nec id fieri natura puto, ſed alienis favemus: ideoque eum κυρτοαυχένα[y] mirati ſumus, *incurvicervicum* vix a riſu defendimus. (X.) *Propria*

[x] Solitaurilia *omnes, puto, præter Vaſcoſa. et Stephanum.* [y] Eurauchena G.

65. *Cicero*] V. G. de Orat. 1, 67. ad Att. 16, 3. De *capſis* autem philoſophatur in Orat. 45. *Jam in xno*, Capſis, *tria verba ſunt*.

67. *Suovetaurilia*] Qui ſacrificium hoc a *ſue*, *ove*, *tauro* duci indicat, ille *ſolitaurilia* non videtur ſcripſiſſe. Igitur plus, quam alias, hic mihi ſumſi. Vid. ad Cato. de R. R. 141, 1. Homeri locus eſt Odyſſ. ϑ. 59. in cœna Alcinoi, Τοῖσιν δ' Ἀλκίνοος δυοκαίδεκα μῆλ' ἱέρευσεν, Ὄκτω δ' ἀργιόδοντας ὕας, δύο δ' εἰλίποδας βοῦς.

68. *quæritur*] Sed quid pro negante parte diſputari poſſit, non video, niſi forte illud, non videri integram vocem, quæ accentum ſuum perdidit.

sunt verba, cum id significant, in quod primum denominata sunt; *translata*, cum alium natura intellectum, alium loco præbent. *Usitatis* tutius utimur: *nova* non sine quodam periculo singimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt orationi[a]; repudiata, etiam in jocos exeunt. Audendum tamen: namque, ut Cicero ait, etiam 71
quæ primo[b] dura visa sunt, usu molliuntur. Sed minime nobis concessa est ὀνοματοποιία· quis enim ferat, si quid simile illis merito laudatis, λιγὺς βιὸς, et σίζει ὀφθαλμὸς, fingere audeamus? Jam ne *balare* quidem aut *binnire* fortiter diceremus, nisi judicio vetustatis niterentur.

VI. Est etiam sua loquentibus observatio, sua scribentibus. *Sermo* constat ratione, vetustate, auctoritate, consuetudine. *Rationem* præstat præcipue *analogia*, nonnumquam et *etymologia*. *Vetera* majestas quædam, et ut sic dixerim, religio commendat. *Auctoritas* ab oratoribus[c], 2
vel historicis peti solet: nam poetas metri necessitas excusat, nisi si quando, nihil impediente in utroque[d] modulatione pedum, alterum malunt, qualia sunt,—*Imo de stirpe recisum*; et—*Aëriæ quo congessere palumbes*; et—*Silice in nuda*, et similia: cum summorum in eloquentia virorum judicium pro ratione, et vel error honestus est magnos duces sequentibus. *Consuetudo* vero certissima loquendi 3
magistra: utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est. Omnia tamen hæc exigunt acre judicium, *analogia* præcipue, quam proxime ex Græco transferentes in Latinum, *proportionem* vocaverunt. Ejus hæc 4
vis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quæritur, referat, ut incerta certis probet: quod efficitur duplici via: *comparatione* similium in extremis maxime syllabis, (propter quod ea, quæ sunt e singulis, negantur debere rationem,) et *diminutione*. *Comparatio* in 5

[a] Oratori *quædam editiones, quod fere prætulerim.* [b] principi G. *Minime male*, principi, *hoc est primo auctori.* [c] auctoribus G. [d] utraque G. Jens. *male.*

72. *Cicero*] De Nat. Deor. 1, 34. Vid. infra 8, 3, 32.

C. VI. 2. *Imo de stirpe*] Virg. Æn. 12, 208. His, quæ a Burmanno notata sunt, add. Cato. de R. R. 40. 2. *stirpem præcisum*, et Colum. 5, 9, 13. *ex imo stirpe*. Utroque certe in loco, magnas auctoritates secuti, sic edendum curavimus.

2. *Aëriæ—palumbes*] Ecl. 3, 69. et alterum de silice Ecl. 1, 15.

4. *negantur debere rationem*] Camerarius e conjectura substituit *habere*: quod sane verum est. Sed quæ non *habent* rationem ea nec *debent*, id est eorum rationem nec debet Grammaticus. Nimirum ne-

nominibus [e] aut genus deprehendit, aut declinationem. *Genus*, ut si quæratur, *funis* masculinum sit, an femininum, simile illi sit *panis*: *Declinationem*, ut si veniat in dubium, *hac domu* dicendum sit, an *hac* [f] *domo*, et *domuum*, 6 an *domorum*? similia sint *domus*, *anus*, *manus*. *Diminutio* genus modo detegit: et, ne ab eodem exemplo recedam, 7 *funem* masculinum esse *funiculus* ostendit. Eadem in verbis quoque ratio comparationis [g]: ut si quis, antiquos sequutus, *fervere* brevi media syllaba dicat, deprehendatur vitiose loqui, quod omnia, quæ *e* et *o* literis fatendi [h] modo terminantur, eadem, si in infinitis *e* literam media syllaba acceperunt, utique productam habent, *prandeo*, *pen*- 8 *deo*, *spondeo*, *prandere*, *pendere*, *spondere*. At quæ *o* solam habent, dummodo per eamdem literam in infinito exeant, brevia fiunt, *lego*, *dico*, *curro*, *legere*, *dicere*, *currere*: etiam si est apud Lucillium,

Fervit [i] *aqua et fervet*: *fervit nunc*, *fervet ad annum*.

9 Sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si *fervit* putat illi simile *currit* et *legit*, *fervo* dicetur [k], ut *curro* et *lego*: quod nobis inauditum est. Sed non est hæc vera comparatio: nam *fervit* illi est simile *servit*: quam proportio- 10 nem sequenti dicere necesse est *fervire*, ut *servire*. Prima quoque aliquando positio ex obliquis invenitur, ut memoria repeto convictos [m] a me, qui reprehenderant, quod hoc verbo usus essem, *pepigi*: nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia [n] prima positio *paciscor*, cum haberet na- 11 turam patiendi, faceret tempore præterito *pactus sum*. Nos, præter auctoritatem oratorum atque historicorum, analogia quoque dictum tuebamur: nam cum in XII tabulis legeremus, *Ni ita pagunt*: inveniebamus simile huic, *cadunt*: inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat [o], apparebat, *pago*, ut *cado*: unde non erat dubium sic *pepi*-

[e] omnibus G. *Sic* 1, 1, 30. [f] *om.* G. [g] comparatio rationis G. [h] finiendi *ed. Campa.* 1470. *teste Maittairio in diss. epistolari.* [i] *prius hemistichium om.* G. [k] dicit G. [m] conjunctos G. Jens. [n] nam G. [o] exoluerat G.

gat Fabius in monosyllabis valere quidquam rationem sive analogiam.

8. *Fervit aqua*] Hoc ita interpretatur Barthius 56, 9. p. 2645. *Fervit* transeuntem momento calorem notare, *fervet* perpetuum, forte qualis est in thermis. Probi, Nonii, Prisciani testimonia adfert Fr. Dousa ad h. l. Reliq. Lucil. 9, 14. p. 46.

gi nos dicere, ut *cecidi*. Sed meminerimus non per- 12
omnia duci *analogiæ* posse rationem, cum sibi ipsa plurimis in locis repugnet. Quædam sine dubio conantur eruditi defendere, ut cum deprehensum est [p], *lepus* et *lupus* simili positione, quantum casibus numerisque differentiant; ita respondent, non esse paria, quia *lepus* epicœnum sit, *lupus* masculinum: quamquam Varro in eo libro, quo initia urbis Romæ enarrat, *lupum feminam* dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus. Illi autem iidem, cum interro- 13
gantur [q], cur *aper apri*, et *pater patris* faciat [r]? illud nomen simpliciter positum, hoc ad aliquid esse contendunt. Præterea quoniam utrumque a Græco ductum sit, ad eam rationem recurrunt, ut πατρὸς *patris*, κάπρου *apri* [s] faciat. Illa tamen quomodo effugient, ut nomina, quamvis femi- 14
nina, singulari nominativo, *u*, *s*, literis finita, numquam genitivo casu in *ris* syllabam terminantur; faciat tamen *Venus Veneris?* Item cum *e*, *s*, literis finita, per varios exeant genitivos, numquam tamen eadem in *ris* syllaba terminatos; *Ceres* cogat dici *Cereris?* Quid vero? quæ tota 15
positionis ejusdem, in diversos flexus exeunt? cum *Alba* faciat *Albanos* et *Albenses*, *Volo volui* et *volavi*. Nam præterito quidem tempore varie formari verba prima persona, litera *o* terminata, ipsa analogia confitetur. Siquidem facit *cado cecidi*, *spondeo spopondi*, *pingo pinxi*, *lego legi*, *pono posui*, *frango fregi*, *laudo laudavi*. Non enim, cum pri- 16
mum fingerentur homines, *analogia* demissa cœlo formam loquendi dedit: sed inventa est, postquam loquebantur, et notatum in sermone, quid quo [t] modo caderet: itaque non ratione [u] nititur, sed exemplo; nec lex est loquendi, sed observatio, ut ipsam *analogiam* nulla res alia fecerit, quam consuetudo. Inhærent tamen quidam molestissima 17
diligentiæ perversitate, ut *audaciter* potius dicant, quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur; et *emicavit*, non *emicuit*, et *conire*, non *coire*. His permittamus et *audivisse*, et *scivisse*, et *tribunale*, et *faciliter*, dicere: *fru-*

[p] fit G. [q] interrogarentur G. interrogabantur Jenf. [r] faceret G. [s] apri *cum pluribus etiam* G. *et* Jenf. capri *al.* [t] quoque G. Jenf. [u] modo *inf.* G.

17. *audivisse*, *scivisse—frugalis*] Rariora itaque hæc certe Fabii ævo fuerunt, ut fugere virum diligentem potuerint, quamquam, nisi nimis corrupti sunt libri nostri, passim ea exstant. Forte tamen, (et vidit tale quid Turnebus) idem voluit noster, quod de præteritis illis Cic. Orat. 47. pr. *Quid? quod sic loqui*, nosse, judicasse, *vetant: quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate.*

galis quoque ſit apud illos, non *frugi*: nam quo alio mo-
18 do fiat *frugalitas?* Iidem *centum millia nummum*, et *fidem Deum*, oſtendant duplices ſolœciſmos eſſe [x], quando et caſum mutant, et numerum: neſciebamus enim, ac non conſuetudini et [z] decori ſerviebamus: ſicut in plurimis,
19 quæ Tullius in Oratore divine, ut omnia, exſequitur. Sed Auguſtus quoque in epiſtolis ad C. Cæſarem ſcriptis emendat [a], quod is *calidum* dicere, quam *caldum* malit: non quia illud non ſit Latinum, ſed quia ſit odioſum, et,
20 ut ipſe Græco verbo ſignificavit, περιεργον. Atqui hanc quidam ὀρθοέπειαν ſolam putant, quam ego minime excludo. Quid enim tam neceſſarium, quam recta locutio? Immo inhærendum ei judico, quoad licet, diu etiam mutantibus repugnandum: ſed abolita atque abrogata retinere, inſolentiæ cujuſdam eſt, et frivolæ in parvis jactan-
21 tiæ. Multum enim literatus, qui ſine aſpiratione et producta ſecunda ſyllaba ſalutavit, *avete* (eſt enim) et *calefacere* dixerit potius, quam quod dicimus [b], et *conſervaviſſe*:
22 his adjiciat *face*, et *dice*, et ſimilia. Recta eſt hæc via: quis negat? ſed adjacet [c] et mollior, et magis trita. Ego

[x] *om.* G. Jenſ. [z] et decori *om.* G. [a] emendatur G. [b] diximus G. [c] alia eſt G. Jenſ.

18. *ac non conſuetudini*] Negationem omitti vult Gronovius de P. V. 1, 9. p. 41. ut ἀιρωνεία melius appareat: ſed mihi videbatur vehementiorem fieri εἰρωνείαν, ſi relinquatur.

18. *Tullius in Oratore*] Eſt locus elegantiſſimus c. 46. ſed longior, quam ut huc tranſcribi debeat.

19. *Auguſtus in epiſtolis*] Faciunt annotationes virorum doctorum ad h. l. ut et nobis aliquid dicendum putemus. Auguſtus igitur emendat Caium Cæſarem, quod is, (C. Cæſarem intellige,) contra conſuetudinem illius ætatis, analogiam et rationem ſecutus *calidum* dicere quam *caldum* mallet. Non autem ideo reprehendit illum Auguſtus, quo *calidum* non ſit Latinum æque ac *frigidum* et *tepidum*; ſed quia ſit *odioſum*, h. e. putidæ cujuſdam et perverſæ diligentiæ, in rebus minutis collocatæ, quæ proprie etiam περιεργία eſt. *Odioſum*, inquam, eſt. *Affectationis* enim genus eſt, *qua nihil odioſius* eſſe non demum ex ipſo Fabio diſcere opus erat (1, 6, 40.) niſi de vi verbi ageretur.

20. *retinere*] h. e. pertinaciter defendere, ut 1, 5, 60.

21. *eſt enim*] Si ſana ſunt hæc verba, intelligenda eſt *verum* vel ſimilis vox: ut 1, 5, 13. Nimirum hoc vult; ille, qui ſedulitate quadam moleſta ductus ſolenni verbo ſalutavit, idque ita extulit, ut primam literam adſpiraret, mediam autem ſyllabam produceret, qua in re nihil contra Grammaticas leges peccavit, (eſt enim ita, ſi ſolas illas conſulas, pronunciandum,) idem etiam pro ſolenniori *calfacere*, plenius alterum *calefacere* per nos dixerit, itemque *face* et *dice* ad normam illam proferat &c.

tamen non alio magis angor, quam quod obliquis casibus ducti etiam primas [d] sibi positiones non invenire, sed mutare permittunt: ut cum *ebur* et *robur*, ita dicta ac scripta [e] summis auctoribus, in o literam secundæ syllabæ transferunt, quia fit [f] *roboris* et *eboris*; *sulfur* autem et *guttur*, *u*, literam in genitivo servent: ideoque etiam *jecur* et *femur* controversum [g] fecerunt: quod non minus est licen- 23
tiosum, quam si *sulfuri* et *gutturi* subjicerent in genitivo literam o mediam, quia esset *eboris* et *roboris*: sicut Antonius Gnipho [h], qui *robur* quidem et *ebur*, atque etiam *marmur* fatetur esse: verum fieri vult ex his *robura*, *ebura*, *marmura*. Quod si animadverterent literarum affinitatem, 24
scirent sic ab eo, quod est *robur*, *roboris* fieri, quomodo ab eo, quod est *miles*, *limes*, *militis*, *limitis*; *judex*, *vindex*, *judicis*, *vindicis*; et quæ supra jam attigi. Quid? non similes 25
quoque (ut dicebam) positiones, in longe diversas figuras per obliquos casus exeunt? ut *virgo*, *Juno*; *fusus*, *lusus*; *cuspis*, *puppis*, et mille alia? cum illud etiam accidat, ut quædam pluraliter non dicantur, quædam contra singulari numero; quædam casibus careant, quædam a primis statim positionibus tota mutentur, ut *Jupiter* [i]. Quod verbis etiam 26
accidit, ut *fero*, (*tuli* [l]) cujus præteritum perfectum, et ulterius non invenitur. Nec plurimum refert, nulla hæc, an prædura [m] sint. Nam quid *progenies* genitivo singulari, quid plurali *spes* [n] faciet? Quomodo autem *quire* et *ruere* [o], vel in 27
præterita patiendi modo, vel in participia transibunt? Quid de aliis dicam, cum *senatus senatus senatui*, an *senatus senati senato* faciat, incertum sit? Quare mihi non invenuste dici videtur, aliud esse *Latine*, aliud *Grammatice* loqui. Ac [p] de *analogia* vel [q] nimium. [r] *Etymologia*, quæ 28
verborum originem inquirit, a Cicerone dicta est *notatio*, quia nomen ejus apud Aristotelem invenitur σύμβολον, quod est *nota*: nam *verbum* a *verbo* ductum, id est *veriloquium*, ipse Cicero, qui finxit, reformidat. Sunt, qui vim potius

[d] primam sibi positionem G. Jens. [e] in *inf.* G. Jens. [f] sic G. [g] *Sic* Jens. controversiam *al.* [h] Gripho G. *sed vid. Macrob. Sat.* 3, 12. *Sueto. de Gramm.* c. 7. *laudatos Burmanno.* [i] Juppiter G. Jens. [l] [tuli] *videtur glossa esse.* [m] prædicta G. Jens. [n] species Jens. [o] ire G. Jens. [p] Hæc G. [q] *om.* G. [r] *Hic novum caput orditur* G.

24. *supra*] Puto, 1, 4, 13.

26. *quire et ruere*] Ita intelligo, *Quire* non habet participium præsentis temporis *quiens*: *ruere* non habet præteritum passivum *ruitus* vel *rutus sum*. Hæc talia flecti quidem per analogiam possunt, sed *prædura sunt*, quod parum referre ait Fabius ab eo, si sint *nulla*. *Ruta*, *cæsa* an obverti possint, non dixerim: certe *rutus est acervus*, vel simile quid, inauditum arbitror.

29 intuiti, *originationem* vocent. Hæc habet aliquando usum necessarium, quoties[s] interpretatione res, de qua quæritur, eget: ut cum M. Cœlius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat) sed quia utilis multis, id est fructuosus, unde sit dicta *frugalitas*. Ideoque in definitionibus assignatur ety-
30 mologiæ locus. Nonnumquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere, ut cum *Triquetram* dici Siciliam, an *Triquedram*[t]; *meridiem*, an *medidiem* oporteat, quæri-
31 tur, aliaque[u], quæ consuetudini serviunt. Continet autem in se multam eruditionem, sive illa ex Græcis orta tractemus, quæ sunt plurima, præcipueque *Æolica* ratione (cui est sermo noster simillimus) declinata: sive ex historiarum veterum notitia, nomina[x] hominum, locorum, gentium, urbium requiramus, unde *Bruti*, *Publicolæ*, *Pici?* cur *Latium*, *Italia*, *Beneventum?* quæ *Capitolium*,
32[z] collem *Quirinalem*, et *Argiletum* appellandi ratio? Jam illa minora, in quibus maxime studiosi ejus rei fatigantur, qui[a] verba paullum declinata, varie et multipliciter ad veritatem reducunt, aut correptis aut porrectis, aut adjectis aut detractis, aut permutatis literis syllabisve. Inde pravis ingeniis ad fœdissima usque ludibria dilabuntur. Sit enim[b] *Consul* a consulendo, vel[c] a judicando; nam et hoc *consulere* veteres appellaverunt[d]; unde adhuc remanet[e] illud, *Rogat, boni consulas*, id est bonum judices:
33 *Senatui* nomen dederit ætas; nam iidem *Patres* sunt: et *Rex*, *rector*, et alia plurima indubitata: nec abnuerim *tegu-*

[s] quum G. [t] triquatram G. [u] aliquando consu. servit G. [x] notitia, nominum, locorum *sphalma Burm.* [z] et *inf.* G. Jens. [a] quæ G. [b] fit enim G. *it.* Voss. 1. *et* 3. sitne *rel.* [c] vel G. *et* Voss. 2. an *rel.* [d] vocaverunt G. [e] remanet G. Jens.

30. *Triquedram; meridiem*] Si enim a *quadrando* vel ab ἕδρα fit, *d* postulat: sed usus puto pervicit, ut *t* esset. Sic de altero Cic. Orat. 47. *Ipsum* meridiem *cur non* medidiem? *credo, quod erat insuavius.*

32. *ad veritatem*] h. e. ἔτυμον, unde etymologia dicta est, vid. s. 21.

32. *Sit enim Consul*] Vel hujus solius loci causa multum debent studiosi Gothano codici. Ut enim ante legebatur, nescio quam morosus videri debebat Fabius, qui ad *fœdissima ludibria* referret etymologias apertas et summis viris probatas. Jam apparet illum tria ponere exemplorum genera, probare primum genus, tolerabile judicare alterum, tertium denique *fœdis ludibriis* accensere. Res aperta considerantibus.

32. *vel a judicando*] Notus locus Cic. de Legg. 3, 3. *Regio imperio duo sunto, iique* (*a* inseri vult Davisius) *præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Consules appellantor &c.*

læ, regulæque, et similium his, rationem : jam sit et *classis* a calando, et *lepus levipes*, et *vulpes volipes:* etiamne a con- 34
trariis aliqua sinemus [f] trahi? ut *lucus*, quia umbra opacus, parum *luceat?* et *ludus*, quia sit longissime ab lusu? et *dis* [g], quia minime *dives?* etiamne *hominem* appellari, quia sit *humo* natus? (quasi vero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen imposuerint terræ, quam sibi) et *verba* ab aere *verberato?* Perga- 35
mus: sic perveniemus eousque, ut *stella*, luminis *stilla* credatur: cujus etymologiæ auctorem, clarum sane in literis, nominari ea parte, qua a me reprehenditur, inhumanum est. Qui vero talia libris complexi sunt, nomina 36
sua ipsi inscripserunt, ingenioseque sibi [h] visus est Caius [i] Granius *cœlibes* dicere, veluti *cœlites*, quod onere [k] gravissimo vacent, idque Græco argumento; ἡλιθέους enim eadem de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione: nam quia *Cœlo* Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant. At [l] L. Ælius *pi-* 37
tuitam, quia petat vitam. Sed cui non post Varronem sit venia? qui *agrum*, quod in eo *agatur* aliquid; et *graculos* [m], quia *gregatim volent*, dictos, Ciceroni persuadere voluit; [n] cum alterum ex Græco fit manifestum duci, alterum ex vocibus avium. Sed huic [o] tanti fuit vertere [p], 38
ut *merula*, quia sola volat, quasi *mera volans* nominaretur. Quidam non dubitaverunt etymologiæ subjicere omnem nominis caussam, ut ex habitu, quemadmodum dixi, *Longos*

[f] sinamus G. [g] ditis G. Jens. [h] *om.* G. [i] Cavinius cœlibes G. *sed vehementer hic variant libri. Vid. Burm.* [k] honore G. *male.* [l] ait Lælius G. Jens. [m] gragulos G. [n] ad eum enim scribit *inf.* G. *et* Jens. *et plures ap. Burm.* [o] hoc G. [p] verrere Jens. veritas *conj. Gallæi.*

34. *a contrariis*] Totum illud genus, ubi per ἀντίφρασιν dicta quædam volunt Grammatici, olim eruditi exploserunt.

37. *L. Ælius*] *C. Ælii hominis in primeis ix litereis Latineis exercitati interpretationem carminum Saliorum* laudat Varro de LL. 6, 1.

37. *Ciceroni pers. voluit*] Verba quæ adjiciuntur in bonis libris pluribus, non sunt indigna Quinctiliano et aliquo modo necessaria, cum non omnes de Latina lingua libros Ciceroni inscripserit Varro, sed ut videtur modo IV, V, VI: tres primos quidem Septimio se misisse, exordio quarti ipse testatur. Igitur tanto minus hoc monere importunum fuit. Locus Varronis est 4, 11.

38. *vertere*] Si utique tuenda sit hæc lectio, dicendum fuerit, *vertere* esse pervertere omnia et corrumpere. Neque vero diffiteor, mihi in hac consilii inopia Gallæi conjecturam placere. Varroni tanti fuit *veritas*, hoc est *etymi* investigandi cura, ut *veritatem* aliam negligeret.

38. *dixi*] Supra 1, 4, 25.

et *Rufos*; ex ſono, *ſtrepere*, *murmurare*; etiam [q] derivata, ut a *velocitate* dicitur *velox*; et compoſita pleraque [r] his ſimilia, quæ ſine dubio aliunde originem ducunt, ſed arte non egent, cujus in hoc opere non eſt uſus, niſi in dubiis.
39 (XI.) Verba a *vetuſtate* repetita, non ſolum magnos aſſertores habent, ſed etiam afferunt orationi majeſtatem aliquam, non ſine delectatione: nam et auctoritatem antiquitatis habent; et quia intermiſſa ſunt, gratiam novitati
40 ſimilem parant. Sed opus eſt modo, ut neque crebra ſint hæc, neque manifeſta, quia NIHIL eſt odioſius affectatione; nec utique ab ultimis et jam [s] obliteratis repetita temporibus, qualia ſunt *topper* [t], et *antigerio*, et *exanclare* [u], et *proſapia*, et *Saliorum carmina*, vix ſacerdotibus ſuis ſatis
41 intellecta. Sed illa mutari vetat religio, et conſecratis utendum eſt: oratio vero, cujus ſumma virtus eſt perſpicuitas, quam fit [x] vitioſa, ſi egeat interprete? Ergo, ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxi-
42 me nova. Similis circa *auctoritatem* ratio. Nam etiam ſi poteſt videri nihil peccare, qui utitur iis verbis, quæ ſummi auctores tradiderunt, multum tamen refert non ſolum, quid dixerint, ſed etiam quid perſuaſerint. Neque enim *turburchinabundum* et *lurchabundum* [z] jam in nobis quiſquam ferat, licet Cato ſit auctor; nec *bos lodices*, quamquam id Pollioni placeat; nec *gladiola*, atqui Meſſala dixit; nec *parricidatum*, quod in Cælio vix tolerabile videtur; nec *collos* mihi
43 Calvus perſuaſerit: quæ nec ipſi jam dicerent. (XII.) Supereſt igitur *conſuetudo*: nam fuerit pene ridiculum malle ſermonem, quo locuti ſunt homines, quam quo loquantur. Et ſane quid eſt aliud *vetus ſermo*, quam vetus loquendi conſuetudo? Sed huic ipſi neceſſarium eſt judicium, conſtituendumque in primis, id ipſum quid ſit,
44 quod *conſuetudinem* vocemus. Quæ ſi ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculoſiſſimum dabit præceptum, non orationi modo, ſed (quod majus eſt) vitæ. Unde enim tantum boni, ut pluribus quæ recta ſunt placeant? Igitur ut *velli*, et *comam in gradus frangere*, et *in balneis perpotare*, quamlibet hæc invaſerint [a] civitatem, non erit conſuetudo, quia nihil horum caret reprehenſione; at *lavamus* [b], et *tondemus* [c], et *convivimus* ex con-

[q] et G. [r] pluraque G. Jenſ. [s] *om.* G. Jenſ. [t] copper G. toppet Jenſ. [u] exandlare G. [x] fit *Francius ap. Burm. in app.* ſit *rel.* [z] lurchinabundum G. Jenſ. *et infinita prope eſt varietas.* [a] invaſerunt G. [b] lavamur G. Jenſ. ſed lavamus *pulchre tuetur Burm.* [c] tondemur G. Jenſ. *v. not. præc.*

ſuetudine: ſic in loquendo, non ſi quid[d] vitioſe multis inſederit, pro regula ſermonis accipiendum erit. Nam ut 45
tranſeam, quemadmodum vulgo imperiti loquuntur; tota ſæpe theatra, et omnem Circi turbam exclamaſſe barbare ſcimus. Ergo CONSUETUDINEM ſermonis, vocabo conſenſum eruditorum; ſicut vivendi, conſenſum bonorum.

VII. (XIII.) Nunc quoniam diximus, quæ ſit loquendi regula, dicendum, quæ ſcribentibus cuſtodienda: quod Græci ὀρθογραφίαν vocant, nos *recte ſcribendi ſcientiam* nominemus. Cujus[e] ars non in hoc poſita eſt, ut noverimus, quibus quæque ſyllaba literis conſtet (nam id quidem infra grammatici officium eſt) ſed totam, ut mea fert opinio, ſubtilitatem in dubiis habet: ut longis ſyllabis 2
omnibus apponere[f] apicem ineptiſſimum eſt, quia plurimæ natura ipſa verbi, quod ſcribitur, patent: ſed interim neceſſarium, cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta, vel producta eſt, facit: ut *malus*, utrum arborem ſignificet, an hominem non bonum, apice diſtinguitur. *Palus* aliud priore ſyllaba longa, aliud ſe- 3
quenti ſignificat: et cum eadem litera nominativo caſu brevis, ablativo longa eſt, utrum ſequamur[g], plerumque hac nota monendi ſumus. Similiter putaverunt illa quo- 4
que ſervanda diſcrimina, ut *ex* præpoſitionem[h], ſi verbum ſequeretur *ſpecto*, adjecta ſecundæ ſyllabæ *ſ* litera, *exſpecto*: ſed ſi *pecto*, remota *ſ* ſcriberemus. Illa quoque ſervata eſt 5
a multis differentia, ut *ad*, cum eſſet præpoſitio, *d* literam; cum autem conjunctio, *t* acciperet. Item[i] *cum*, ſi *tempus* ſignificaret, per *q*; ſi *comitem*, per *c*; ſi vero *cauſſam*, per *q* ac duas ſequentes *u u*, ſcriberetur. Frigidiora 6
his alia, ut *quicquid*, *c* quartam haberet, ne interrogare bis videremur: et *quotidie*, non *cotidie*, ut ſit, quot diebus. Verum hæc jam inter ipſas ineptias evanuerunt. Quæri ſolet in 7
ſcribendo præpoſitiones ſonum, quem junctæ efficiunt, an

[d] Sic G. *non male, puto.* [e] Ejus G. Jenſ. [f] *om.* G. [g] ſequatur G.
[h] præpoſitione G. [i] itemque G. Jenſ.

7, 2. *apponere apicem*] Vid. ad 1, 4, 10. et ad 1, 5, 23. Cæterum illud, credo, apparet attendentibus, *apicem* illum longæ vocalis indicem non tantum in puerorum gratiam appoſitum, ſed ut alios etiam in pronunciando juvaret; quod tum neceſſarium videbatur, cum omnes in quacunque ſyllaba vocales ipſa pronunciatione, longæne an breves eſſent, diſtinguerentur, quæ quidem ratio poſt intercidit. Eleganter autem Fabius, cum explicat Grammatici officium, utitur ſimilitudine, quæ eadem exempli loco eſſe poteſt.

quem ſeparatæ, obſervare conveniat, ut cum dico, *obtinuit*[k]: ſecundam enim *b* literam ratio poſcit, aures magis
8 audiunt *p*. Et *inmunis*, illud *n*, quod veritas exigit, ſe-
9 quentis ſyllabæ ſono victum, *m* gemina commutatur. Eſt etiam in dividendis verbis obſervatio[l], conſonantem priori, an ſequenti ſyllabæ adjungas. *Aruſpex* enim, quia pars ejus poſterior a *ſpectando* eſt, *ſ*, literam tertiæ dabit[m]: *abſtemius*, quia ex abſtinentia temeti compoſita vox eſt,
10 primæ relinquetur[n]. Nam *k* quidem in nullis verbis utendum puto, niſi quæ ſignificat, etiam ut ſola ponatur. Hoc eo non omiſi, quod quidam eam, quoties *a* ſequatur, neceſſariam credunt: cum ſit *c* litera, quæ ad omnes vocales vim
11 ſuam perferat. Verum orthographia quoque conſuetudini ſervit, ideoque ſæpe mutata eſt. Nam illa vetuſtiſſima tranſeo tempora, quibus et pauciores literæ, nec ſimiles his noſtris earum formæ fuerunt, et vis quoque diverſa: ſicut apud Græcos *o* literæ[o], quæ interim longa ac brevis, ut apud nos, interim pro ſyllaba, quam nomine
12 ſuo exprimit, poſita eſt: ut Latinis veteribus *d* plurimis in verbis ultimam[p] adjectam: quod manifeſtum eſt etiam ex columna roſtrata, quæ eſt C. Duellio in foro poſita. Interim *g* quoque, ut in pulvinari Solis, qui colitur juxta ædem Quirini *veſperug*; quod *veſperuginem* accipimus.
13 De mutatione etiam literarum, de qua ſupra dixi, nihil repetere hic neceſſe: fortaſſe enim ſicut ſcribebant, etiam

[k] in *inſ.* Capper. *cui reſpondet Bur. Epiſt.* p. 17. *intelligi certe poteſt*, cum dicitur. [l] mediam literam *inſ.* G. Jenſ. [m] dabimus G. Jenſ. [n] relinquet, *nimirum ſ illud medium, legendum cenſeo.* [o] litera G. Jenſ. [p] ultimæ adjecta *Francius ap. Burm. quid ſi* ultimum adjectum? *Sed poteſt pendere ex verbo* tranſeo.

7. *obtinuit*] Sunt ſane multi codices, in quibus *optinuit*, *opterere*, et ſimilia conſtanter ſcribitur: patrocinatur illi rationi canon Græcorum de tenui litera tenuem, et ſic porro, ante ſe poſtulante; itemque illud, quod ex *ſcribo*, *ſcriptus* formatur; niſi Scioppium audias et *ſcribtum* ſcribi velis.

10. *quæ ſignificat*] Vid. ad 1, 4, 9.

10. *vim ſuam perferat*] Eodem igitur modo pronunciabat *C* in *Cethego* et *Cicerone* quo in *Catone* et *Cornelio* atque *Curione*.

11. *pro ſyllaba—exprimit*] h. e. pro negandi particula ϭ. Hæc enim *o*, *Una fuit tantum, qua reſpondere Lacones Litera et irato regi placuere negantes*, quem locum Auſonii Epiſt. 25, 36. qui explicarunt viri docti, Quinctiliani etiam hæc verba poterant adſcribere, et inde illuſtrare. Vid. Toll. p. 694.

12. *ex columna roſtrata*] Talia ſunt (Grut. p. CCCCIV. 1.) PUCNANDOD, MARID, DICTATORED, ALTOD MARID, NAVALED PRÆDAD. De Orthographia *Duellii* an *Duillii?* vid. ad 1, 4, 14.

13. *ſupra dixi*] 1, 4, 13. ſq.

ita loquebantur. Semivocales non geminare, diu fuit 14
uſitatiſſimi [q] moris: atque e contrario uſque ad Accium
et ultra, porrectas ſyllabas geminis, ut dixi, vocalibus
ſcripſerunt. Diutius duravit ut, *e*, *i*, jungendis, eadem 15
ratione qua Græci ει, uterentur; ea caſibus numeriſque
diſcreta ſunt [r], ut Lucillius præcipit,

Jam pueri [s] *venere, e poſtremum facito, atque i,*
Ut puerei plures fiant.

Ac deinceps idem,

Mendaci furique addes e, cum dare furei Jufferis.

Quod quidem cum ſupervacuum eſt, quia *i*, tam longæ 16
quam brevis naturam habet; tum incommodum aliquan-
do. Nam in iis, quæ proximam ab ultima literam *e* ha-
bebunt, et *i* longa terminabuntur, illam rationem ſequen-
tes, utemur *e* gemina, qualia ſunt hæc, *aureei, argenteei*,
et ſimilia: idque iis præcipue, qui ad lectionem inſtitu- 17
entur [t], etiam impedimento erit: ſicut in Græcis accidit
adjectione ι literæ, quam non ſolum dativis caſibus in
parte ultima adſcribunt, ſed quibuſdam etiam interponunt,
ut in ΑΗΙΣΤΗΙ, quia etymologia ex diviſione in [u] tris ſylla-
bas facta, deſideret eam literam. Ai [x] ſyllabam, cujus 18
ſecundam nunc *e* literam ponimus, varie per *a* et *i* effere-
bant, quidam ſemper ut Græci: quidam ſingulariter tan-
tum, cum in dativum vel genitivum caſum incidiſſent, un-

[q] vetuſtiſſimi G. [r] eſt G. Jenſ. [s] puerei G. puere Jenſ. Puerei *etiam Fr. Douſa dedit in fragm. Lucil. p.* 45. *ex h. l. et ex Velio Longo.* [t] inſtru-erentur G. [u] inter ſyllabas *poſt alios Bur.* in triſyllabas G. Jenſ. *et alii ap. Bur.* in duas ſyllabas Gryph. *quod placebat Burmanno.* [x] Ac G. *forte fuit* Ac.

14. *ut dixi*] Supra 1, 4, 10.

17. *adſcribunt*] Etiam vetuſtiſſima quæque monumenta, quæ quidem habent Ἰῶτα illud, non *ſubſcribunt*, uti nunc fit, ſed *adſcribunt*. Res pervulgata eſt.

17. *in tris ſyllabas*] Quas habeam hujus lectionis auctoritates, ſupra judicavi. Recte et ordine ita diviſa a nobis vocabula facile, ſpero, intelligentibus probabimus. *Tris*, non *tres* ſemper fere eſt Gothano, Jenſoniano, et optimis quibuſque libris, e quibus nuper demum, ut eo utar, quod primum ſe offert, *tris apros* dedit apud Plinium ep. 1, 6. pr. Cortius. Si dativus ſingularis ΑΗΙΣΤΗΙ (ſic enim literis majuſculis ſcripſit Fabius) in tris ſyllabas dividendus ſit cogente metro, interpoſitum illud ῑ̃ῶτα non diphthongi jam partem eſſe, ſed ſeparatim legendum, apparet etymologia duce, quæ oſtendit eſſe a λείᾱ, λήϊα, λᾕζομαι. Nam alioquin dubium eſſe poterat, utrum ῑ̃ῶτα ad tertiam ſyllabam conſtituendam a præmiſſo ῆτα ſeparandum ſit.

19 de *pictai veſtis, et aulai*, Virgilius amantiſſimus vetuſtatis, carminibus inſeruit. In iiſdem plurali numero *e* utebantur, *hi Syllæ, Galbæ*. Eſt in hac quoque parte Lucillii præceptum: quod, quia pluribus explicatur verſibus, ſi 20 quis parum credat, apud ipſum in nono requirat. Quid? quod Ciceronis temporibus, paullumque infra, fere quoties *ſ*[z] litera media vocalium longarum, vel ſubjecta longis eſſet, geminabatur? ut *cauſſæ, caſſus, diviſſiones:* quo modo et ipſum, et Virgilium quoque ſcripſiſſe, manus eo- 21 rum docent. Atqui paullum ſuperiores etiam illud, quod nos[a] gemina *ſ* dicimus, *juſſi*, una dixerunt, *juſi*. Etiam *optimus, maximus*, ut mediam *i* literam, quæ veteribus *u* fuerat, acciperent, C. primum Cæſaris inſcriptione traditur factum. 22 *Here*, nunc *e* litera terminamus: at veterum Comicorum adhuc libris invenio, *Heri ad me venit*. Quod idem in epiſtolis Auguſti, quas ſua manu ſcripſit, aut emendavit, 23 deprehenditur. Quid? non Cato Cenſorius, *dicam et faciam, dicem*[b] et *faciem* ſcripſit? eumdemque in ceteris, quæ ſimiliter cadunt, modum tenuit? quod et ex veteribus ejus libris manifeſtum eſt, et a Meſſala in libro de S litera 24 poſitum *Sibe* et *quaſi*, ſcriptum in multorum libris eſt: ſed an hoc voluerint auctores, neſcio: T. Livium ita his uſum, ex Pediano comperi, qui et ipſe eum ſequebatur: 25 hæc nos *i* litera finimus. Quid dicam *vortices*, et *vorſus*, ceteraque ad eumdem modum, quæ primo[c] Scipio Afri- 26 canus in *e* literam ſecundam vertiſſe dicitur[d]? Noſtri præceptores *cervom ſervomque, u* et *o* literis ſcripſerunt, quia ſubjecta ſibi vocalis, in unum ſonum coaleſcere, et confundi nequiret: nunc *u* gemina ſcribuntur, ea ratione,

[z] *Literam* ſ *om.* G. [a] *om.* Jenſ. *Bur. male.* [b] dice et face G. Jenſ. *et plures ap.* [c] *om.* G. [d] dicit G.

19. *Virgilius*] *Pictaï veſtis* Æn. 9, 26. *Aulaï* Æn. 3, 354. De lectione altera *Aqu..i*, quod et hic quidam libri habent, et Æn. 7, 464. ab ipſo poeta ſcriptum fuiſſe putatur, erudite Burmannus. Cæterum ANTONIAI, JULIAI, AUGUSTAI, AGRIPPINAI ſunt apud Gruter. CCXXXVI. 9. et ibid. DRUSO CAISARI.

21. *C. primum Cæſaris*] Caligulam intelligi, qui primus Optimi Maximi nomen ſumſit, e Suetonio c. 22. docet Burmannus.

22. *Heri ad me venit*] Ter. Phorm. 1, 1, 2.

23. *dicem* et *faciem*] Sic legendum. A *dicem, faciem*, ſunt *dices, facies*, et reliqui caſus futuri tertiæ conjugationis. Malaſpinæus ad Cic. ad Att. 4, 3. (p. 115. Græv. inter Manutianos commentt.) *decam* et *faceam* legi vult, probante Voſſ. Ariſtar. 1, 12. Sed nihil muto: neque enim illi codicem laudant.

26. *cervom ſervomque*] Vid. ſupra ad 1, 4, 11.

quam reddidi: neutro ſane modo vox, quam ſentimus, efficitur. Nec inutiliter Claudius Æolicam illam ad hos 27
uſus Ⅎ literam adjecerat. Illud nunc melius, quod *cui*, tribus, quas propoſui, literis enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem ſane ſonum, *qu* et *oi* utebantur, tantum ut ab illo *qui* diſtingueretur. Quid? quæ ſcribuntur ali- 28
ter, quam enuntiantur? Nam et Gaius C litera notatur [e], quæ inverſa Ↄ [f] mulierem declarat: quia tam *Caias* eſſe vocitatas, quam *Caios*, etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Nec *Cneus* [g] eam literam in prænominis nota accipit, qua 29
ſonat: et *columna* [h] et *Conſules*, exemta *n* litera, [geminata *s* litera *Coss.*] legimus: et [i] *Subura*, quum tribus literis notatur, *c* tertiam oſtendit. Multa ſunt generis hujus: ſed hæc quoque vereor ne modum tam parvæ quæſtionis [l] exceſſerint. Judicium autem ſuum grammaticus inter- 30
ponat his omnibus. Nam hoc valere plurimum debet. Ego (niſi [m] quod conſuetudo obtinuerit) ſic ſcribendum quidque judico, quomodo ſonat. Hic enim uſus eſt lite- 31
rarum, ut cuſtodiant voces, et velut depoſitum reddant legentibus: itaque id exprimere debent, quod dicturi ſumus. Hæ fere ſunt emendate loquendi ſcribendique 32
partes: duas reliquas, ſignificanter ornateque dicendi, non

[e] ſignatur G. [f] Ↄ *om.* G. *et* Jenſ. [g] Gneus *quidam MSS. apud Bur.* [h] columa exempta n litera et Conſules geminata ſ litera Coſſ. *plerique editi. Nos ſequuti ſumus* Gothanum *et* Jenſo. *quibus concinunt quidam in addendis Burm. Quæ incluſimus, ea in laudatis libris abſunt merito.* [i] ut G. [l] hæ quæſtiones *legendum videtur. Sed poteſt alterum quoque intelligi.* [m] vero Jenſ. *et al.*

27. *Æolicam illam*] Vid. ad 1, 4, 14.

28. *Gaius C litera*] Diomedes 2, p. 418. pr. *Hodieque cum* Gaium nominamus *Cæſarem, ſcribimus* C. Cæſarem. Hinc Græci Γαΐον. Vide de hoc nomine et altero *Cnei* vel *Gnæi* philoſophantem epitomen, quæ cum Valerio Maximo editur, de nominum ratione p. 880. ſq. Torren.

28. *ex nuptialibus ſacris*] notis ex Plutarchi Quæſt. Ro. c. 30. ὅπου σὺ Γαΐος ἐγὼ Γαΐα.

29. *columna et Conſules*] In *Conſules* omnes agnoſcunt *n* literam; quidni etiam in *Columna*, et potuit tanto facilius excidere, cum in primis editionibus, e quibus eſt Jenſoniana, tranſverſa linea τῆ *u* impoſita notaretur. Cæterum *columa* pronunciatum eſſe, indicat *Columella*.

29. *Subura*] Firmantur Fabii dicta inſcriptionum fide, quam, monente jam Burmanno, copioſe ſuppeditat Gruterus.

30. *niſi quod conſuet.*] *Quid* ſuſpicatur Cl. Heuſingerus. Mihi re iterum conſiderata placet ſimpliciter ſequi lectionem Jenſonianam, *Ego vero quod* i. e. quatenus *conſuetudo obtinuerit, ſic ſcribendum* &c. nempe, Sonus ac pronuntiatio norma ſcribendi, in quantum conſuetudo contraria non repugnat.

equidem grammaticis aufero; ſed, cum mihi officia rhe-
33 toris ſuperſint, majori operi reſervo. Redit autem illa cogitatio, quoſdam fore, qui hæc, quæ diximus, parva nimium, et impedimenta quoque majus aliquid agendi, putent. Nec ipſe ad extremam uſque anxietatem, et ineptas cavillationes deſcendendum; atque his ingenia concidi
34 et comminui, credo. Sed nihil ex[n] grammatica nocuerit, niſi quod ſupervacuum eſt. An ideo minor eſt M. Tullius orator, quod idem artis hujus diligentiſſimus fuit, et in filio (ut in epiſtolis apparet) recte loquendi uſquequaque[o]
35 aſper quoque exactor? aut vim C. Cæſaris fregerunt[p] editi *de analogia* libri? aut ideo minus Meſſala nitidus, quia quoſdam totos libellos non de[q] verbis modo ſingulis, ſed etiam literis dedit? Non obſtant hæ diſciplinæ per illas euntibus, ſed[r] circa illas hærentibus.

VIII. (XIV.) Supereſt lectio, in qua puer ut ſciat, ubi ſuſpendere ſpiritum debeat, quo loco verſum diſtinguere, ubi claudatur ſenſus, unde incipiat, quando attollenda vel ſubmittenda ſit vox, quid quoque[s] flexu, quid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum, demonſtrari, niſi
2 in opere ipſo, non poteſt. Unum eſt igitur, quod in hac parte præcipiam, ut omnia iſta facere poſſit, intelligat. Sit autem in primis lectio[t] virilis, et cum ſuavitate quadam gravis: et non quidem proſæ ſimilis, quia carmen eſt, et ſe poetæ canere teſtantur: non tamen in canticum diſſoluta, nec plaſmate (ut nunc a pleriſque fit) effeminata: de

[n] et G. [o] *om.* G. [p] fugerunt G. [q] *om.* G *bene, puto.* [r] certe *inſ.* G. [s] quo *legi vult Regius.* [t] poetarum *inſerendum cenſet Camerarius.* V. N.

34. *niſi quod ſupervac.*] Non hoc vult, nocere diſcenti illud, quod ſupervacuum eſt; ſed negat aliam noxam inde conſequi præter illam, quod eſt ſupervacuum. Vulgo etiam audias illud, *ſuperflua non nocent.*

8, 2. *Sit—lectio virilis*] Putabat Camerarius, nomen Poetarum per librariorum incuriam eſſe omiſſum. Sed potuit hoc intelligi, tum ex ipſa illius ætatis conſuetudine, quæ in poetis primam ætatem exerceret; tum ex verbis Fabii, qui ſupra 1, 4, 1. totum Grammatici officium cum diſtribuerit in *recte loquendi ſcientiam et poetarum enarrationem*, et de priore ſatis dictum putet, nunc ad alterum tranſit Grammatici opus, et ſ. 5. ab Homero et Virgilio jubet incipi.

2. *plaſmate*] Nihil opus eſſe *pſalmate*; *plaſma* autem intelligi poſſe ex illo Perſii 1, 17. *liquido cum plaſmate guttur Colluerit*, monuere viri docti. Πλάττειν φωνὴν, πλάσιν φωνῆς, φωνὴν ἄπλαστον, et φωνὰς πεπλασμένας attulit ad Perſium Caſaubonus, qui et ipſe *plaſma* Fabio adſerit. Add. infra 1, 11, 6.

quo genere optime C. Cæsarem prætextatum adhuc accepimus dixisse, *Si cantas, male cantas; si legis, cantas.* Nec[u] 3
prosopopœias, ut quibusdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim; esse tamen flexum quemdam, quo distinguantur ab iis, in quibus poeta persona sua utetur. Cetera admonitione magna egent: in primis, ut teneræ 4
mentes, tracturæque altius, quidquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo, quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant: ideoque optime institutum est, ut ab *Homero* atque *Virgilio* lectio inciperet, quamquam ad 5
intelligendas eorum virtutes firmiore judicio opus esset: sed huic rei supereſt tempus: neque enim semel legentur. Interim et sublimitate heroici carminis animus assurgat, et ex magnitudine rerum spiritum ducat, et optimis imbuatur. Utiles *Tragœdi*[x]: alunt et *Lyrici*, si tamen in his 6
non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris: nam et Græci licenter multa, et *Horatium* in quibusdam nolim interpretari. *Elegia* vero, utique quæ amat, et hendecasyllaba, quibus sunt commata[y] *Sotadeorum* (nam de Sota-

[u] Non prosopopeiam G. [x] tragœdiæ G. [y] commota G. scommata *Venet. et Stephan. in marg. quod non improbat Burm.*

6. *hendecasyllaba*] Non nimis severis argumentis hoc genus adhibitum, cum Catulli quædam, tum in Priapum lusus, et Martialis multa, atque ea, quæ de suis Plinius commemorat Ep. 4, 14. satis docent.

6. *commata Sotadeorum*] *Commata* esse, quas Latine *cæsuras* vocamus, notum est. Retro legi Sotadicos quosdam versus, copiose ad h. l. Camerarius ostendit, et Burmannus. Exempla habet ipse noster 9, 4, 90. Sed hæc primum intuenti parum ad hunc locum facere videntur. Et erat, cum et nobis inclinaret animus, ut *scommata* præferremus. Sed dimovit me ab illa sententia alter Fabii locus 9, 4, 6. ubi *parvi pedes Sotadeorum et Galliamborum vim rebus detrahere* dicuntur. Nimirum qui versus *retro legi* vel *retrogradi* esse debent, ii non modo ut totum illud genus ludicrum an ærumnabile? (*fidiculas poesi injectas* merito nominat illustris Gebaverus noster, qui in dissertationum anthologicarum nona p. 384. sqq. copiose etiam de hoc genere agit) aliquid habent inamœnum, et a nativa pulchritudine abhorrens, quod comparare cum *Vespasiani vultu* soleo, quem *nitenti similem* narrat Suetonius c. 20: sed ipsos numeros etiam habent impediliores, *cæsuraſque* (hæc enim sunt *commata*) justo frequentiores: quæ omnia prohiberi par est a teneris auribus, ne vel judicium numerosæ orationis, quod jam tum formandum est, corrumpatur; vel alioquin difficilium nugarum amore ut scabie quadam inficiantur animi. Hæc igitur cum ita habeant et *hendecasyllaba* sola non sint, quæ habeant *commata Sotadeorum*, verum quodvis fere genus carminis ea recipiat; ita legendum puto: *et hendecasyllaba*, ET *quibus sunt commata Sotadeorum*, ut adeo suum sibi et peculiare genus hæc ultima constituant.

deis ne præcipiendum quidem eſt) amoveantur, ſi fieri poteſt: ſi minus, certe ad firmius ætatis robur reſerven-
7 tur. *Comœdiæ*, quæ plurimum conferre ad eloquentiam poteſt, cum per omnes et perſonas et affectus eat, quem uſum in pueris putem, paullo poſt ſuo loco dicam. Nam cum mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit.
8 De *Menandro* loquor: nec tamen excluſerim alios. Nam Latini quoque auctores afferent [z] utilitatis aliquid. Sed pueris, quæ maxime ingenium alant, atque animum augeant, prælegenda: ceteris, quæ ad eruditionem modo pertinent, longa ætas ſpatium dabit. Multum autem veteres etiam Latini conferunt, quamquam plerique plus ingenio, quam arte valuerunt: in primis copiam verborum, quorum in tragœdiis gravitas, in comœdiis elegantia, et
9 quidam velut ἀττικισμὸς inveniri poteſt. *Oeconomia* quoque in his diligentior, quam in pleriſque novorum erit, qui omnium operum ſolam virtutem, ſententias putaverunt. Sanctitas certe, et ut ſic dicam, virilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarum genera [a] vitiaque, dicen-
10 di quoque ratione, defluximus [b]. Denique credamus ſummis oratoribus, qui veterum poemata, vel ad fidem cauſla-
11 rum, vel ad ornamentum eloquentiæ aſſumunt. Nam præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Aſinium etiam [c], et ceteros, qui ſunt proximi, vidimus *Ennii*, *Accii*, *Pacuvii*, *Lucillii*, *Terentii*, *Cæcilii*, et aliorum inſeri verſus, ſumma non eruditionis modo gratia, ſed etiam jucunditatis: cum poeticis voluptatibus aures a ſo-
12 renſi aſperitate reſpirent: quibus accedit [d] non mediocris utilitas, cum ſententiis eorum, velut quibuſdam teſtimoniis, quæ propoſuere confirment. Verum priora illa ad pueros magis, hæc ſequentia ad robuſtiores pertinebunt: cum grammatices amor, et uſus lectionis, non ſcholarum
13 temporibus, ſed vitæ ſpatio terminentur. In prælegendo grammaticus et illa quidem minora præſtare debebit, ut partes orationis reddi ſibi ſoluto verſu deſideret, et pedum proprietates, quæ adeo debent eſſe notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compoſitione deſiderentur; deprehendatque quæ barbara, quæ impropria, quæ contra legem lo-
14 quendi ſunt poſita: non ut ex his utique improbentur poetæ, (quibus, quia plerumque metro ſervire coguntur,

[z] afferrent G. Jenſ. [a] deliciarum vitia, dicendi G. [b] defleximus G. Jenſ. defluxerimus MSS. *quidam et Burm.* deflectimus Ald. *et al.* deflexerimus MS. Bal. [c] *om.* G. [d] accidit G.

adeo ignoſcitur, ut vitia ipſa aliis in carmine appellationibus nominentur: *metaplaſmos* enim, et *ſchematiſmos*, et *ſchemata*, ut dixi, vocamus, et LAUDEM virtutis neceſſitati damus,) ſed ut commoneat artificialium, et memoriam agitet. Id quoque inter prima rudimenta non inutile, 15
demonſtrare quot quæque verba modis intelligenda ſint. Circa *gloſſemata* etiam, id eſt voces minus uſitatas, non ultima ejus profeſſionis diligentia eſt. Enimvero jam majo- 16
re cura doceat *tropos* omnes, quibus præcipue non poema modo, ſed etiam oratio ornatur: *ſchemata* utraque, id eſt *figuras*, quæque λέξεως, quæque διανοίας vocantur: quorum ego, ſicut troporum tractatum, in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit. Præcipue 17
vero illa infigat animis, quæ in œconomia virtus, quæ in decoro rerum; quid perſonæ cuique convenerit; quid in ſenſibus laudandum, quid in verbis; ubi copia probabilis, ubi modus. His accedat enarratio hiſtoriarum, diligens 18
quidem illa, non tamen uſque ad ſupervacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris auctoribus memoratas, expoſuiſſe ſatis eſt. Perſequi quidem quod quiſque umquam vel contemtiſſimorum hominum dixerit, aut nimiæ miſeriæ, aut inanis jactantiæ eſt, et detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura. Nam qui omnes, 19
etiam indignas lectione, ſchedas [e] excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam poteſt. Atqui pleni ſunt ejuſmodi impedimentis grammaticorum commentarii, vix ipſis, qui compoſuerunt [f], ſatis noti. Nam *Didymo* quo- 20
que, quo nemo plura ſcripſit, accidiſſe compertum eſt, ut, cum hiſtoriæ cuidam, tamquam vanæ, repugnaret, ipſius proferretur liber, qui eam continebat. Quod evenit præ- 21
cipue in fabuloſis uſque ad deridicula, quædam etiam pudenda: unde improbiſſimo cuique pleraque fingendi licentia eſt, adeo ut de libris totis, et auctoribus, ut ſuccurrit, mentiatur tuto, quia inveniri, qui numquam fuere, non poſſunt: nam in notioribus frequentiſſime deprehen-

[e] ſcedas G. Jenſ. *forte* ſcidas *dedit Fabius.* [f] conſueverunt G. *Quid ſi* conſuerunt *a* conſuo, συρράπτω, *quod verbum ad contemtum pertinere videtur.*

14. *ut dixi*] Supra 1, 5, 52.

14. *artificialium*] Ut Græci τέχνην, τεχνικὰς, et τεχνικὰ ad Grammaticam ejuſque magiſtros ſæpe retulerunt; ita hoc loco videtur Fabius eundem intellectum *artificialibus* tribuere. Ita *Artem* vocat 2, 15, 4. et ſæpe.

16. *in eum locum*] Lib. 9. prine.

19. *vix ipſis—ſatis noti*] *notis* eſt in Goth. 2. ut legendum jam vidit Burmannus.

duntur a curiosis. Ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur, *aliqua nescire.*

IX. (XV.) Et [g] finitæ quidem sunt partes duæ; quas hæc professio pollicetur, id est *ratio loquendi*, et *enarratio* [h] *auctorum:* quarum illam *methodicen*, hanc *historicen* vocant. Adjiciamus tamen eorum curæ quædam dicendi primordia, quibus ætates nondum rhetorem capientes instituant.
2 Igitur *Æsopi fabellas*, quæ fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, et nihil se supra modum extollente, deinde eamdem gracilitatem stilo exigere condiscant: versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari: tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quædam, et exornare, salvo modo poetæ sensu, per-
3 mittitur. Quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractaverit, cuicumque discendo sufficiet. *Sententiæ* quoque, et *chriæ*, et *ethologiæ* [i] subjectis dictorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt; quorum omnium similis est ratio, forma diversa: quia *sententia* universalis est vox,
4 *ethologia* personis continetur. *Chriarum* plura genera traduntur: unum simile sententiæ, quod est positum in voce simplici, *Dixit ille*, aut, *Dicere solebat:* alterum, quod est in respondendo, *Interrogatus ille*, vel, *Cum hoc ei dictum esset, respondit:* tertium huic non dissimile, *Cum quis* non
5 *dixisset*, sed *aliquid fecisset.* Etiam in ipsis factis esse chriam putant, ut *Crates, cum indoctum puerum vidisset, pædagogum ejus percussit:* et aliud pene par ei, quod tamen eodem nomine appellare non audent, sed dicunt χρειώδες, ut, *Milo, quem vitulum assueverat ferre, taurum ferebat.* In his omnibus et declinatio per eosdem ducitur casus, et
6 tam factorum, quam dictorum ratio est. Narratiunculas a poetis [l] celebratas, notitiæ caussa, non eloquentiæ tractandas puto. Cetera majoris operis ac spiritus, Latini rhetores [m] relinquendo, necessaria grammaticis fecerunt: Græci magis operum suorum et onera et modum norunt.

X. (XVI.) Hæc [n] de *Grammatica*, quam brevissime potui, non ut omnia dicerem sectatus, quod infinitum erat; sed ut maxime necessaria: nunc de ceteris artibus, quibus instituendos prius, quam tradantur rhetori, pueros existimo, strictim subjungam, ut efficiatur orbis ille doctrinæ,

[g] Ut G. Jens. [h] prædictorum *inf.* G. [i] hetilogiæ G. *hic et p. p.*
[l] poeticis G. [m] præceptores G. [n] quæ G.

quam Græci ἐγκύκλιον παιδείαν [o] vocant. Nam iisdem fere 2
annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda
sunt: quæ, quia et ipsæ artes sunt, et esse perfecta fine
his orandi scientia non potest, nec rursus ad efficiendum
oratorem satis valent solæ; an sint huic operi necessariæ?
quæritur. Nam quid, inquiunt, ad agendam causam, 3
dicendamve sententiam pertinet, scire, quemadmodum in [p]
data linea constitui triangula æquis lateribus possint?
Aut quo melius vel defendet reum, vel reget consilia, qui
citharæ sonos nominibus et spatiis distinxerit? Enume- 4
rent etiam fortasse multos, quamlibet utiles foro, qui nec
Geometren audiverint [q], nec Musicos [r], nisi hac communi
voluptate aurium, intelligant. Quibus ego primum hoc
respondeo, quod et [s] M. Cicero scripto ad Brutum libro
frequentius testatur, non eum [t] a nobis institui oratorem,
qui sit, aut fuerit: sed imaginem quamdam concepisse nos
animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis. Nam et sapientem [u] formantes eum, qui sit futurus 5
consummatus undique, et (ut dicunt) mortalis quidam
deus, non modo cognitione cœlestium vel mortalium putant instituendum; sed per quædam parva sane, si ipsa
demum æstimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates: non quia *Ceratinæ* aut *Crocodilinæ* [x] possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli.
Similiter oratorem (qui debet esse sapiens) non Geometres 6
faciet [z], aut Musicus, quæque his alia subjungam; sed hæ
quoque artes, ut sit consummatus, juvabunt. Nisi forte
antidotum quidem, atque alia, quæ morbis [a] aut vulneribus medentur, ex multis, atque interim contrariis quoque

[o] *Sic* G. *et* Steph. ἐγκυκλοπαιδείαν *al.* [p] *om.* G. *Recte, puto: certe enim* data linea *constituitur triangulum æquilaterum*; in data linea, *æquicrurum.* [q] audiverunt G. *et al.* [r] Musicam G. [s] *om.* G. [t] enim Jens. *eleganter.* [u] sapientes G. *a prima manu, ut MS. Joan. ap. Burm.* [x] Acrodilinæ G. [z] faciat G. [a] oculis G. Jens.

10, 3. *spatiis distinxerit*] Respicit ad monochordi rationem, cujus spatiis et portionibus, ut motus ac vibrationes chordæ differunt, sic tota tonorum ratio continetur.

5. *exquisitas ambiguitates*] Iidem nimirum Stoici, quorum splendida adeo est de suo sapiente disputatio, auctores etiam sunt et præcones laqueorum illorum et decipularum, de quibus multa veteres. Si quis eleganti et lucida oratione explicata illa Sophismata, et extricatos nodos legere cupis, fac ut inspicias politissimas Facciolati de eo argumento prolusiones, quas uno fasce comprehensas, ut edat vir doctissimus, non rogarem, sed ipse studiosos munere illo adficerem, nisi unam alteramque illarum, cum omnes mihi miserit vir celeberrimus, fortuna mihi invidisset.

inter se effectibus, componi videmus, quorum ex diversis[b] fit illa mixtura una, quæ nulli earum similis est, quibus constat, sed proprias vires ex omnibus sumit; et muta animalia mellis illum inimitabilem[c] humanæ rationi saporem, vario florum ac succorum genere perficiunt: nos mirabimur, si oratio, qua nihil præstantius homini dedit providentia, pluribus artibus eget; quæ etiam, cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggerunt, et tacite quoque sentiuntur. Fuit aliquis sine his disertus: at ego oratorem volo. Non multum adjiciunt: sed æque[d] non erit totum, cui vel parva deerunt: et optimum quidem hoc esse conveniet: cujus etiam si in arduo spes est, nos tamen præcipiamus omnia, ut saltem plura fiant. Sed cur deficiat animus? Natura enim perfectum oratorem esse non prohibet, TURPITERque desperatur, quidquid fieri potest. (XVII.) Atque ego vel judicio veterum poteram esse contentus. Nam quis ignorat Musicen (ut de hac primum loquar) tantum jam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem Musici, et vates et sapientes judicarentur[e], mittam alios, *Orpheus* et *Linus:* quorum utrumque diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam silvasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est. Et Timagenes auctor est, omnium in literis studiorum antiquissimam Musicen extitisse[f]: et testimonio sunt clarissimi poetæ, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. Iopas vero ille Virgilii nonne canit

—errantem Lunam, Solisque labores? &c.

Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse conjunctam. Quod si datur, erit etiam oratori necessaria. Siquidem (ut diximus) hæc quoque pars, quæ ab oratoribus relicta, a philosophis est occupata, nostri operis fuit:

[b] diverso G. [c] immutabilem Jens. [d] utique G. Jens. *bene.* [e] *Sic distinxi. Alii ita:* judicarentur? mittam alios: Orpheus et Linus quam &c. [f] *Hic* esse *scripserat, et paullo post* liberos, *librarius Gothani codicis scriptor: sed religione quadam ductus punctulis eas voces subnotavit, et* extitisse *atque* labores *reposuit, quod monuisse, ad fidem libri pertinet.*

10. *Virgilii*] Æn. 1, 742. 11. *ut diximus*] Procem. s. 14.

ac ſine omnium talium ſcientia non poteſt eſſe perfecta eloquentia. Atque claros nomine ſapientiæ viros, nemo 12
dubitaverit ſtudioſos muſices fuiſſe; quum Pythagoras, atque eum ſecuti, acceptam ſine dubio antiquitus opinionem, vulgaverint, mundum ipſum ejus [g] ratione eſſe compoſitum, quam poſtea ſit lyra imitata. Nec illa modo contenti diſſimilium concordia, quam vocant ἁρμονίαν, ſonum quoque his motibus dederunt. Nam Plato, cum in 13
aliis quibuſdam, tum præcipue in Timæo, ne intelligi quidem, niſi ab iis, qui hanc quoque partem diſciplinæ diligenter perceperint, poteſt. Quid de philoſophis loquor, quorum fons ipſe Socrates jam ſenex inſtitui lyra non erubeſcebat? Duces maximos et fidibus et tibiis ce- 14
ciniſſe traditum, et exercitus Lacedæmoniorum muſicis accenſos [h] modis. Quid autem aliud in noſtris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto [i] eſt vehementior, tanto Romana in bellis gloria ceteris præſtat. Non igitur fruſtra Plato civili viro, quem πολιτικὸν 15

[g] *om.* G. [h] animos *inſ.* G. *non male.* [i] quantum—tantum G. Jenſ.

12. *mundum ipſum*] Videndus præter Cenſori. de die nat. c. 13, et Chalcidium in Timæum Platonis præſertim ſ. 40. it. 96. (Fabricianæ diviſionis, cui viro etiam hujus libri nomine multum, ut propter alios infinitum, debent eruditi) Macrobius in Somn. Scip. 2, 1. ad 4. a quo copioſius quam a quoquam explicatam, modo explicari ea poſſit, habemus harmoniam illam cæleſtem; et rationem redditam, cur de tam ſuavibus ſonis nihil ad aures noſtras perveniat. Sed periit, ſcilicet, totus ille concentus, deſtructis comminutiſque ab audaci homine Tychone Braheo, orbibus illis ſolidis, quorum attritu et ſtridoribus admirabilis adeo cantus olim eliciebatur.

15. *Plato*] Duos tantum locos adſcribemus de pluribus. In Protagora p. Læmar. 199. g. Καὶ τὸς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκάζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων, ἵνα ἡμερώτεροί τε ὦσι, καὶ εὐρυθμότεροι καὶ εὐαρμοστότεροι γιγνόμενοι, χρήσιμοι ὦσιν εἰς τὸ λέγειν τε καὶ πράττειν. Πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται. De rep. 3. p. 438. e. Τούτων ἕνεκα κυριωτάτη ἐν Μουσικῇ τροφὴ, ὅτι μάλιστα καταδύεται εἰς τὸ ἐντὸς τῆς ψυχῆς ὅ, τε ῥυθμὸς καὶ ἁρμονία, καὶ ἐρρωμενέστατα ἅπτεται αὐτῆς, φέροντα τὴν εὐσχημοσύνην κ. τ. λ. Quemadmodum igitur attentos faciunt, dociles, acutos, Arithmetica et Geometria, ſi recte tractantur: ita a Muſicis ordo, decor, proportio, modus, per totum animum vitamque adeo efficitur. Nam quod diſſoluti ſunt quidam Muſici, quod pertinaces et ſuperbi Mathematici, illud non magis ab arte ſua habent, quam Grammatici, quod rixoſi ſunt, quorum in primis artes emollire animum et a feritate avocare debebant. Cæterum jam Cynicus Diogenes mirari ſe dicebat, τὸς Μουσικὸς τὰς μὲν ἐν τῇ λύρᾳ χορδὰς ἁρμόττεσθαι, ἀνάρμοστα δὲ ἔχειν τῆς ψυχῆς τὰ ἤθη, apud

vocant, neceſſariam muſicen credidit. Et ejus ſectæ, quæ aliis ſeveriſſima, aliis aſperrima videtur, principes in hac fuere ſententia, ut exiſtimarent, ſapientum aliquos non nullam operam his ſtudiis accommodaturos. Et [l] Lycurgus, duriſſimarum Lacedæmoniis legum auctor, muſices 16 diſciplinam probavit. Atque eam natura ipſa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dediſſe. Siquidem et remigem cantus hortatur: nec ſolum in iis operibus, in quibus plurium conatus, præeunte aliqua jucunda voce, conſpirat, ſed etiam ſingulorum fatigatio 17 quamlibet [m] ſe rudi modulatione ſolatur. Laudem adhuc dicere artis pulcherrimæ videor, nondum tamen eam oratori conjungere. Tranſeamus igitur id quoque, quod grammatice quondam ac muſice junctæ fuerunt. Siquidem Architas atque Ariſtoxenus etiam ſubjectam grammaticen muſicæ putaverunt, et eoſdem utriuſque rei præceptores fuiſſe, cum Sophron [n] oſtendit, mimorum quidem ſcriptor, ſed quem Plato adeo probavit, ut ſuppoſitos capiti libros ejus, cum moreretur, habuiſſe credatur [o]: tum Eupolis, apud quem Prodamus et muſicen et literas do- 18 cet. Et Maricas, qui eſt Hyperbolus [p], *nihil ſe ex muſicis ſcire, niſi literas* confitetur. Ariſtophanes quoque non uno libro [q] ſic inſtitui pueros antiquitus ſolitos eſſe demonſtrat. Et apud Menandrum in *Hypobolimæo*, ſenex [r] repoſcenti filium patri velut rationem impendiorum, quæ in educationem contulerat, opponens, pſaltis [s] ſe et geometris

[l] *om.* G. [m] qualibet G. [n] Sophion G. [o] tradatur G. Jenſ. [p] Hyperbolius G. *et* V. C. Almel. [q] loco *forte leg. ſi quidem Comicum intelligimus.* [r] qui *inſ.* G. *quo admiſſo*, demonſtrat ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *intelligetur.* [s] ſe pſaltris et G. Jenſ. Pſaltris *vel* Pſaltus *etiam al. apud Burm.*

Laertium 6, 27. ubi etiam de reliquis, quos diximus.

15. *Et ejus ſectæ*] Stoicoſne intelligit? Nihil equidem de honore Muſices video apud Senecam, pluſcula ſecus. Marcus vero Aurelius Ruſtico ſe debere ait 1, 7. τὸ ἀποσχέσθαι ῥητορικῆς καὶ ποιητικῆς, καὶ ἀστειολογίας. Quanto magis a Muſica illum vir ſuî nominis avocaturus erat? Sed ſatis caute Fabius *aliquos* nominat, et *non nullam operam*.

18. *Hyperbolus*] Apud Ariſtophanem Nub. 553. *Maricæ* nomine traductus dicitur Hyperbolus in Eupolidis fabulis. Vid. Schol. Apud eund. Equit. 188. Agoracritus ἐδὲ μουσικὴν, inquit, ἐπίσταμαι πλὴν τῶν γραμμάτων. Nimirum, quod etiam Scholiaſtes ad h. l. obſervat, *Muſica* pro omni inſtitutione liberali, quam ἐγκύκλιον παιδείαν vocant, ſumitur: notum eſt illud in Eunucho *periculum fac in muſicis*; nimirum ab ipſo Cicerone Tuſ. 5, 23. *Muſæ* pro *doctrina* et *humanitate* ponuntur.

multa dicit[t] dediſſe. Unde etiam ille mos, ut in convi- 19
viis poſt cœnam circumferretur lyra: cujus *cum ſe imperitum Themiſtocles confeſſus eſſet*, ut verbis Ciceronis utar, *habitus eſt indoctior*. Sed veterum quoque Romanorum 20
epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Verſus quoque Saliorum habent carmen. Quæ cum omnia ſint a Numa rege inſtituta, faciunt manifeſtum, ne illis quidem, qui rudes ac bellicoſi videntur, curam muſices, quantam[u] illa recipiebat ætas, defuiſſe. Denique in proverbium uſque 21
Græcorum celebratum eſt, *Indoctos a Muſis atque Gratiis*[v] *abeſſe*. Verum quid ex ea proprie petat futurus orator, 22
diſſeramus. Numeros *muſice* duplices habet, in *vocibus*, et in *corpore*: utriuſque enim rei aptus quidam modus deſideratur. *Vocis rationem* Ariſtoxenus Muſicus dividit in ῥυθμὸν et μέλος ἔμμετρον[x]: quorum alterum *modulatione*,

[t] dixit G. [u] quantum G. [v] Grammaticis G. *ridicule ex compendio* Grais. [x] ἔμμετρον *om. Cod. Duſſeldorp. Liebio inſpectus et plures ap. Burm.*

19. *Ciceronis*] Tuſc. 1, 2.

21. *proverb. Græcorum*] Ita effert Camerarius, Ἄμουσοι καὶ χαρίτων ἄμοιρα, ἢ ἐκ οἷδ' ὅ, τι.

22. *Numeros—duplices*] *Rhythmus* enim, docente noſtro 9, 4, 50, qui locus claſſicus eſt, (non tantum in verbis ut *metrum*) ſed *etiam in corporis motu eſt*. Nimirum (opus eſt enim hodie talia declarari, quæ ad elementa doctrinæ humanioris olim referebantur) *rhythmus* et *numerus* idem valent. Hinc agit Dionyſius Halic. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. ſ. 17. περὶ ἀριθμῶν ἢ ῥυθμῶν, et totidem verbis τὸ αὐτὸ, inquit, καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν. Ut Philoſopho dignum erat, ῥυθμὸν definit Plato de Legg. 2. p. 580. d. τῆς κινήσεως τάξιν. Subjiciamus ſtatim illud, quod eodem loco ille, τῇ τῆς φωνῆς (τάξει) τῶ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος συγκερασαμένων, ἁρμονίας ὄνομα προσαγορεύοιτο· et quia vox ipſa quoque in motu ineſt, non eſt mirum, illum p. 576, 6. cum rhythmum tum harmoniam τάξεις ἐν ταῖς κινήσεσιν appellaſſe. Nondum diſcedimus a Platone. De rep. 3. p. 437. c. τὸ μέλος, inquit, ἐκ τριῶν ἐστι συγκείμενον, λόγου τε (ſic vocat ipſa verba, quæ canuntur) καὶ ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ, eaque ita interpretatur in his quæ præcedunt et conſequuntur, ut apertiſſimum ſit attendentibus, ῥυθμὸν pertinere ad tempora productiora et contractiora, *harmonian*, quæ alias etiam ſimpliciter μέλος eſt, ad acutum in voce et grave referri. Sic etiam in Gorgia p. 304. a. εἴτις περιέλοιτο τῆς ποιήσεως πᾶσης τὸ, τε μέλος, καὶ τὸν ῥυθμὸν καὶ τὸ μέτρον, ἄλλο τι ἢ λόγοι γίγνονται τὸ λειπόμενον. Sic apud Gell. 16, 18. Κανονικὴ *longitudines et altitudines vocis emetitur: longior menſura vocis* ῥυθμὸς *dicitur, altior* μέλος. Videndus totus locus: mirifice enim huc facit. Denique μέτρον et ῥυθμὸν ſatis clare ipſe Fabius l. c. diſtinguit. His ita poſitis, locum non ex facillimis Quinctiliani unum nullo labore intelligemus.

22. μέλος ἔμμετρον] Si ἔμμετρον eſt ab Auctore, atque ipſo

alterum *canore* ac ſonis conſtat. Num igitur non hæc omnia oratori neceſſaria? quorum unum ad geſtum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexus vocis,
23 qui ſunt in agendo quoque plurimi [z], pertinet. Niſi forte [a] in carminibus tantum et in canticis exigitur ſtructura quædam et inoffenſa copulatio vocum, in agendo ſupervacua eſt: aut non compoſitio et ſonus in oratione quoque
24 varie, pro rerum modo, adhibetur, ſicut in muſice. Namque et [b] voce et modulatione grandia elate, jucunda dulciter, moderata leniter canit, totaque arte conſentit cum
25 eorum, quæ dicuntur, affectibus [c]. Atqui in orando quoque intentio vocis, remiſſio, flexus, pertinet ad movendos audientium affectus: aliaque [d] et collocationis et vocis (ut eodem utar verbo) modulatione concitationem judicum, alia miſericordiam petimus: cum etiam organis, quibus ſermo exprimi non poteſt, affici animos [e] in diver-
26 ſum habitum ſentiamus. Corporis quoque decens et aptus motus [f], qui dicitur εὐρυθμία [g], eſt neceſſarius: nec aliunde peti poteſt, in quo pars actionis non minima con-
27 ſiſtit: qua de re ſepoſitus [h] nobis eſt locus. Age, [i] ſi habebit in primis curam vocis orator, quid tam Muſices proprium? Sed ne hæc quidem præſumenda pars eſt: ut uno interim contenti ſimus exemplo C. Gracchi, præci-

[z] plurimum G. [a] forſitan G. [b] et *om.* G. *bene, puto.* [c] effectibus G. *quod conſiderandum, ſi forte ἐνέργειαν ſignet, qua res effici et coram agi videtur.* [d] alia quoque G. [e] animum G. [f] modus G. *non male, vid. ſ.* 22. [g] et *inſ.* G. [h] poſitus G. [i] Agedum non hab. G. *quod vehementius.*

adeo Ariſtoxeno, quod dubium faciunt quidam, ut vidimus, libri; ad utrumque referendum putarim: tam enim *rhythmus* quam *melos* habent *metron* ſuum, id eſt menſuram, atque fines intra quos decurrunt. Hinc tres partes muſicæ in Alypii Iſagoge pr. ἀρμονικὴν, ῥυθμικὴν, μετρικήν. Porro *rhythmus modulatione* conſtat, h. e. apta diſtributione brevium et longorum ſonorum (*modus* enim quantitatis nomen eſt, vid. infra ſ. 32. licet nonnumquam etiam ad μέλος referatur:) in *canore* et *ſonis* acutis gravibuſque, apte permiſtis, *melos* ineſt.

22. *hæc omnia*] Quænam? duo enim tantum nominavit, ῥυθμὸν et μέλος. Sed rhythmum in duo idem diviſit. Exoriuntur igitur hæc tria. Primo *numeri corporis*, quales ſunt *palæſtrici*, *ſaltatorii*que, ſecundo *numeri vocum*, tertio *melos*: horum primi ad *geſtum*, alteri ad *collocationem verborum*, qui proprie *numerus oratorius* vocatur, tertium ad *flexus vocis* modo elatæ, modo ſubmiſſæ, interciſæ, circumductæ &c. pertinet.

26. *ſepoſitus nobis eſt locus*] Lib. 11, 3. ubi etiam de cura vocis.

27. *C. Gracchi*] Nobilis *Gracchi fiſtula* Ciceronis commemoratione de Orat. 5, 60 et 61. tum Plutarchi in Graccho p. 1513. H. Steph. et περὶ ἀορ γησίας p. 831:

pui ſuorum temporum oratoris, cui concionanti conſiſtens poſt eum muſicus, fiſtula, quam τονάριον[l] vocant, modos, quibus deberet intendi, miniſtrabat. Hæc ei cura inter turbidiſſimas[m] actiones, vel terrenti optimates, vel jam[n] timenti fuit. Libet propter quoſdam imperitiores, etiam *craſſiore*, ut vocant, *muſa*, dubitationem hujus utilitatis eximere. Nam poetas certe legendos oratori futuro conceſſerint: num igitur hi ſine muſice? At ſi quis tam cæcus animi eſt, ut de aliis dubitet: illos certe conceſſerit, qui carmina ad lyram compoſuerunt. Hæc diutius forent dicenda, ſi hoc ſtudium velut novum præciperem. Cum vero antiquitus[o] uſque a Chirone atque Achille ad noſtra tempora apud omnes, qui modo legitimam diſciplinam non ſint peroſi, duraverit, non committendum, ut illa dubia faciam, defenſionis ſolicitudine. Quamvis autem ſatis jam ex ipſis, quibus ſum modo uſus, exemplis, credam eſſe manifeſtum, quæ mihi, et quatenus muſice placeat: apertius tamen profitendum puto, non hanc a me præcipi, quæ nunc in ſcenis effeminata, et impudicis modis fracta, non ex parte minima, ſi quid in nobis virilis roboris manebat, excidit; ſed qua laudes fortium canebantur, quaque et ipſi fortes canebant: nec *pſalteria* et *ſpadicas*[p], etiam virginibus probis recuſanda: ſed cognitionem rationis, quæ ad movendos leniendoſque affectus plurimum valet. Nam et Pythagoram accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes,

[l] *Sic meliores.* τονάριον *al.* [m] turbulentiſſimas G. [n] etiam G. [o] antiquitas G. Jenſ. [p] ſpadicas *om. quidam MSS.* ſambuca *ex conj. Regii.*

et Gellii 1, 11. Ac Cicero quidem, quem ſequitur noſter, itemque Val. Max. 8, 10, 1. tum intendendæ tum remittendæ vocis cauſſa adhibitam fiſtulam narrant. Sed Plutarchus Gelliuſque ſerviiſſe tantum aiunt revocando ad mediocritatem a nimia contentione Graccho. Eſt et aliud, in quo non ſatis convenit Plutarcho cum Cicerone, quod hic ad Licinium quendam teſtem ejus rei provocat: ille ipſi ſervo fiſtulatori Licinii nomen tribuit.

29. *illos certe—qui*] Abruptior locus Fabii culpa an librariorum? Supple, *illos certe conceſſerit Poetas ſine muſice non eſſe, qui carmina ad lyram compoſuerunt.*

31. *excidit*] Ut 5, 12, 18. *virilitate exciſa*; quem locum, ut et Martial. 3, 91. *Exciduntque ſenem*, jam laudaverat Burmannus.

31. *pſalteria et ſpadicas*] Poſteriorem vocem recte ex Polluce vindicavit Cœlius Rhodiginus. Plato e ſua rep. 2. p. 437. f. τριγώνους et πηκτίδας ſimili cauſa ejicit.

31. *virginibus probis*] Hoc eſt ſui nominis decus cuſtodientibus, ut ſint quod videntur; quam vim vocis *probus* eſſe, ad Fabrum et alias oſtendimus.

32. *Pythagoram*] Res narratur a Jamblicho c. 25. ubi et reliqua habes de Muſica viri.

jussa mutare in Spondeum modos tibicina, compositisse: et Chrysippus etiam nutricum, quæ adhibentur infanti-
33 bus allectationi[q], suum quoddam carmen assignat. Est etiam non inerudite ad declamandum ficta materia, in qua ponitur tibicen, qui sacrificanti Phrygium cecinerat, acto illo in insaniam et per præcipitia delato, accusari, quod caussa mortis exstiterit: quæ si dici debet ab oratore, nec dici citra scientiam musices potest, quomodo non, hanc quoque artem necessariam esse operi nostro, vel iniqui
34 consentiant? (XVIII.) In *geometria* partem fatentur esse utilem teneris ætatibus: agitari namque animos, atque acui ingenia, et celeritatem percipiendi venire inde, concedunt: sed prodesse eam, non ut ceteras arteis, cum perceptæ sint, sed cum discatur, existimant. Ea vulgaris opi-
35 nio est. Nec sine caussa summi viri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt. Nam[r] quum sit *geometria* divisa in numeros atque formas: numerorum quidem notitia non oratori modo, sed cuicumque primis saltem literis erudito, necessaria est. In caussis vero vel frequentissime versari solet: in quibus actor, non dico, si circa summas trepidat, sed si digitorum saltem incerto aut indecoro gestu

[q] allactationi G. *et* MS. Pal. *apud Gebh. crepund.* 2, 3. *qui conjicit* ablactationi. [r] jam Jens.

32. *allectationi*] *Allectatio nutricum* videtur commodissime vocari cantilena illa, quam cantat interim nutrix, dum lactat parvum: quod etiam ad boves transtulerunt rustici. Columella meus 2, 3, 2. *cum absumpserint* (cibum boves) *ad aquam duci oportet, sibiloque* ALLECTARI, *quo libentius bibant.* Cæterum quod jam Almeloveenius ad h. l. Fabii monuit, Scaliger poet. 1, 50. Jovianum Pontanum ait primum de canticis id genus usurpasse nomen *næniæ*. Et exstant sane in viri carminibus, de amore conjugali libro 12. p. m. 127. sqq. duodecim, quas vocat, næniæ, quas ego puto, cum Cupidini natus ex Psyche sua puer esset, primum a Gratiis cantatas. Cæterum *næniæ* an *neniæ*? nomen de cantu, quo allectantur et ad somnum invitantur pueri, adhibitum video ab Arnobio adv. Gentes lib. 7. p. 237. extr. *Obdormiscunt enim superi—somni enim quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendæ sunt næniæ?*

35. *gestu a computatione dissenti*] Ut de Rufino accusatore suo Apuleius in Apologia, *Si triginta annos pro decem dixisses; posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueris digitos, aperuisse:* ubi plusscula Scipio Gentilis, et ipsum Fabii hunc locum n. 887. sqq. Sed qui in rem quasi præsentem venire voluerit, et totam disciplinam percipere, ei adeundus est Nic. Smyrnæi περὶ δακτυλικοῦ μέτρου libellus, cum Venerabilis Bedæ opusculo ejusdem argumenti collatus, picturaque gestuum, et notis eruditis, in quas reliquorum scriptorum ea de re verba collata sunt, illustratus; quem Pe. Possinus Spicilegio Evangelico subjecit, Cl. Fabricii cura in lucem et usum revocato.

a computatione diſſentit, judicatur indoctus. Illa vero li- 36
nearis ratio, et ipſa [s] quidem cadit frequenter in cauſſas: nam de terminis menſuriſque ſunt lites: ſed habet majorem quamdam aliam cum arte oratoria cognationem. Jam 37
primum ordo eſt *geometriæ* neceſſarius: nonne et *eloquentiæ?* Ex prioribus geometria probat inſequentia, et certis incerta: nonne id in dicendo facimus? Quid? illa propoſitarum quæſtionum concluſio, non tota fere conſtat ſyllogiſmis? propter quod plures invenias, qui dialecticæ ſimilem, quam qui rhetoricæ fateantur hanc artem. Verum et orator, etiam ſi raro, non tamen numquam, probabit dialectice. Nam et ſyllogiſmis, ſi res poſcet, ute- 38
tur: et [t] certe *enthymemate*, qui rhetoricus eſt ſyllogiſmus. Denique probationum, quæ ſunt potentiſſimæ, γραμμικαὶ ἀποδείξεις vulgo dicuntur: quid autem magis oratio, quam probationem petit? Falſa quoque veriſimilia, *geometria* 39
ratione deprehendit. Fit hoc et in numeris per quaſdam, quas ψευδογραφίας vocant, quibus pueri ludere ſolebamus. Sed alia majora ſunt. Nam quis non ita proponenti credat: Quorum locorum extremæ lineæ eamdem menſuram colligunt, eorum ſpatium quoque, quod his lineis continetur, par ſit neceſſe eſt? At id falſum eſt. Nam pluri- 40
mum [u] refert, cujus ſit formæ ille circuitus: reprehenſique a geometris ſunt hiſtorici, qui magnitudines [v] inſularum ſatis ſignificari navigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæque forma perfectiſſima, ita capaciſſima eſt. Ideo- 41
que illa circumcurrens linea, ſi efficiat orbem, quæ forma eſt in planis maxime perfecta, amplius ſpatium complec-

[s] quia G. [t] *forte leg.* ex. [u] primum G. [v] magnitudinem G. Jenſ.

39. ψευδογραφίας] Ut ille redux e ſchola juvenis, qui ut mathematicum ſe probaret patri ſuo, quatuor forte ovis illatis, oſtendit ea decem eſſe, cum ubi IV ſint, ibidem et III ſint, et II, et unum; unum autem et II et III et IV decem conſumment. Cujus quidem ſubtilitatem præclare remuneratus pater, quatuor ipſe ovis ſolidis et αἰδητοῖς contentus, ſex illa νοερὰ, et mathematicorum punctorum ſimilia, eſurienti demonſtratori reliquit.

40. *reprehenſi hiſtorici*] Plinium ab hoc errore non plane immunem v. g. in Ithaca, oſtendit Turnebus. Pithœus autem a Proclo ad Euclidem Polybium Thucydidemque deprehenſos, docet. Cautior longe Cambdenus, ut hoc utar, in Britannia, ſed nec ille ſatis facit Geometris. Nimirum, qui vix attigere pulverem eruditum, ii ſciunt, quæ æqualibus lateribus circumſcriptæ non ſint areæ, eas in triangula dividendas, quorum deinde ſingulorum ſummæ ex baſi et perpendiculo ſint eliciendæ.

tetur, quam si quadratum paribus oris [efficiat[x].] Rursus quadrata triangulis, triangula ipsa plus æquis lateribus,
42 quam inæqualibus. Sed alia forsitan obscuriora: nos facillimum etiam imperitis sequamur experimentum. Jugeri mensuram[z], ducentos et quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudinem patere, non fere quisquam est, qui ignoret: et qui[a] fit circuitus, et quan-
43 tum campi claudat, colligere expeditum. At centeni et octogeni in quamque partem pedes, idem spatium extremitatis, sed multo amplius clausæ[b] quatuor lineis areæ faciunt. Id si computare quem piget, brevioribus numeris idem discat: nam deni in quadrum[c] pedes, quadraginta per oram, intra centum erunt. At si quinideni[d] per latera, quini in fronte sint: ex illo, quod amplectuntur,
44 quartam deducent eodem circumductu[e]. Si vero porrecti utrimque undeviceni singulis distent, non plures intus quadratos habebunt, quam per quot longitudo ducetur: quæ circumibit autem linea, ejusdem spatii erit, cu-
45 jus ea, quæ centum continet. Ita quidquid formæ quadrati detraxeris, amplitudini quoque peribit. Ergo etiam id fieri potest, ut majore circuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis. Nam in collibus vallibusque
46 etiam imperito patet plus soli esse, quam cœli. Quid?

[x] efficiat *om.* G. [z] mensura G. Jens. [a] quid G. [b] divisæ *editiones quædam: sed* clausæ *magnæ auctoritatis ap. Burm. et est confusio nimis proclivis.* [c] *Sic* G. *et* Voss. 2. quadram *al.* [d] quindeni G. [e] circuitu G.

41. [*efficiat*] Coercui hanc vocem, quam non temere omitti Gothæ arbitrer. Supplevit aliquis verbum, quod deesse videbatur, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Non ita pauper est Quinctilianus, ut unum verbum temere bis ponat: quanquam junctura diversa ne idem videatur efficit.

42. *Jugeri mensuram*] Eadem traditur a Varrone R. R. 1, 10, 1, &c.

43. *clausæ quatuor lineis areæ*] Nemo, credo, qui linearem doctrinam vel a limine salutarit, ægre feret, hanc a nobis lectionem receptam, quæ ab altera, *divisæ*, in MSS. apice tantum uno alteroque, in manu paullum obscura vix discernendo, distat. Nimirum si longitudinem jugeri 240 per latitudinem 120 ducas, orientur quadrati pedes 24800: circuitus erit 720. Divide eundem circuitum in latera quatuor æqualia, et finge aream esse angulis omnibus rectis quadratam, non rhombum, angulos hic acutos, obtusos illinc habentem: erit latus 180, quod in se ductum dabit aream illius quadrati 32400, triente fere majorem jugero. Hæc facile est ad reliqua Fabii transferre.

45. *plus soli quam cœli*] Itaque ager in declivi colle positus non est æstimandus ex illa declivi area, sed ex ea, quæ a radicibus inde collis,

quod se eadem geometria tollit ad rationem usque mundi? in qua, cum siderum certos constitutosque cursus numeris docet, discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum: quod ipsum nonnumquam pertinere ad oratorem potest. An vero cum Pericles Athenienses Solis obscura- 47
tione territos, redditis ejus rei caussis, metu liberavit: aut cum Sulpicius ille Gallus in exercitu L. Paulli de Lunæ defectione differuit, ne velut prodigio divinitus facto militum animi terrerentur, non videtur esse usus oratoris officio? Quod si Nicias in Sicilia sciisset, non eodem con- 48
fusus metu pulcherrimum Athenienſium exercitum perdidisset[f]: sicut Dion, cum ad destruendam Dionysii tyrannidem venit, non est tali casu deterritus. Sint exempla[g] licet usus bellici, transeamusque, quod Archimedes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit[h]: illud utique 49
jam proprium est ad efficiendum quod intendimus, plurimas quæstiones, quarum[i] difficilior alia ratione explicatio est, ut de ratione dividendi, de sectione in infinitum, de celeritate augendi[l], linearibus illis probationibus solvi solere: ut si est oratori (quod proximus demonstrabit liber)

[f] prodidisset *MSS. quidam ap. Burm. qui illud huc quadrare docet.* [g] extra G *et plures MSS. ortum ex compendio vocis, putat Regius.* [h] tenuit G. [i] quibus G. [l] augenda Voss. *pr. sec. Bern. ap. Burm.*

servata æquali omnium ejus partium a centro telluris distantia, procurrere intelligitur; vel ex triangulari ratione, area talis agri non æstimanda ex hypotenusa, verum ex basi: quæ cum eo sit minor hypotenusa, quo collis est altior, patet egregie falli posse mensorem, aut litigatorem adeo: cum plantæ ad perpendiculum crescant non hypotenusæ, sed baseos, quemadmodum cœlestes aquæ cadunt non pro *soli* illius declivis ratione, sed *cœli*, ut loquitur Fabius, h. e. areæ æquabili spatio a centro terræ distantis.

47. *Pericles*] De hujus et Sulpicii Galli arte vid. Val. Max. 8, 11. et Fronti. Strateg. 1, 12. et quæ ad utrumque locum viri docti. In primis vero Freinshem. ad Curt. 4, 10, 2. qui nec recentiora hujus artis adversus barbaros validæ exempla, prætermittit.

48. *exempla*] Quid si illud *extra*, quod obsedit codices, non plane contemnendum dicamus, et latere ibi *externa?* Occurrit objectioni Fabius, esse ista *externa*, nihil pertinere ad oratorem, sed ad rem militarem &c.

48. *in longius traxit*] Scimus quid sit *trahere bellum*, nec dubitamus, quin et *trahi* possit *obsidio*. Sed magis placeret, si is, qui obsidet urbem, *trahere obsidionem* diceretur. Itaque non ausim damnare, quod Gothæ legitur. *Tenere* est *sustinere, retinere*, ut in *tenere fugam, vocem*, et similibus.

49. *de sectione in infinitum*] Utrum nempe quod extensum est secari et dividi sine fine possit, an sint veræ atomi, corpora, quæ jam porro dividi nequeant? *Celeritatem augendi* vero retulerim ad geometricas progressiones, quæ mirifice augent numeros.

de omnibus rebus dicendum, nullo modo ſine geometria eſſe poſſit orator.

XI. (XIX.) Dandum aliquid comœdo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi ſcientiam futurus orator deſiderat. Non enim puerum, quem in hoc inſtituimus, aut femineæ vocis exilitate frangi volo, aut ſeniliter tremere. 2 Nec vitia ebrietatis effingat, nec ſervili vernilitate imbuatur: nec amoris, avaritiæ, metus diſcat affectum: quæ neque oratori ſunt neceſſaria, et mentem, præcipue in æ- 3 tate prima teneram adhuc et rudem, inficiunt. Nam FREQUENS imitatio tranſit in mores. Ne geſtus quidem omnis ac motus a comœdis petendus eſt. Quamquam enim utrumque eorum ad quemdam modum præſtare debet orator: plurimum tamen aberit a ſcenico, nec vultu, nec manu, nec excurſionibus nimius[m]. Nam ſi qua in his ars eſt dicentium, ea prima eſt, ne ars eſſe videatur. 4 Quod eſt igitur in his doctoris[n] officium? In primis vitia, ſi qua ſunt, oris, emendet: ut expreſſa ſint verba, ut ſuis quæque literæ ſonis enuntientur. Quarumdam enim vel[o] exilitate vel pinguetudine nimia laboramus: quaſdam velut acriores parum efficimus[p], et aliis non diſſimi- 5 libus, ſed quaſi hebetioribus permutamus. Quippe P[r] literæ, qua Demoſthenes quoque laboravit, A ſuccedit: quarum vis eſt apud nos quoque. Et cum *C* ac ſimiliter

[m] nimiis G. Jenſ. [n] decoris G. [o] vel exilitate *om.* G. Jenſ. [p] effiamus *MS. apud Pareum.* efferimus *al.* *Sed nihil mutandum Gron. ad Senec. de ira* 1, 3. [r] Rho *et mox* Labda Jenſ.

1. *pronuntiandi ſcientiam*] Cujus rei peculiare fuiſſe ſtudium non eſt dubitandum, cum etiam in Attici ſui laudibus commemoret Nepos Cornelius, eum *excellenter pronuntiaſſe*: et ὑπόκρισιν, a qua ſcenici actores Græcorum ὑποκριταὶ dicuntur, primas, ſecundas ac tertias ferre in dicendi arte, ſummus dicendi artifex Demoſthenes dixerit. Cic. de Orat. 3, 56.

4. *exilitate*] Ἰσχνότητα Græci vocant, quo nomine utitur Fabius ſupra 1, 5, 32: quemadmodum *pinguetudo* ibidem eſt πλατειασμός.

4. *acriores*] Eleganter Burmannus *acriores* præſertim ad R refert, quam canes *hirrientes* efferunt, quorum tum velut proprium epitheton eſt *acres*. Provocat ad Phædr. 3, 7.

5. P *literæ*] Græcas literarum formas, vel nomina etiam, adhiberi hic voluiſſe Fabium, verba ſatis indicant, quæ ſubjicit, *quarum vis eſt apud nos quoque*. A *Rho* littera Græcis ῥωτικοὶ dicuntur, qui eam efferre non poſſunt, vid. Diog. Laert. 2, 108. Iidem fere λαδδακισμῷ vel λαμδδακισμῷ laborant, quod Λ ſubſtituunt τῷ P, aſperæ molliorem. Sed ῥωτασμὸν vel ῥωτακισμὸν vocant frequentem nimis ejuſdem literæ repetitionem.

T[s] non valuerunt, in *G*[t] ac *D* molliuntur. Ne illas qui- 6
dem circa *S* literam delicias hic magiſter feret: nec verba in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate reſonare: nec, quod minime ſermoni puro conveniat, ſimplicem vocis naturam pleniore quodam ſono circumlinire[u], quod Græci καταπεπλασμένον[x] dicunt: ſic appellantur cantus ti- 7
biarum, quæ præcluſis, quibus clareſcunt, foraminibus, recto modo exitu graviorem ſpiritum reddunt. Curabit[z] 8
etiam, ne extremæ ſyllabæ intercidant; ut par ſibi ſermo ſit; ut quoties[a] exclamandum erit[b], lateris conatus ſit ille, non capitis; ut geſtus ad vocem, vultus ad geſtum accommodetur. Obſervandum erit etiam, ut recta ſit fa- 9
cies dicentis, ne labra diſtorqueantur[c], ne immodicus hiatus rictum diſtendat, ne ſupinus vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos, quorum ſupercilia 10
ad ſingulos vocis conatus allevarentur[d], aliorum conſtricta, aliorum etiam diffidentia, cum altero in verticem ten-

[s] Gn. G. *male.* [t] Acd G. tacd. Jenſ. [u] circumlenire Jenſ. circumvenire G. [x] καταπλασμὸν G. *non male.* [z] curabunt G. [a] conſequens G. *et hic et quoties fere hæc vox occurrit: quare? non comminiſcor.* [b] ſit, laterum G. [c] detorqueantur G. Jenſ. [d] allevantur G. Jenſ. *quod ſi verum, videtur indicare, de vivis hominibus ſermonem eſſe.*

5. *non valuerunt*] Non ſatis robuſte et acriter expreſſæ ſunt.

6. *delicias*] h. e. adfectationem moroſulam; quam hodie etiam in quibuſdam obſerves, qui mirifice ſibi elegantes videntur, cum non aperto ſibilo protulerunt ſ, verum blæſum quiddam ex d addidere. Cæterum ut quondam Attici a reliquis Græcis, ita inferior Germania ea quaſi nota diſcernitur, quod ſ in t mutant. Ita malo intelligere hunc locum, quam de frequenti literæ ſ repetitione vel σιγματισμῷ, de quo capiunt Pſeudo-Turnebus et Colomeſius.

6. *oris inanitate*] Κοιλοστομίαν vocat 1, 5, 33: unde conjiciebat Burmannus, *oris in cavitate.*

6. καταπεπλασμένον] Reſpicit, credo, hæc vox ad ipſam rationem obturandorum cera vel figulari creta foraminum in tibiis, quo facto gravior ille quidem, ſed idem imbecillior longe ſonus exit. Καταπεπλασμένον itaque dicunt, qui graviorem, quam natura ipſis tribuit, vocem dum adfectant, illa ipſa re vires et claritatem illi adimunt. Vereor, ut ipſe Fabius vim vocis recte adſecutus ſit. Certe quid ſit *ſimplicem vocis naturam pleniore quodam ſono circumlinire?* a me non intelligi fateor: niſi quod etymon Græcum interpretari volens per metaphoram, videtur aliquid dixiſſe. Quinctilianus, quod ipſe, quale eſſet, diſertiſſimus alioquin homo, aperte dicere non potuit. *Vox circumliniri* certe non poteſt, ſed poteſt aliquis *ſonare circumlitum* aut *oblitum*, hoc eſt, ſimile quid tibiæ, cujus foramina omnia, præter directum illud, *oblita* et obturata ſunt. Vid. II, 3, 50. *apertis tibiis.*

10. *diffidentia*] Ut Piſonis, de quo Cicero in Piſo. c. 6. *Cum eſſes interrogatus de conſulatu meo*;

derent, altero pene oculus ipſe premeretur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quoque rebus momentum
11 eſt. Et nihil poteſt placere, quod non decet. Debet etiam
12 docere comœdus, quomodo narrandum, qua ſit auctoritate ſuadendum, qua concitatione conſurgat ira, qui[e] flexus deceat miſerationem. Quod ita optime faciet, ſi certos ex comœdiis elegerit locos, et ad hoc maxime ido-
13 neos, id eſt actionibus ſimiles. Iidem autem non ad pronuntiandum modo utiliſſimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et hæc, dum
14 infirma ætas majora non capiet. Ceterum cum legere orationes oportebit, cum virtutes earum jam ſentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus aſſiſtat: neque ſolum lectione[f] formet, verum etiam ediſcere electa ex his cogat, et ea dicere ſtantem clare, et quemadmodum agere oportebit: ut protinus pronunciatione[g] vocem et memoriam
15 exerceat. Ne illos quidem reprehendendos putem, qui
16 paullum etiam palæſtricis vacaverint. Non de his loquor, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino conſumitur, qui corporis[h] cura mentem obruerunt (hos enim abeſſe ab eo, quem inſtituimus, quam longiſſime velim) ſed nomen eſt idem iis, a quibus geſtus motuſque formantur: ut recta ſint brachia, ne indoctæ ruſticæve[i] manus, ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia, ne caput
17 oculique ab alia corporis inclinatione diſſideant. Nam nec[l] hoc eſſe in parte pronuntiationis negaverit quiſquam, nec ipſam pronuntiationem ab oratore ſecernet. Et certe quod facere oporteat, non indignandum[m] eſt diſcere, cum præſertim hæc *chironomia*, quæ eſt (ut nomine ipſo declaratur) *lex geſtus*, et ab illis temporibus heroicis orta ſit, et

[e] quis G. Jenſ. [f] *Puto legendum* lectionem. [g] pronunciationem. [h] corporum G. Jenſ. [i] ruſtice G. Jenſ. *et al. ap. Burm.* [l] ne G. [m] indignum G. *et al. ap. Burm.*

gravis auctor—reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, Crudelitatem tibi non placere. Add. noſter 11, 3, 79.

17. *ab illis temporibus heroicis*] Commentarii vicem præſtare huic loco poteſt elegantiſſimus Luciani περὶ ὀρχήσεως libellus. De Heroicis enim ipſorumque adeo Deorum ſaltationibus agit p. 788. De Socrate p. 795. οὐ μόνον ἐπῄνεσε τὴν ὀρχηστικὴν, ἀλλὰ καὶ ἐκμαθεῖν αὐτὴν ἠξίωσε. (Add. Viri docti ad illud Diog. Laert. 2, 32. ὠρχεῖτο συνεχές.) De Lacedæmoniis p. 789. ſq. De Saliis p. 793. De Platone p. 799. Hujus porro viri ſententia, ſi quis requirat, et ipſius adeo Socratis, habetur in ſeptimo de rep. p. 630, e. et 638, c. Læmar.

a ſummis Græciæ viris, et ab ipſo etiam Socrate probata, a Platone quoque in parte civilium poſita virtutum, et a Chryſippo in præceptis de liberorum educatione compoſitis non omiſſa. Nam Lacedæmonios quidem etiam ſal- 18
tationem quamdam, tamquam ad bella quoque utilem, habuiſſe inter exercitationes accepimus. Neque id veteribus Romanis dedecori fuit: argumentum eſt ſacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus ſaltatio: et illa in tertio Ciceronis de oratore libro verba Craſſi, quibus præcepit[n], ut orator utatur *laterum inclinatione forti ac virili, non a ſcena et hiſtrionibus, ſed ab armis, aut etiam a palæſtra:* cujus etiam diſciplinæ uſus in noſtram uſque ætatem ſine reprehenſione deſcendit. A me tamen nec ultra pue- 19
riles annos retinebitur, nec in his ipſis diu. Neque enim geſtum oratoris[o] componi ad ſimilitudinem ſaltationis volo, ſed ſubeſſe aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes furtim decor ille diſcentibus traditus proſequatur.

XII. (XX.) Quæri ſolet, an etiam, ſi diſcenda ſint hæc, eodem tempore tamen tradi omnia et percipi poſſint. Negant enim quidam, quia confundatur animus, ac fatigetur tot diſciplinis in diverſum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipſe ſufficiat: et ſi maxime hæc patiatur ætas robuſtior, tamen[p] pueriles annos onerari non 2
oporteat. Sed non ſatis perſpiciunt, quantum natura humani ingenii valeat: quæ ita eſt agilis et velox, ſic in omnem partem, ut ita dixerim, ſpectat, ut ne poſſit quidem aliquid agere tantum unum: in plura vero, non eodem die modo, ſed eodem temporis momento vim ſuam impendat. An vero citharœdi non ſimul et memoriæ, et 3

[n] præcipit G. [o] oratori G. [p] *om.* G.

18. *verba Craſſi*] De Orat. 3, 59. *Omnes autem hos motus ſubſequi debet geſtus, non hic verba exprimens ſcenicus, ſed univerſam rem et ſententiam non demonſtratione ſed ſignificatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili,—palæſtra. Manus autem minus arguta, digitis ſubſequens verba, non exprimens: brachium procerius projectum, quaſi quoddam telum orationis: ſupplosio pedis in contentionibus aut incipiendis aut finiendis.*

19. *furtim decor*] Jam Pareo obſervata imitatio Tibulli 4, 2, 8.

Illam, quidquid agit, quoquo veſtigia flectit,
Componit furtim ſubſequiturque decor.

Add. Cic. de Orat. 1, 16. *Ut qui pila ludunt, non utuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ; ſed indicat ipſe motus, didicerintne palæſtram, an neſciant* &c.

XII. 3. *citharœdi*] Hic apertiſſimum eſt, citharœdum eſſe, qui

ſono vocis et pluribus[q] flexibus ſerviunt, cum interim alios nervos dextra percutiunt[r], alios læva trahunt, continent, probant[s], ne pes quidem otioſus, certam legem tem-
4 porum ſervat, et hæc pariter omnia? Quid? nos agendi ſubita neceſſitate deprehenſi, nonne alia dicimus, alia providemus, cum pariter inventio rerum, electio verborum, compoſitio, geſtus, pronuntiatio, vultus, motuſque[t] deſiderentur[u]? Quæ ſi velut[v] ſub uno conatu tam diverſa parent ſimul, cur[x] non pluribus curis horas partiamur? cum præſertim reficiat animos ac reparet varietas ipſa, contraque ſit aliquanto difficilius in labore uno perſeverare: ideoque et ſtilus lectione requieſcit, et ipſius lectio-
5 nis tædium vicibus levatur. Quamlibet[z] multa egerimus, quodam tamen modo recentes ſumus ad id, quod incipimus. Quis non obtundi poſſit, ſi per totum diem cujuſcumque artis unum magiſtrum ferat? Mutatione recreabitur, ſicut in cibis, quorum diverſitate reficitur ſtomachus, et pluribus minore faſtidio alitur. Aut dicant iſti
6 mihi, quæ ſit alia ratio diſcendi? [Si[a]] *grammatico* ſoli deſerviamus, deinde *geometræ* tantum: omittamus interim quod didicimus, mox tranſeamus ad *muſicum:* excidant priora: et quum *Latinis* ſtudebimus literis, non reſpiciamus ad *Græcas?* et ut ſemel finiam, nihil faciamus, niſi
7 noviſſimum. Cur non idem ſuademus agricolis, ne arva ſimul et vineta, et oleas, et arbuſtum colant? ne pratis,

[q] plurimis G. [r] percurrunt *MSS. quidam ap. Burm.* [s] præbent G. Jenſ. *et plures ap. Burm.* [t] motus G. [u] deſideratur G. deſideretur Jenſ. *et al.* [v] velit uno cantu G. [x] cum G. [z] quantumlibet G. [a] *om.* G. *et* Almel. *ap. Burm.*

non citharam modo tractet, quod *citharißa* facit, ſed idem etiam cantilenam accinat.

3. *probant*] *Probat nervos* citharœdus, cum ante ipſum cantum experitur, an ſuam quiſque intentionem habeat, ſuum ſonum reddat. Sed hic in opere ipſo et medio agone verſatur, ubi non *probandi* tempus eſt, ſed canendi. Haud igitur paullo melius mihi videbatur, quod ſupra poſui, *præbent*. Sinistra citharœdi alios nervos *trahit*, vellicat, digito vel ungue retractum ſubito remittit (*pizzicata* id genus tactus vocatur ab Italis), alios *continet*, premit, vel ita ut breviores fiant, ſonumque proinde dextra percuſſi emittant altiorem, vel ut plane plectro non tangantur; alios denique *præbet*, h. e. remiſſis digitis laxat, ut tacti dextra eum ſonum edant, quem dat propria ac libera intentio.

4. *uno conatu*] Vitioſus hic eſt, vel vitiatus potius, non nego, Gothanus. Sed *cantu* vehementer mihi placet, et convenit cum ſimilitudine a citharœdis ſumta.

6. [*Si*] *grammatico ſoli*] Incluſi importunum *ſi*, ut mihi videbatur. Ironica velut ſuadentis enumeratione utitur, et quid conſecuturum ſit, eadem oſtendit.

et pecoribus, et hortis, et alvearibus accommodent curam? Cur ipsi aliquid forensibus negotiis, aliquid desideriis amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, nonnihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos una res quælibet nihil intermittentes fatigaret. Adeo FACILIUS est multa facere, quam diu. Illud quidem minime verendum est, ne laborem stu- 8
diorum pueri difficilius tolerent: neque enim ulla ætas minus fatigatur. Mirum sit forsitan; sed experimentis deprehendas. Nam et dociliora sunt ingenia, priusquam obduruerunt. Id vel hoc argumento patet, quod 9
intra biennium, quam verba recte formare potuerunt, quamvis nullo instante, omnia fere loquuntur: at novitiis nostris, per quot annos sermo Latinus repugnat? Magis scias, si quem jam robustum instituere literis cœperis, non sine causa dici παιδομαθεῖς eos, qui in sua quidque arte optime faciant. Et patientior est laboris natura pueris, quam 10
juvenibus. Videlicet UT corpora infantium nec casus, quo in terram toties deferuntur, tam graviter affligit; nec illa per manus et genua reptatio, nec post breve tempus continui lusus, et totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec se ipsi gravant: sic animi quoque credo, quia minore conatu moventur, nec suo nisu[b] studiis insistunt, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigantur. Præterea secundum aliam ætatis illius facilitatem, velut 11
simplicius docentes sequuntur, nec quæ jam egerint, metiuntur. Abest illis etiam adhuc laboris judicium. Porro, ut frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quam cogitatio. Sed ne temporis quidem umquam plus 12
erit: quia his ætatibus omnis in audiendo profectus est. Cum ad stilum secedet, cum generabit ipse aliquid atque componet, tum inchoare hæc studia vel non vacabit, vel non libebit. Ergo cum grammaticus totum diem occu- 13
pare non possit, nec debeat, ne discentis animum tædio avertat: quibus potius studiis hæc temporum velut subse-

[b] nixu G.

9. παιδομαθεῖς] Illud quotidie observamus in pueris, qui præter patrium sermonem, peregrinum etiam, a prima inde pueritia, a familiari femina vel viro discunt.

13. *temporum velut subseciva*] Explicat illa *subsidia* e re militari, utcunque Gronovius. Sed ita ut cogatur vir disertissimus, et qui obscurissima quæque dicendo facile explicaret, subjungere: *Quod quam suave atque elegans mihi ad aures accidat, sentire magis, quam explicare possum. Subseciva* autem *tem-*

14 civa[c] donabimus? Nam nec ego conſumi ſtudentem in his artibus volo: nec moduletur, aut[d] muſicis modis cantica excipiat, nec utique ad minutiſſima geometriæ opera deſcendat. Non comœdum in pronuntiando, nec ſaltatorem in geſtu facio: quæ ſi omnia exigerem, ſuppeditabat tamen tempus. Longa eſt enim, quæ diſcit, ætas, et ego
8 15 non de tardis ingeniis loquor. Denique cur in his omnibus, quæ diſcenda oratori futuro puto, eminuit Plato? qui non contentus diſciplinis, quas præſtare poterant Athenæ, non Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat,
9 Ægypti quoque ſacerdotes adiit, atque eorum arcana per-
16 didicit. DIFFICULTATIS patrocinia præteximus ſegnitiæ. Neque enim nobis operis amor eſt: nec, quia ſit honeſta, atque pulcherrima rerum eloquentia, petitur ipſa, ſed ad vilem uſum et ſordidum lucrum accingimur.
17 Dicant ſine his in foro multi, et acquirant, dum ſit locu-
10 pletior aliquis ſordidæ mercis negotiator, et plus voci ſuæ debeat præco: ne velim quidem lectorem dari mihi, quid
18 ſtudia referant, computaturum. Qui vero imaginem ipſam eloquentiæ divina quadam mente conceperit[e], quique illam (ut ait[f] non ignobilis tragicus) reginam rerum orationem ponet ante oculos, fructumque non ex ſtipe advo-

[c] ſucceſſiva G. Jenſ. ſucciſiva *vel* ſubciſiva *optimi quique ap. Burm.* ſubſidia *al.* [d] ut G. [e] concepit G. [f] Sophocles *inſ. quædam edit. non habet* G.

forum quæ ſint, explicari poteſt nullo labore ab his, qui, in agris quæ ſint *ſubfeciva*, non ignorant. Fundus et caput temporis dabitur Grammatico, *ſubfeciva*, et alioquin peritura, (vid. ſ. 18.) occupabunt Muſici, Geometræ.

17. *dum ſit locupletior*] Largitur unum Fabius ea lege atque conditione, ut ſibi viciſſim alterum concedatur. Fatetur ſine his in foro acquirere multos: ſed acquirunt plus etiam ſordidi negotiatores, et præcones. Igitur non ex reditu æſtimanda eloquentia; alioquin metus eſt, ne ab infimis artibus vincatur. Didicit hunc uſum τῆς *dum* ab Horatio, v. g. S. 1, 1, 4. *Nil obſtet tibi*, DUM *ne ſit te ditior alter*. In primis S. 1, 3, 137. ubi puto ita interpungendum, *magnorum maxime regum, (ne longum faciam)* DUM *tu quadrante lavatum Rex ibis* &c. Concedo tibi, ut ſis rex, *dum* illud ſimul appareat, te, quantumvis regem, quadrante lavari *cet.*

18. *non ignobilis tragicus*] *Sophoclem* intruſit credo aliquis, qui hunc ſolum Tragicum noſſet. Eſt autem, quod jam Philandro notatum, Euripidis verſus in Hecuba, 816. Πείθω δὲ τὴν Τύραννον ἀνθρώποις μόνην. Eodem reſpicit Tullius de Orat. 2, 44. *Sed tantam vim habet illa quæ recte a bono Poeta dicta eſt*, Flexanima atque omnium regina rerum. *Non ignobilis* elogium eſt ſimile illi, quo Polybium mactavit Livius, *non ſpernendus auctor*, de quo multi multa.

18. *ex ſtipe advocationum*] *Stipis* vocabulum ad contemtum pertinet. Cæterum jam obſoleverat

cationum, ſed ex animo ſuo, et contemplatione ac ſcientia petet, perpetuum illum, nec fortunæ ſubjectum; facile perſuadebit ſibi, ut tempora, quæ ſpectaculis, campo, teſſeris, otioſis denique ſermonibus, ne dicam ſomno, et conviviorum mora conterunt, geometræ potius ac muſico impendat, quanto plus delectationis habiturus, quam ex illis ineruditis voluptatibus? DEDIT enim hoc providentia 19 hominibus munus, ut honeſta magis juvarent. Sed nos hæc ipſa dulcedo longius duxit. Hactenus ergo de ſtudiis, quibus ante quam majora capiat, puer inſtituendus eſt: proximus liber velut novum ſumet exordium, et ad rhetoris officia tranſibit.

ea tempeſtate lex Cincia: (de qua Brummerianum commentarium nemo ignorat paullo humanior) et ut aliæ merces proſtabat decus rerum eloquentia.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER SECUNDUS.

TENUIT consuetudo, quæ quotidie magis invalescit, ut præceptoribus eloquentiæ, Latinis quidem semper, sed etiam Græcis interim, discipuli serius quam ratio postulat, traderentur. Ejus rei duplex est caussa: quod et rhetores utique nostri suas partes omiserunt, et grammatici alienas
2 occupaverunt. Nam et illi declamare modo, et scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt[a], idque intra deliberativas judicialesque materias; nam cetera, ut professione sua minora, despiciunt: et hi non satis credunt excepisse quæ relicta erant, (quo nomine gratia quoque his est habenda) sed ad prosopopœias usque, et ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrum-
3 punt. Hinc ergo accidit, ut quæ alterius artis prima erant opera[b], facta sint alterius noviſſima: et ætas, altioribus jam disciplinis debita, in schola minore subsideat[c], ac rhetoricen apud grammaticos exerceat. Ita[d], quod est

[a] dicunt Jens. [b] opera *om.* G. G. *et* Jens. [c] subsidat G. *et* Jens. [d] Itaque

2. *irrumpunt*] Propriam huic verbo sedem esse, ubi quis per nefas occupat quod non debebat, ostendit ad h. l. Burm. Sed cum ille poetas modo laudaverit, addamus Ciceronis locum de simillimo argumento agentis, et totum adscribamus, quod nimis elegans est, et ea quæ sequuntur etiam illustrat. Est autem de Orat. 3, 27. *Sed quoniam de nostra possessione depulsi* (oratores a philosophis) *in parvo et eo litigioso prædiolo relicti fumus, et aliorum patroni nostra tenere tuerique non potuimus, ab iis (quod indigniſſimum est) quæ in nostrum patrimonium* IRRUPERUNT, *quod opus est nobis mutuemur.*

maxime ridiculum, non ante ad declamandi magistrum mittendus videtur puer, quam declamare jam sciat. Nos 4
suum cuique professioni modum demus. Et grammatice [quam in Latinum transferentes, *literaturam* vocaverunt] fines suos norit, præsertim tantum ab hac appellationis suæ paupertate, intra quam primi illi constitere, provecta: nam tenuis a fonte, assumtis poetarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit; cum, præter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit[e]: et *rhetorice*, 5
cui nomen vis eloquendi dedit, officia sua non detrectet[f], nec occupari gaudeat pertinentem ad se laborem: quæ dum opere cedit, jam pene possessione depulsa est. Nec inficiabor, ex[g] iis aliquem, qui *grammaticen* pro- 6
fitentur[h], eousque scientiæ progredi posse, ut ad hæc quoque tradenda sufficiat: sed cum id aget, rhetoris officio fungetur, non suo. Nos porro quærimus, quando iis, 7
quæ *rhetorice* præcipit, percipiendis puer maturus esse videatur. In quo quidem non id est æstimandum, cujus quisque sit ætatis, sed quantum in studiis jam effecerit. Et ne diutius differam, quando sit rhetori tradendus? sic optime finiri credo, cum poterit. Sed hoc ipsum ex su- 8
periore pendet quæstione. Nam si grammatices munus usque ad *suasorias* [quæ[i] sunt apud rhetorem materiæ inter rudimenta dicendi] prorogatur, tardius rhetore opus est. Si rhetor prima operis sui officia non recusat, a narrationibus statim, et laudandi vituperandique opusculis cura ejus desideratur. An ignoramus antiquis hoc fuisse 9
ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut theses[l] dicerent, et *communes locos*, et cetera citra complexum rerum personarumque, quibus veræ fictæque controversiæ continentur? Ex quo palam est, quam turpiter deserat eam partem rhetorices institutio, quam et primam habuit, et diu solam. Quid autem est ex iis, de quibus supra 10
dixi, quod non tum in alia, quæ sunt rhetorum propria, tum certe in illud judiciale causæ genus incidat? An non in foro narrandum est? qua in parte nescio an sit vel plurimum. Non laus ac vituperatio certaminibus illis 11
frequenter inferitur? Non communes loci? sive qui sunt

[e] est G. [f] detractet Jens. [g] aliquem ex iis Jens. [h] profiteantur G. *et* Jens. [i] *quæ inclusimus om.* G. *et al. ap. Burm. et sane glossa videntur.* [l] thesis G. *et* Jens.

in vitia directi, quales legimus a Cicerone compositos: seu quibus quæstiones generaliter tractantur, quales sunt editi a Quinto quoque Hortensio: ut, *Sitne parvis argumentis credendum?* et *pro testibus*, et *in testes*, in mediis li-
12 tium medullis versantur. Arma sunt hæc quodammodo præparanda semper, ut his, cum res poscet[m], utaris. Quæ qui pertinere ad oratorem[n] non putabit, is ne statuam quidem inchoari credet, cum ejus membra fundentur. Neque hanc (ut aliqui putabunt) festinationem meam sic quisquam calumnietur, tamquam eum, qui sit rhetori tradendus[o], abducendum protinus a Grammaticis putem.
13 Dabuntur illis[p] tum quoque tempora sua: neque erit verendum, ne binis præceptoribus oneretur puer. Non enim crescet, sed dividetur, qui sub uno miscebatur, labor: et erit sui quisque operis magister utilior: quod adhuc obtinent Græci, [q] a Latinis omissum est, et fieri videtur excusate, quia sunt, qui labori isti successerunt.

II. Ergo cum ad eas in studiis vires pervenerit puer, ut quæ prima esse præcepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus ejus artis magistris erit: quo-
2 rum in primis inspici mores oportebit: quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in ceteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, sicut testatus sum libro priore: sed quod magis necessariam ejus rei mentio-
3 nem facit ætas ipsa discentium. Nam et adulti fere pueri ad hos præceptores transferuntur, et apud eos juvenes etiam facti perseverant, ideoque major[r] adhibenda tum cura est: ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat.
4 Neque vero satis est summam præstare abstinentiam, nisi disciplinæ severitate convenientium quoque ad se mores

[m] poscat G. Jens. [n] orationem Jens. *et multi ap. Burm.* [o] traditus G. *et al. ap. Burm. bene.* [p] illi Jens. *non male.* [q] et *inf.* G. Jens. *et al. ap. Burm.* [r] magis G.

11. *a Cicerone compositos*] Ipse in Paradoxorum præfatione, *Ego vero*, inquit, *illa ipsa, quæ vix in Gymnasiis et in otio Stoici probant, ludens conjeci in communes locos* &c. et in fine, *degustabis genus hoc exercitationum earum, quibus uti consuevi, cum ea quæ dicuntur in scholis θετικὰ, ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus.* Ex hoc igitur ultimo genere forte exstiterunt quædam Quinctiliano prodente: quamquam illud *legimus* etiam ad laudatum e paradoxis locum referri potest. Cæterum vituperatione finit communem locum etiam 2, 4, 22.

adſtrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorum locum, a quibus ſibi liberi traduntur, exiſtimet. Ipſe nec habeat 5
vitia; nec ferat. Non auſteritas ejus triſtis, non diſſoluta ſit comitas: ne inde odium, hinc contemtus oriatur. Plurimus ei de honeſto ac bono ſit ſermo. Nam quo ſæpius monuerit, hoc rarius caſtigabit. Minime iracundus; nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, diſſimulator: ſimplex in docendo, patiens laboris, aſſiduus potius, quam immodicus. Interrogantibus libenter reſpondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis diſcipulorum 6
dictionibus nec malignus, nec effuſus: quia res altera tædium laboris, altera ſecuritatem parit. In emendando 7
quæ corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumelioſus: nam id quidem multos a propoſito ſtudendi fugat, quod quidam ſic objurgant, quaſi oderint. Ipſe aliquid, 8
immo multa quotidie dicat, quæ ſecum audita referant. Licet enim [s] ſatis exemplorum ad imitandum ex lectione ſuppeditet, tamen *viva illa*, ut dicitur, *vox* alit plenius, præcipueque ejus [t] præceptoris, quem diſcipuli, ſi modo recte ſunt inſtituti, et amant, et verentur. Vix autem dici poteſt, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus. Minime vero permittenda pueris, ut ſit apud ple- 9
roſque, aſſurgendi [v] exultandique in laudando licentia: quin etiam juvenum modicum eſſe, cum audient, teſtimonium debet. Ita fiet, ut ex judicio præceptoris diſcipulus pendeat, atque id ſe dixiſſe recte, quod ab eo probabitur, credat. Illa vero vitioſiſſima, quæ jam *humanitas* vocatur, 10
invicem qualiacumque laudandi, cum eſt indecora et theatralis, et ſevere inſtitutis ſcholis aliena, tum ſtudiorum perniciosiſſima hoſtis. Supervacua enim videntur [x] cura, ac labor, parata, quidquid effuderint, laude. Vultum 11
igitur præceptoris intueri, tam qui audiunt, debent, quam ipſe, qui dicit: ita enim probanda atque improbanda diſcernent: ſic ſtilo facultas continget; auditione judicium.

[s] eis G. [t] ejus *om.* G. [v] exſurgendi G. *contra p. p. no.* 7. [x] videtur G.

II, 5. *ſimplex in docendo*] Qui ambages omnes atque anfractus evitet, nihil aſtute reticeat, et candide aperteque omnia pandat.

9. *modicum — teſtimonium*] De plauſu adhuc loquitur etiam illo, quem dicenti præceptori tribuunt auditores. Vid. ſ. 13.

12 At nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt [y] modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exultatione conclamant. Id mutuum est, et ibi declamationis fortuna. Hinc tumor et vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum a præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant.
13 Sed se quoque præceptores intente ac modeste audiri velint: non enim judicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat quæ quisque, et quomodo laudet: et placere, quæ bene dicet, non suo magis, quam eorum nomine delectetur, qui recte judica-
14 bunt. Pueros adolescentibus sedere permixtos, non placet mihi. Nam etiamsi vir talis, qualem esse oportet studiis moribusque præpositum, modestam habere potest etiam [z] juventutem: tamen vel infirmitas a robustioribus separanda est; et CARENDUM non solum crimine turpitudinis,
15 verum etiam suspicione. Hæc notanda breviter existimavi. Nam ut absit ab ultimis vitiis ipse præceptor, ac schola, ne præcipiendum quidem credo. Ac [a] si quis est, qui flagitia manifesta in deligendo filii præceptore non vitet, jam hinc sciat, cetera quoque, quæ ad utilitatem juventutis componere conamur, esse sibi, hac parte omissa, supervacua.

III. Ne illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui, etiam cum idoneos rhetori pueros putaverunt, non tamen continuo tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquamdiu detinent: tamquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, cum ad intellectum atque imitationem facilior, tum ad suscipien-
2 das elementorum molestias minus superba. Qua in re mihi non arbitror diu laborandum, ut ostendam, quanto sit melius optimis imbui, quantaque in eluendis, quæ semel insederint, vitiis, difficultas consequatur: cum gemi-

[y] assurgent G. *contra p. a. no.* v. [z] et G. [a] at G.

12. *clausulam*] Hic simpliciter intelligo finem periodi, ut Cic. de Orat. 3, 50. *Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio judicatur. — in oratione prima pauci cernunt, postrema plerique &c.*

12. *ibi declamationis fortuna*] Ita bene vel male processisse sibi declamationem arbitrantur, ut immoderate vel modice lauoati sunt: et ne excidant laudibus, eas laudandis aliis mereri et parare sibi studeut.

natum onus succedentes premat, et quidem dedocendi gravius, ac prius, quam docendi. Propter quod TIMOTHEUM clarum in arte tibiarum, ferunt duplices ab iis, quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quam si rudes traderentur. Error tamen est in re duplex: unus, quod interim sufficere illos [b] minores existimant: et bono sane stomacho contenti sunt: quæ quamquam et ipsa reprehensione digna securitas, tamen esset utcumque tolerabilis, si ejusmodi præceptores minus docerent, non pejus: alter ille etiam frequentior, quod eos, qui ampliorem dicendi facultatem sunt consecuti, non putant ad minora descendere: idque interim fieri, quia fastidiant præstare hanc inferioribus curam; interim, quia omnino non possint. Ego porro eum, qui nolit, in numero præcipientium non habeo; posse autem maxime, si velit, optimum quemque contendo: primum, quod eum, qui eloquentia ceteris præstet, illa quoque, per quæ ad eloquentiam pervenitur, diligentissime percepisse credibile est: deinde, quia plurimum in præcipiendo valet ratio, quæ doctissimo cuique planissima [c] est: postremo, quia nemo sic in majoribus eminet, ut eum minora deficiant: nisi forte Jovem quidem Phidias optime fecit, illa autem, quæ in ornamentum ope-

3 4 5 6

[b] illi G. Jens. [c] pleniſſima G. Jens.

III, 3. *duplices — quam*] Bene hic Pithœus laudat Liv. 7, 8. *Multiplex quam pro numero damnum est.*

3. *bono stomacho contenti sunt*] Simpliciter ita intelligo; bonum se stomachum habere significant, cum mediocri Præceptore contenti sunt. Nimirum *stomacho* non est casus ab nomine *contenti* rectus, sed absolute ponitur, ut illud Cic. Fam. 7, 8. *cujus tu periculo stultus es*, et similia. *Contentus* illo sæculo etiam sine casu dicebatur Plin. ep. 1, 5, 8. *Nec contentus, pervenit ad Spurinam.* Quin ipse Cic. Bruto c. 35. *Cum Catulum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quæreres.* Venuste ergo Fabius *bono stomacho* esse dicit, qui tam facile contenti sint, nec præceptores spernant licet valde mediocres.

5. *valet ratio*] Nimirum illa *ratio conformatioque doctrinæ*, quam *methodum* scholæ vocant: hæc et *plenissima* est, h. e. nusquam deficiens, et abundans potius bonis præceptis; et *planissima*, expeditissima, nihil intricatum relinquens: ut difficile sit divinare, utrum Fabius posuerit; nisi quod posterius magis ad objectionem propositam valere videtur.

6. *nisi forte*] Non usque quaque valet illa ratio, qui majus possit, eum posse etiam minus: quæ scilicet effecerit etiam, ut Stoicus sapiens sutor idem bonus esset. Sed iatis est ad eam, quæ hic tractatur quæstionem, falsissimum esse, quod quidam persuadere aliis cupiunt, qui, quod summum est in arte aliqua possit, illum, ea ipsa causa quod summum teneat elementa ejus artis tradere non posse.

ris ejus accedunt, alius melius elaboraſſet; aut orator loqui neſciet; aut leviores morbos curare non poterit medi-
7 cus præſtantiſſimus. Quid ergo? non[d] eſt quædam eloquentia major, quam ut eam intellectu conſequi puerilis infirmitas poſſit? Ego vero confiteor: ſed hunc diſertum præceptorem, prudentem quoque, et non[e] ignarum docendi, eſſe oportebit, ſubmittentem ſe ad menſuram diſcentis: UT velociſſimus quiſque, ſi forte iter cum parvulo faciat, det manum, et gradum ſuum minuat, nec procedat
8 ultra, quam comes poſſit. Quid? ſi plerumque accidit, ut faciliora ſint ad intelligendum, et lucidiora multo, quæ a doctiſſimo quoque dicuntur? Nam et prima eſt eloquentiæ virtus, perſpicuitas, et, QUO quis ingenio minus valet, hoc ſe magis attollere et[f] dilatare conatur: UT ſtatura breves, in digitos eriguntur, et plura infirmi minan-
9 tur. Nam tumidos, et corruptos, et tinnulos, et quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo, non virium, ſed infirmitatis vitio laborare: UT corpora non robore, ſed valetudine inflantur; et recto itinere lapſi[g] plerumque devertunt. Erit ergo obſcurior etiam, quo
10 quiſque deterior. Non excidit mihi, ſcripſiſſe me[h] in libro priore, cum potiorem in ſcholis eruditionem eſſe, quam domi, dicerem, libentius ſe prima ſtudia teneroſque profectus ad imitationem condiſcipulorum, quæ facilior eſſet, erigere: quod a quibuſdam ſic accipi poteſt, tam quam hæc, quam nunc tueor, ſententia priori diverſa ſit.
11 Id a me procul aberit: namque ea cauſſa vel maxima eſt, cur optimo cuique præceptori ſit tradendus puer, quod apud eum diſcipuli quoque melius inſtituti, aut dicent, quod inutile non ſit imitari; aut ſi quid erraverint, ſtatim corrigentur: at indoctus ille etiam[i] probabit for-

[d] num G. [e] non *om.* G. *male.* [f] quam G. [g] laſſi *MSS. aliquot ap. Burm.* [h] *om.* G. *recte.* [i] et G.

9. *recto itinere lapſi*] Blandiebatur initio illud *laſſi*. Certum enim eſt, qui *laſſi* ſunt a via, eos deverti ſolere quietis cauſſa. Sed attentius conſideranti videbatur nihil mutandum. *Recto itinere lapſi*, h. e. quia a via regia quacunque de cauſſa aberrarunt, *deverti ſolent*: et doctores illi, qui quod ad rem pertinet, non inveniunt, quærunt deverſicula. Novi ego concionatorem haud unum, quorum longiſſima quæque concio eſſet abſurdiſſima, cum extemporali levitate confiſi ſemper quærerent quo ſi non auditoribus, ſibi certe ſatisfacerent: iidem tolerabiliores, quoties cogitata ante, et breviora in ſuggeſtum adferrent.

10. *libro priore*] Supra 1, 2, 26.

taſſe vitioſa, et placere audientibus judicio ſuo coget. Sit 12
ergo tam eloquentia, quam moribus præſtantiſſimus, qui
ad Phœnicis Homerici exemplum dicere, ac facere do-
ceat.

IV. Hinc jam, quas primas in docendo partes rheto-
rum [l] putem, tradere incipiam: dilata [m] parumper illa,
quæ ſola vulgo vocatur, *arte rhetorica*. Ac mihi oppor-
tunus maxime videtur ingreſſus ab [n] eo, cujus aliquid ſi-
mile apud grammaticos puer didicerit. Et quia narra- 2
tionum, excepta qua in cauſſis utimur, tres [o] accepimus [p]
ſpecies, *fabulam*, quæ verſatur in tragœdiis atque carmi-
nibus, non a veritate modo, ſed etiam a forma veritatis
remotam; *argumentum*, quod falſum, ſed vero ſimile co-
mœdiæ fingunt; *hiſtoriam*, in qua eſt geſtæ rei expoſitio;
grammaticis autem [q] poeticas dedimus: apud rhetorem
initium ſit hiſtoria [r], tanto robuſtior [s], quanto verior. Sed 3
narrandi quidem quæ nobis optima ratio videatur, tum
demonſtrabimus, cum de judiciali parte dicemus. Inter-
im admonere illud ſatis eſt, ut ſit ea neque arida prorſus
atque jejuna: (nam quid opus erat tantum ſtudiis laboris
impendere, ſi res nudas atque inornatas indicare ſatis vi-
deretur?) neque rurſus finuoſa, et arceſſitis deſcriptioni-
bus, in quas plerique imitatione poeticæ licentiæ ducun-
tur, laſciva. Vitium utrumque: pejus tamen illud, quod 4
ex inopia, quam quod ex copia venit. Nam in pueris
oratio perfecta, nec exigi, nec ſperari poteſt: melior au-
tem [t] eſt indoles læta, generoſique conatus, et vel plura
juſto concipiens interim ſpiritus. Nec umquam me in 5
his diſcentis annis offendat, ſi quid ſuperfuerit. Quin
ipſis doctoribus hoc eſſe curæ velim, ut teneras adhuc
mentes more nutricum mollius alant, et ſatiari velut quo-
dam jucundioris diſciplinæ lacte patiantur. Erit illud
plenius interim corpus, quod mox adulta ætas adſtringat.
Hinc ſpes [u] roboris. Maciem namque et infirmitatem in 6
poſterum minari ſolet protinus omnibus membris expreſ-

[l] rhetorem putem tradere, G. [m] dilatata G. [n] ab eo *om.* G. [o] tris *Sic et fere ſemper* G. *et* Jenſ. [p] *Sic* Jenſ. *et al. ap. Burm.* [q] etiam Jenſ. [r] hiſtorica G. Jenſ. [s] robuſtior, quanto *om.* Jenſ. [t] tamen G. [u] ſpem roboris. aciem G.

12. *Phœnicis Homerici*] Qui docere juſſus eſt Achillem Ιλ. ι'. 443.

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.

Quod Cicero vertit de Orat. 3, 15. *Oratorem verborum, actoremque rerum.* Add. noſter 2, 16, 8.

fus infans. Audeat hæc ætas plura, et inveniat, et inventis gaudeat, sint licet [x] illa non satis interim sicca et [z] severa. FACILE remedium est ubertatis: sterilia nullo la-
7 bore vincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum spei dederit, in qua ingenium judicio præsumitur. Materiam esse primum volo vel abundantiorem, atque ultra, quam oporteat, fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur, sit modo unde excidi possit, et quod exsculpi: erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, et
8 quam cælatura altior rumpat. Quod me de his ætatibus sentire minus mirabitur, qui apud Ciceronem legerit [a], *Volo enim se efferat in adolescente* [b] *fecunditas*. Quapropter in primis evitandus, et in pueris præcipue, magister aridus, NON minus, quam teneris adhuc plantis
9 siccum et sine humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, et velut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant. MACIES illis pro sanitate, et judicii loco infirmitas est: et dum satis putant vitio carere, in id ipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent. Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec MUSTA in [c] lacu statim austera sint: sic et annos fe-
10 rent, et vetustate proficient. Ne illud quidem quod admoneamus indignum est, INGENIA puerorum nimia interim emendationis severitate deficere: nam et desperant, et dolent, et noviſſime oderunt, et, quod maxime nocet,
11 DUM omnia timent, nihil conantur. Quod etiam rusticis notum est, qui FRONDIBUS teneris non putant adhiben-

[x] licet *om.* G. [z] ac G. Jens. [a] legit G. [b] adulesc. G. [c] in lacu *om.* G.

4, 7. *ingenium judicio præsumitur*] *Præsumere*, frequens nostro verbum, significat occupare. *Ingenium* igitur *judicio præsumitur*, cum prius in puero senilis quædam et sicca severitas, ac judicium nimis diligens et asperum, quam ingenium felix, lætum, fecundum, luxurians adeo, se prodit. Cæterum admirabilis doctor est, ut in aliis ita hic etiam Fabius, qui de felici illa ingeniorum ubertate ita loquatur, ut ipsa oratione illam sua non pinxisse, sed qualis et quanta sit coram demonstrasse videatur.

8. *apud Ciceronem*] De Orat. 2, 21. cujus locum ante oculos cum haberet Fabius, ne eadem similitudine uteretur, evitavit. At tu, qui pulchritudinis quendam sensum induere animo studes, totum locum fac ut cum hoc nostro conferas.

9. *nihil supra quotidianum sermonem*] Conf. supra 1, 2, 31.

11. *rusticis notum est*] In quibus Columella 4, 7, 1. vetat *falce deputari palmites,—quod in viridi et adhuc stirpe immatura fieri noxium est* &c.

dam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, et cicatricem nondum pati posse. Jucundus ergo tum maxime 12
debet esse præceptor, ut REMEDIA, quæ alioqui natura sunt aspera, [d] molli manu leniantur: laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur id fiat ratione; illuminare, interponendo aliquid sui. Nonnumquam hoc quoque erit utile, totas ipsum dictare materias, quas et imitetur puer, et interim tamquam suas amet. At si tam 13
negligens ei stilus fuerit, ut emendationem non recipiat: expertus sum prodesse, quoties [e] eamdem materiam rursus a me retractatam [f], scribere de integro juberem, *posse enim eum adhuc melius:* quatenus nullo magis studia, quam spe gaudent. Aliter autem alia ætas emendanda est, et 14
pro modo virium et [g] exigendum opus, et corrigendum. Solebam ego dicere pueris, aliquid ausis licentius aut lætius, *laudare illud me adhuc; venturum tempus, quo idem non permitterem:* ita et ingenio gaudebant, et judicio non fallebantur. Sed ut eo revertar, unde sum egressus [h]: 15
narrationes stilo componi quanta maxima possit adhibita diligentia volo. Nam ut primo, cum sermo instituitur, dicere quæ audierint, utile est pueris ad loquendi facultatatem; ideoque et retro agere expositionem [i], et a media in utramque partem discurrere sane merito cogantur; sed ad gremium præceptoris, et dum aliud [l] non possunt, et dum res ac verba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment: ita cum jam formam rectæ atque emendatæ orationis accipient, extemporalis garrulitas, nec exspectata cogitatio et vix surgendi mora, circulatoriæ vere jactationis est. Hinc parentum imperitorum inane gau- 16
dium, ipsis vero contemtus operis, et inverecunda frons, et consuetudo pessime dicendi, et malorum exercitatio, et, quæ magnos quoque profectus frequenter perdidit, arrogans de se persuasio innascitur. Erit suum parandæ 17
facultati tempus, nec a nobis negligenter locus iste transibitur. Interim satis est [m], si puer omni cura, et summo, quantum ætas illa capit, labore aliquid probabile scripserit: in hoc assuescat, hujus rei naturam sibi faciat. Ille

[d] leni et molli G. molli et levi Jens. *utrumque habet et alios auctores; neutrum damnaverim.* [e] consequens *etiam hic* G. *et sæpe, quin fere semper: itaque non amplius adnotabimus.* [f] *Sic* G. Jens. *et optimi quique:* tractatam *al.* [g] *Sic* G. *et* Jens. virium exig. et corr. opus *al.* [h] digressus sum G. [i] dispositionem G. [l] *om.* G. [m] erit G. Jens.

17. *assuescat,—naturam*] Respicit ad vulgarem sententiam, qua *alteram naturam* esse *consuetudinem* fertur: ut 1, 2, 8.

demum in id, quod quærimus, aut ei proximum, poterit
18 evadere, qui ANTE discet recte dicere, quam cito. *Narrationibus* non inutiliter subjungitur opus destruendi confirmandique eas, quod ἀνασκευὴ et κατασκευὴ vocatur [n]. Id porro non tantum in fabulosis et carmine traditis fieri potest, verum etiam in ipsis annalium monumentis: ut, si quæratur, *An sit credibile super caput Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque hostis Galli rostro atque alis*
19 *everberaret?* sit in utramque partem ingens ad dicendum materia: ut *de serpente, quo Scipio traditur genitus*, et *lupa Romuli*, et *Egeria Numæ:* nam Græcis historiis [o] plerumque poeticæ similis est licentia. Sæpe etiam quæri solet de tempore, de loco, quo gesta res dicitur. Nonnumquam de persona quoque, sicut Livius frequentissime dubitat, et
20 alii ab aliis historici dissentiunt. Inde paullatim ad majora tendere incipiet, laudare claros viros, et vituperare improbos: quod non simplicis utilitatis opus est. Namque et ingenium exercetur multiplici variaque materia, et animus contemplatione recti pravique formatur, et multa inde cognitio rerum venit: exempliscque, quæ sunt in omni genere causarum [p] potentissima, jam tum instrui-
21 tur, cum res poscet, usurus. Hinc illa quoque exercitatio subit *comparationis, uter melior, uterve deterior?* quæ quamquam versatur in ratione simili, tamen et duplicat materiam, et virtutum vitiorumque non tantum naturam, sed etiam modum tractat. Verum de ordine laudis, contraque, quoniam tertia hæc rhetorices pars est, præcipie-
22 mus suo tempore. *Communes loci* (de iis loquor, quibus citra personas in ipsa vitia moris est perorare, ut in *adulte-*

[n] vocetur G. [o] historicis G. Jens. *utroque loco nullo sententiæ discrimine.*
[p] causarum *om.* G. *et potest commode abesse.*

18. *Valerii pugnantis*] *Corvini* ab eo eventu, ut volunt, dicti, de quo Liv. 7, 26. Gell. 9, 11. De serpente patre Scipionis Gellius idem 7, 1. Cætera quoque, quæ hic retulit, e historiæ R. et annalium monumentis repetita esse, vel Livius docet: severiora paullum genealogiis et archæologiis Græcorum, ipsis certe visa.

19. *nam Græcis*] Causam reddit, quod de Græca historia nihil exempli causa adferat. Sic infra 5. 39. *Nam fictas ad imitationem* &c.

19. *poeticæ similis lic.*] Sed de Romana etiam ante conditam condendamve urbem historia Livius in proœ. *poeticis magis decora fabulis* &c.

21. *suo tempore*] Infra 3, 7. ubi de genere demonstrativo agit.

22. *Communes loci*] Etiam 2, 1, 11. ad vitia restringit hanc appellationem. Scilicet contraria sunt in eodem prædicamento.

rum, aleatorem, petulantem) ex mediis ſunt judiciis, et, ſi reum adjicias, *accuſationes:* quamquam hi quoque ab illo generali tractatu ad quaſdam deduci ſpecies ſolent, ut, ſi ponatur *adulter cæcus, aleator pauper, petulans ſenex.* Habent autem nonnumquam etiam defenſionem. Nam et 23
pro *luxuria*, et pro [q] *amore* dicimus, et leno interim paraſituſque defenditur: ſic ut non homini patrocinemur, ſed crimini. Theſes [r] autem, quæ ſumuntur ex rerum com- 24
paratione, ut *ruſticane vita, an urbana potior? juriſperiti, an militaris viri laus major?* mire ſunt ad exercitationem dicendi ſpecioſæ [s] atque uberes, quæ vel ad ſuadendi officium, vel etiam ad judiciorum diſceptationem [t] juvant plurimum. Nam poſterior ex prædictis locus, in cauſſa Muræna copioſiſſime a Cicerone tractatur. Sunt et illæ 25
pene totæ ad deliberativum pertinentes genus, *ducendane uxor, petendine ſint magiſtratus?* Namque hæ, perſonis modo adjectis, ſuaſoriæ erunt. Solebant præceptores 26
mei, neque inutili, et nobis etiam jucundo genere exercitationis, præparare nos conjecturalibus cauſſis, cum quærere atque exſequi juberent, *Cur armata apud Lacedæmonios Venus?* et ita [u], *Quid crederetur* [v] *Cupido puer, ac volucer, et ſagittis ac face armatus?* et ſimilia: in quibus ſcrutabamur voluntatem, cujus in controverſiis frequens quæſtio eſt: quod genus chriæ videri poteſt. Nam locos 27
quidem, quales ſunt de teſtibus, *ſemperne his credendum?* et de argumentis, *an habenda etiam parvis fides?* adeo manifeſtum eſt ad forenſes actiones pertinere, ut quidam,

q pro *om.* G. *editi. Vid. Burm.*
r Theſis G. Jenſ. *ex Græco* Θέσεις.
s ſpatioſæ *quidam*
t diſceptationumque *editt. primæ, ut intelligatur officium.*
u et quid ita G.
v crederent Jenſ.

23. *pro luxuria et pro amore*] Quam tamen caute, et ſuſpenſo quaſi gradu, ea in re verſari, viri quidem graves ſoleant, vel Cœliana Tullii fatis docet. Idem etiam reliquos locos ſ. theſes tractavit, v. g. de vita ruſtica et urbana pro S. Roſcio Amerino, pro Muræna autem, quod ipſe mox monet Fabius, de comparatione rei militaris et juriſprudentiæ.

26. *armata Venus*] Non ideo a nobis prætermittendum, quod ab aliis jam obſervatum eſt, *armatæ apud Lacedæmonios Veneris* originem referri a Lactantio 1, 20: et eſſe de ea Epigrammata Auſonii Græca duo n. 42 et 43: aliudque Leonidæ in Anthol. 1, 38, 7. itemque aliud Angeli Politiani Epiſt. 5. p. m. 143. *De Venere armata* et *Victrice* in nummis et gemmis vid. Burm. Cupidinis mythologiam et iconologiam complexus eſt Propertius 2, 9. ubi Marulli elegans carmen addidit Brouckhuſius. Fere totum etiam c. 27. libri 1. Anthologiæ Epigrammatum Græcorum εἰς ἔρωτα huc pertinet.

nec ignobiles in officiis civilibus, ſcriptos eos, memoriæque diligentiſſime mandatos, in promtu habuerint, ut, quoties eſſet occaſio, extemporales eorum dictiones his
28 velut emblematis [x] exornarentur. Quo quidem (nec enim ejus rei judicium differre ſuſtineo) ſummam videbantur mihi infirmitatem de ſe confiteri. Nam quid hi poſſint in cauſſis, quarum varia ac nova ſemper eſt facies, proprium invenire? quomodo propoſitis ex parte diverſa [z] reſpondere? altercationibus [a] velociter occurrere? teſtem rogare? qui etiam in iis, quæ ſunt communia, et in plurimis [b] cauſſis tractantur, vulgatiſſimos ſenſus verbis, niſi
29 tanto ante præparatis, proſequi nequeant. Neceſſe eſt his, cum eadem judiciis pluribus dicunt, aut faſtidium moveant, velut frigidi et repoſiti cibi; aut pudorem [c], deprehenſa toties audientium memoria, infelix ſupellex, quæ, ſicut apud pauperes ambitioſos, pluribus et diverſis
30 officiis conteratur: cum [d] eo quidem, quod vix ullus eſt tam communis locus, qui poſſit cohærere cum cauſſa, niſi aliquo propriæ quæſtionis vinculo copulatus: [e] appareat-

[x] emblamatis G. [z] adverſa G. [a] artecationibus Jenſ. *mendoſe.* [b] pluribus G. [c] afferat *inferendum conjicit Burmannus. Durum certe referre ad* moveant. [d] Eo quidem magis, *omiſſo* cum, *conj. Regius.* Conteratur cum eodem. quid? quod *conj. Burmannus. Quid ſi* quandoquidem vix ullus? *vid. no.* [e] *Forte inſ.* ſit, *propter ſequens* appareatque. *Quid ſi legamus,* apparetque?

28. *altercationibus*] Non ſimpliciter ad rixas et contentiones pertinere hanc vocem, ſed breves modo loquentium vices deſignare, vel ex inſcriptione illa *Altercationis Hadriani, Auguſti, et Epicteti Philoſophi* apparet.

30. *cum eo quidem*] Quid ſuſpicati ſint viri docti, quid hariolati et nos ſimus, ſupra ſcriptum eſt. Si quis omnino tueri ſcripturam codicum velit, ille verba *cum eo quidem* interpretetur, *quibus quidem et hoc adjunctum incommodum eſt*, vel ſimili modo. Voces *cum eo* conditionem quandam, exceptionem, legem adjunctam notare, ad Fabri theſaurum exemplis comprobatum eſt.

30. *qui poſſit cohærere c. c.*] Hoc uſu venit forte Erucio illi, quem ridet pro Roſcio Amer. Tullius c. 29. *Quæ mihi iſte viſus eſt ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui cauſſam dicit, pertinebant.*

30. *appareatque*] Etiam hic non nihil eſt difficultatis, unde pendeat verbum *appareat*: utcunque ſatisfeceris ſententiæ, ſi cum *niſi* jungas: ſed melius omnia fluerent, ſi ita ſcripſiſſet Fabius, *vix ullus eſt tam communis locus—et quin appareat.* Mollius etiam remedium, quo una tantum litera elidatur, propoſuimus, quo admiſſo cohærebunt, *vix ullus eſt tam communis locus—apparetque, eum* locum *non tam inſertum*, quod artis eſt, ut emblema et teſſellatum, vermiculatumque opus videri poſſit; *quam* extra utcunque *applicitum* ac male hærentem; quod ex his rebus apparet, *vel quod diſſimilis* &c.

que, eum non tam insertum [f], quam applicitum; vel 31
quod dissimilis est ceteris, vel quod plerumque assumi [g]
etiam parum apte solet, non quia desideratur, sed quia paratus est: ut quidam sententiarum gratia verbosissimos locos arcessunt, cum ex locis debeat nasci sententia. Ita 32
sunt autem speciosa hæc et utilia, si oriuntur ex caussa. Ceterum quamlibet pulchra locutio, nisi ad victoriam tendit, utique supervacua, sed interim etiam contraria est. Verum hactenus evagari satis fuerit. *Legum laus* et *vitu-* 33
peratio jam majores, ac prope summis operibus suffecturas, vires desiderant [h]: quæ quidem suasoriis magis [i], an controversiis accommodata sit exercitatio, consuetudine et jure civitatium [k] differt: apud Græcos enim lator earum ad judicem vocabatur: Romanis pro concione suadere ac dissuadere moris fuit. Utroque autem modo pauca de his, et fere certa dicuntur. Nam et genera sunt tria, *sacri, publici, privati juris.* Quæ divisio ad laudem magis 34
spectat, si quis eam per gradus augeat, quod *lex*, quod *publica*, quod *ad* [l] *religionem deum comparata sit.* Ea quidem, de quibus quæri solet, communia omnibus. Aut 35
enim de jure dubitari potest ejus, *qui rogat*, ut *de P. Clodii, qui non rite creatus tribunus arguebatur:* aut de ipsius rogationis, quod est varium, *sive non trino forte nundino promulgata, sive non idoneo die, sive contra intercessiones, vel auspicia, aliudve quid, quod* [m] *legitimis obstet*, dicitur lata esse, vel ferri; sive *alicui* manentium *legum repugnare.* Sed hæc ad illas primas exercitationes non pertinent: 36
nam sunt hæ citra complexum personarum, temporum, caussarum. Reliqua eadem fere vero fictoque hujusmodi certamine tractantur. Nam vitium aut *in verbis* est, aut *in rebus.* In verbis quæritur, *An satis significent? an sit* 37
in his aliquid ambiguum? In rebus, *An lex sibi ipsa consentiat? An in præteritum* [n] *ferri debeat, an in singulos homi-*

[f] incertum G. [g] assui *conj. Burm.* [h] desideret Jens. [i] ac controversiis magis G. [k] civitatum G. Jens. [l] in G. [m] quid legitime G. [n] *Sic MSS. et editt. vett.* populum *est e conjectura Camerarii.*

35. *de P. Clodii*] Caput hoc est et summa orationis, quam pro domo sua habuit Cicero. Et ante, cum de revocando Cicerone ageretur, quæsitum est, novane lege opus esset ad eam rem, an potius jure suo rediret Tullius, qui non lege, quæ nulla fuisset, sed per vim et injuriam expulsus esset.

37. *in præteritum*] Revocavi lectionem, quam cum conjecturæ suæ cedere juberet, aliud egisse videtur doctissimus Camerarius. De eo quidem nunquam dubitatum est, an *in populum* ferri lex debeat: cum hæc demum vera et proprie ita dic-

nes? Maxime vero commune eſt quærere, *An ſit honeſta?*
38 *an utilis?* Nec ignoro, plures fieri a pleriſque partes: ſed nos *juſtum*, *pium*, *religioſum*, ceteraque his ſimilia, *honeſto* complectimur. *Juſti* tamen ſpecies non ſimpliciter excuti ſolet. Aut enim de re ipſa quæritur, ut *dignane pœna*, *vel præmio ſit?* aut de modo præmii, pœnæve, *qui* tam
39 *major*, quam *minor* culpari poteſt. Utilitas quoque interim *natura* diſcernitur, interim *tempore*. Quædam *an obtineri poſſint?* ambigi ſolet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando *totas*, aliquando *ex parte* reprehendi ſolere, cum exemplum rei utriuſque nobis claris
40 orationibus præbeatur. Nec me fallit, eas quoque leges eſſe, quæ non in perpetuum rogentur [o], ſed de honoribus aut [p] imperiis, qualis *Manilia* fuit, de qua Ciceronis oratio eſt. Sed de his nihil hoc loco præcipi poteſt. Conſtant enim propria rerum, de quibus agitur, non com-
41 muni qualitate. His fere veteres facultatem dicendi exercuerunt, aſſumpta tamen a dialecticis argumentandi ratione. Nam fictas ad imitationem fori conſiliorumque materias apud Græcos dicere, circa Demetrium Phalerea
42 inſtitutum fere conſtat. An ab ipſo id genus exercitationis ſit inventum, (ut alio quoque libro ſum confeſſus) parum comperi? ſed ne ii [q] quidem, qui hoc [r] fortiſſime affirmant, ullo ſatis idoneo auctore nituntur. Latinos vero dicendi præceptores extremis L. Craſſi temporibus cœpiſſe, Cicero auctor eſt: quorum inſignis maxime Plotius fuit.

[o] rogantur G. [p] atque G. [q] iis Jenſ. [r] hoc *om.* G.

ta lex ſit, quæ non in ſingulos, ſed in populum univerſum feratur: ſed de eo quæritur, an *in præteritum* lex ferri debeat, quæ retro valeat. Hæc ſpecies tractatur in Plinianis quibuſdam ad Trajanum epiſtolis v. g. 10. 116 et 119. Sed decepit nimirum Camerarium quod ſequitur *in ſingulos homines*, quos opponi ut alterum extremum putaret populo. Vid. no. prox.

37. *in ſingulos homines*] Cic. pro domo c. 17. pr. *Vetant leges ſacratæ, vetant XII tabulæ, leges privis hominibus irrogare, id eſt enim privilegium.* Eadem repetit de Leg. 3, 19. quæ tamen non indiſcretim capienda eſſe, tum oratio pro lege Manilia ſuadet, tum teſtamenta, arrogationeſque, curiatæque de imperio leges &c.

41. *circa Demetrium*] h. e. illius ætate. Illuſtrat hanc formulam Burmannus. Cæterum Philander et Pithœus hic reſpici putant ad librum Fabii de cauſſis corruptæ eloquentiæ: in Dialogo quidem, qui exſtat de hoc argumento, nulla hujus rei mentio eſt.

42. *Cicero auctor eſt*] De Orat. 3, 24. ex perſona Craſſi, ubi tamen Plotius non nominatur: nominatur autem ex Ciceronis ad M. Titinnium epiſtola a Sueto. De

V. Sed de ratione declamandi post paullo: interim, quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omittendum videtur id quoque, ut moneam, quantum sit collaturus ad profectum discentium rhetor, si, quemadmodum a grammaticis exigitur poetarum enarratio, ita ipse quoque historiæ, atque etiam magis orationum lectione susceptos a se discipulos instruxerit: quod nos in paucis, quorum id ætas exigebat, et parentes utile esse crediderant, servavimus. Ceterum sentientibus jam tum optima, duæ res 2
impedimento fuerunt, quod et longa consuetudo aliter docendi fecerat legem: et robusti fere juvenes, nec hunc laborem desiderantes, exemplum nostrum sequebantur. Nec ta- 3
men[s], si quid novi vel sero invenissem, præcipere in posterum puderet. Nunc vero scio id fieri apud Græcos, sed magis per adjutores: quia non videntur tempora suffectura, si legentibus singulis præire ipsi velint. Et hercle prælectio, quæ in 4
hoc adhibetur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur, etiam illa, quæ vim cujusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. At demonstrare virtutes, vel, si quando 5
ita incidat, vitia, id professionis ejus atque promissi, quo[t] se magistrum eloquentiæ pollicetur, maxime proprium est: eo quidem validius, quod non utique hunc laborem docentium postulo, ut ad gremium revocatis, cujus quis-

[s] etiam *inf.* G. [t] *Sic* G. Jens. *et plures boni libri ap. Burm.* qui *al.*

Clar. Rhetor. c. 2. et inde Hiero. ad Eusebii Chron. Ol. 173, 1.

2. *exemplum nostrum sequebantur*] Hoc est ideo scholam meam frequentabant, ut declamantem me audirent, et exemplum dicentis vel in foro vel in umbra sibi proponerent: (vid. s. 16.) robusti fere juvenes, quique suo se ingenio legere posse aliorum orationes putarent, *exemplum* Fabii *sequebantur*, non interpretandi, resolvendique aliorum orationes scientiam; et cum audiebant orantem, tum illo arbitro ac judice ipsi declamabant. Interim non puderet nostrum, prodere præceptum aliis profuturum, et si non olim, sed nunc demum in illud incidisset. Candorem in docendo suum probat, cur suo consilio ipse usus non sit, ostendit.

3. *per adjutores*] Talis fuit *Atteius Philologus, declamantium adjutor atque præceptor*, ut ab Asinio Pollione appellatur apud Sueto. de Ill. Gram. 10. ubi memoratur etiam, illum a Capitone Atteio (Patrono suo arbitror) *inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum dictum esse*. Græcorum autem sunt eodem loco atque munere ὑποδιδάσκαλοι. Sic Cicero ad Fam. 9, 18. extr. Pæto tanquam *Hypodidascalo proximam* a se *sellam cum pulvino* offert in schola, quam domi habebat, rhetorica.

5. *ad gremium revocatis*] Ad primam illam institutionem familiarem parvorum, quibus in gremio præceptoris stantibus, et formatur lingua, et manus regitur.

6 que eorum velit, libri[u] lectioni deserviant. Nam mihi cum facilius, tum etiam multo magis videtur utile, facto silentio unum aliquem (quod ipsum imperari per vices optimum est) constituere lectorem, ut protinus pronuntia-
7 tioni quoque assuescant: tum exposita caussa, in quam scripta legetur oratio (nam sic clarius, quæ dicentur, intelligi poterunt,) nihil otiosum pati, quodque in *inventione*, quodque in *elocutione* adnotandum erit: quæ in *proœmio* conciliandi judicis ratio; quæ *narrandi* lux, brevitas, fides; quod aliquando consilium, et quam occulta callidi-
8 tas: namque ea sola in hoc ars est, quæ intelligi nisi ab artifice non possit: quanta deinceps[x] in *dividendo* prudentia, quam subtilis et crebra *argumentatio*: quibus viribus inspiret, qua jucunditate permulceat: quanta in *maledictis* asperitas, in *jocis* urbanitas: ut denique dominetur in *affectibus*, atque in pectora irrumpat, animumque judicum
9 similem iis, quæ dicit, efficiat. Tum in ratione *eloquendi*, quod verbum proprium, ornatum, sublime: ubi *amplificatio* laudanda, quæ virtus ei contraria; quid specioše *translatum*; quæ *figura* verborum; quæ lenis et quadra-
10 ta, [z]sed virilis tamen *compositio*. Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando et vitiosas orationes, quas tamen plerique judiciorum pravitate mirantur, legi palam pueris, ostendique in his, quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata sint: quæ non laudantur modo a plerisque, sed (quod pejus est)
11 propter hoc ipsum, quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus, et secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quæ utcumque deflexa sunt, tamquam exquisitiora miramur: non aliter quam distortis, et quocumque modo prodigiosis corpori-

[u] *om.* G. *et potest abesse, atque intelligi* auctoris *vel* scriptoris. [x] deinde G.
[z] quadrata sed *om.* G.

7. *nihil otiosum pati*] Nihil transmittere, cujus non vim declares, cujus non usum et rationem ostendas.

8. *quibus viribus inspiret*] An ad ἐνθουσιασμὸν oratorium pertinet, qui contagione quasi quadam transit ad audientes, ut et ipsi θεόληπτοι videantur?

9. *quadrata compositio*] Forte omisit aliquis vocem, quam non intelligeret. Quadratorum lapidum commissuræ tenues et latentes: igitur *quadrata compositio lenis* eadem est, minime confragosa, in qua nihil hiet, sed apte omnia congruant.

11. *distortis—corporibus*] Elagabali cœnas et similes monstrorum amatores laudant ad h. l. viri docti. Et notæ sunt recentiorum etiam principum circa nanos deliciæ.

bus apud quoſdam majus eſt pretium, quam iis, quæ nihil ex communis habitus bonis perdiderunt: atque etiam qui 12
ſpecie capiuntur, vulſis, levatiſque, et inuſtas comas acu comentibus, et non ſuo colore nitidis, plus eſſe formæ putant, quam poſſit tribuere incorrupta natura: ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus. Nec ſolum hæc ipſe debebit docere præceptor, ſed frequenter interrogare, et judicium diſcipulorum experiri. Sic audi- 13
entibus ſecuritas aberit, nec quæ dicentur, ſuperfluent [a] aures: ſimulque ad id perducentur, quod ex hoc quæritur, ut inveniant ipſi, et intelligant. Nam QUID aliud agimus, docendo eos, quam ne ſemper docendi ſint? Hoc 14
diligentiæ genus auſim dicere plus collaturum diſcentibus, quam omnes omnium Artes, quæ juvant ſine dubio multum: ſed latiore quadam comprehenſione, per omnes quidem ſpecies rerum quotidie pene naſcentium ire qui poſſunt? Sicut de re militari quamquam ſunt tradita 15
quædam præcepta communia, magis tamen proderit ſcire, qua ducum quiſque ratione, in quali loco, tempore, ſit uſus ſapienter, aut contra. Nam in omnibus fere MINUS valent præcepta, quam experimenta. At [b] vero declama- 16
bit quidem præceptor, ut ſit exemplo ſuis auditoribus: non plus contulerint lecti Cicero ac Demoſthenes? Corrigetur [c] palam, ſi quid in declamando diſcipulus erraverit: non potentius erit emendare orationem? quin immo etiam jucundius. ALIENA enim vitia quiſque reprehendi mavult, quam ſua. Nec deerant plura, quæ dicerem: 17
ſed neminem hæc utilitas fugit: atque utinam tam non pigeat facere iſtud, quam [d] non diſplicebit. (VI.) Quod 18
ſi potuerit obtineri, non ita difficilis ſupererit quæſtio, qui

[a] *Sic* G. *et plerique MSS.* perfluent *edd. al.* præfluent *conj. Burm.* [b] *Sic* Jenſ. An *al.* [c] Corrigitur G. [d] *Quid ſi omiſſum eſt* feciſſe?

13. *ſuperfluent aures*] Hoc certe maluimus quam *perfluent*, quod editi plerique typis habent: ſine dubio autem elegantius eſt Burmanni illud *præfluent*, quod in *perfluent* ex compendio ſcribendi corruptum videri poteſt. Sed cum cauſa nulla ſit, quare *præfluent* in *ſuperfluent* mutaverit quiſquam; ſatis magna autem, cur contra fecerit: maluimus verbum, quod tantis auctoritatibus niteretur, ſervare, cum præſertim *vaſcula oris anguſti*, apud noſtrum 1, 2, 28. *ſuperfuſam* (ac proinde ſuperfluentem) *humoris copiam reſpuant*.

14. *Artes*] Sumo proprio illo et anguſtiore intellectu, quo ut τέχνη, a qua τεχνικοὶ dicuntur, de rhetoricorum præceptorum comprehenſione accipitur, ut 5, 10, 120. *Nec enim Artibus editis factum eſt* &c. et ſæpiſſime alias.

legendi sint incipientibus? Nam quidam illos minores,
12 quia facilior eorum intellectus videbatur, probaverunt:
alii floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum inge-
19 nia magis accommodatum. Ego optimos quidem, et sta-
tim, et semper, sed tamen eorum candidissimum quem-
que, et maxime expositum [e] velim, ut Livium a pueris
magis, quam Sallustium: et hic historiæ major [f] est auc-
13 tor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit.
20 Cicero, ut mihi quidem videtur, et jucundus incipienti-
bus quoque, et apertus est satis, nec prodesse tantum, sed
etiam amari potest: tum (quemadmodum Livius præci-
14 21 pit) ut quisque erit Ciceroni simillimus. Duo autem ge-
nera maxime cavenda pueris puto: Unum, ne quis eos [g]
antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonis-
que, et aliorum similium lectione durescere velit: fient
enim horridi atque jejuni: nam neque vim eorum adhuc
15 intellectu consequentur: et elocutione, quæ tum [h] sine
dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, con-
tenti, quod est pessimum, similes sibi magnis viris vide-
22 buntur. Alterum, quod huic diversum est, ne recentis [i]
16 hujus lasciviæ flosculis capti, voluptate quadam parva de-
liniantur [k], ut prædulce illud genus, et puerilibus ingeniis
23 hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem ju-
diciis, jamque extra periculum positis, suaserim et antiquos
legere, ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis,
17 detersо rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius
enitescet; et novos, quibus et ipsis multa virtus adest.
18 24 Nec enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi

[e] compositum Jens. [f] *Sic MSS. pluret et edd. ap. Burm.* majoris *al.*
[g] *om.* G. [h] tamen G. [i] recentibus G. [k] declinantur G. *male.*

19. *et hic historiæ major*] Conjunctio *et*, ut alias, vim habet τῆς *quamquam*. Deinde nihil dubitavi revocare quasi postliminio lectionem optimorum librorum. *Majoris*, quod cum *historiæ* jungebant necessario, tenebras offudit viris doctis, cum Liviana historia haud dubie major ampliorque fuerit Sallustiana. Nec dispelluntur istæ tenebræ observatione, quantumvis vera, de *hic* pronomine non ad proximum, sed ad superius relato: de Livio enim nullo modo dicere potuit Fabius, si sibi intra paucos versus constare volumus virum sapientem, *ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit*: sed de Sallustio hoc pronunciavit scilicet. Atqui Sallustius non *majoris* ille quidem *historiæ*, sed *major auctor* est.

Hic est, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus Romana primus in historia,

quod vere de ætatis illius judiciis Martialem 14, 191. retulisse constat.

INSTITUTO DE ESTUDIOS RIOJANOS
BIBLIOTECA

mutavimus[l] genus, et ultra nobis, quam oportebat, indulsimus: ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo licebit eligere: sed curandum erit, ne iis, quibus permixta sunt, inquinentur[m]. Quos- 25
dam vero etiam, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse, quidni libenter non concesserim modo, verum etiam contenderim? Sed hi qui sint? non cujusque est pronuntiare. Tutius circa priores[n] vel erratur: 26
ideoque hanc novorum distuli lectionem, ne imitatio judicium antecederet.

VI. (VII.) Fuit etiam in hoc diversum præcipientium propositum, quod eorum quidam materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere, latius dicendo prosequebantur: nec solum probationibus implebant, sed etiam affectibus. Alii cum primas modo lineas 2
duxissent, post declamationes, quod[o] omisisset quisque tractabant; quosdam vero locos non minore cura, quam cum ad dicendum ipsi surgerent, excolebant. Utile utrumque: et ideo neutrum ab altero separo: sed si facere tantum alterum necesse sit, plus proderit demonstrasse rectam protinus viam, quam revocare ab errore jam lapsos. Pri- 3
mum, quia emendationem auribus modo accipiunt, divisionem vero ad cogitationem etiam et stilum perferunt: deinde, quod libentius præcipientem audiunt, quam reprehendentem. Si qui vero paullo sunt vivaciores, in his præsertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, et taciti repugnant. Nec ideo tamen minus vitia aperte coar- 4
guenda sunt. Habenda enim ratio ceterorum, qui recta esse, quæ præceptor non emendaverit, credent[p]. Utraque autem ratio miscenda est, et ita tractanda, ut ipsæ res postulabunt. Namque incipientibus danda erit velut præfor- 5
mata materia secundum cujusque vires. At cum satis

[l] mutuavimus G. [m] *Quid si* inquinemur? *Neque enim* electa *videntur* inquinari, *sed nos, h. e. nostra oratio.* [n] imitatio est *inf.* G. *et alii MSS. apud Burm.* [o] quid omisisset prius Jens. quod om. quisque *conj. Regius.* [p] crederent G. Jens.

26. *circa priores vel erratur*] Verba *imitatio est* intrusisse aliquis videtur, qui vim convinctionis *vel* non intelligens, aliquid deesse ex ipsius præsentia suspicaretur, cum ea incrementi quandam notionem habeat: etiam si error evitari non possit, tutius tamen erratur etiam circa antiquos, quam circa recentes.

2. *quod omisisset quisque*] Nihil mutandum. Præceptores tractabant post declamationes auditorum suorum, *quid* in sua *quisque* declamatione *omisisset*, supplebantque ideo, quæ deesse viderentur.

compoſuiſſe ſe ad exemplum videbuntur, brevia quædam demonſtranda veſtigia: quæ perſecuti [q] jam [r] ſuis viribus
6 ſine adminiculo progredi poſſint. Nonnumquam credi ſibi ipſos [s] oportebit: ne mala conſuetudine ſemper alienum laborem ſequendi, nihil per ſe conari et quærere ſciant. Quod ſi ſatis prudenter dicenda viderint, jam prope conſummata fuerit præcipientis opera: ſi quid erraverint
7 adhuc, erunt ad ducem reducendi. Cui rei ſimile quiddam facientes AVES cernimus, quæ teneris infirmiſque fœtibus cibos ore ſuo collatos partiuntur: at cum viſi ſunt adulti, paullum egredi nidis, et circumvolare ſedem illam præcedentes ipſæ docent: tum expertas vires libero cœlo, ſuæque ipſorum fiduciæ permittunt.

VII. (VIII.) Illud ex conſuetudine mutandum prorſus exiſtimo in his, de quibus nunc differimus, ætatibus, ne omnia, quæ ſcripſerint, ediſcant, et certa, ut moris eſt, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt, atque ita demum ſtudere liberos ſuos, ſi quam frequentiſſime declamaverint, credunt; cum profectus præcipue dili-
2 gentia conſtet. Nam ut ſcribere pueros, plurimumque eſſe in hoc opere, plane velim: ſic ediſcere [t] electos ex orationibus vel hiſtoriis, aliove quo genere dignorum ea
3 cura voluminum, locos, multo magis ſuadeam. Nam et exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quam ſua: et qui erunt in difficiliore hujus generis labore verſati, ſine moleſtia, quæ ipſi compoſuerunt, jam familiarius animo ſuo affigent: et aſſueſcent optimis, ſemperque habebunt intra ſe, quod imitentur: etiam non ſentientes, formam orationis illam, quam mente penitus acceperint,
4 expriment. Abundabunt autem copia verborum optimorum, et compoſitione, ac figuris jam non quæſitis, ſed ſponte, et ex repoſito velut theſauro ſe offerentibus. Accedit his et jucunda in ſermone bene [u] a quoque dictorum relatio, et in cauſſis utilis. Nam et plus auctoritatis afferunt ea, quæ non præſentis gratia litis ſunt comparata, et

[q] profecuti G. Jenſ. [r] cum G. [s] eos Jenſ. [t] diſcere G. Jenſ. [u] idonea quoque G. Jenſ.

2. *multo magis ſuadeam*] Et ego hic ſub religioſi teſtimonii fide confirmo, tanto felicius progreſſos eſſe in ſcribendi dicendique facultate adoleſcentes fidei meæ commiſſos, quo alacrius mihi in hac parte Quinctilianeæ doctrinæ, ediſcendis recitandiſque quam plurimis Tullii præſertim locis, obſequerentur.

laudem [x] ſæpe majorem, quam ſi noſtra ſint, conciliant. Aliquando tamen permittendum, quæ ipſi ſcripſerint, [z] di- 5
cere, ut laboris ſui fructum etiam ex illa, quæ maxime petitur, laude, plurimum capiant. Verum id quoque tum fieri oportebit, cum aliquid commodius elimaverint: ut eo velut præmio ſtudii ſui donentur, ac ſe meruiſſe, ut dicerent, gaudeant.

VIII. (IX.) Virtus præceptoris haberi ſolet, nec immerito, diligenter in iis, quos erudiendos ſuſceperit, notare diſcrimina ingeniorum, et quo quemque natura maxime ferat, ſcire. Nam eſt in hoc incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum pene quam corporum formæ. Quod intelligi etiam ex ipſis oratoribus [a] poteſt, 2
qui tantum inter ſe diſtant genere dicendi, ut nemo ſit alteri ſimilis: quamvis plurimi ſe ad eorum, quos probabant, imitationem compoſuerint. Utile deinde pleriſque 3
viſum eſt ita quemque inſtituere, ut propria naturæ bona doctrina foverent, et in id potiſſimum ingenia, quo tenderent, adjuvarentur: UT ſi quis palæſtræ peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnaſium venerit, expertus eorum omni modo corpus animumque, diſcernat, cui quiſque certamini ſit præparandus: ita præceptorem [b] elo- 4
quentiæ, cum ſagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium preſſo limatoque genere dicendi, cujus acri, gravi, dulci, aſpero, nitido, urbano, maxime gaudeat; ita ſe commodaturum ſingulis, ut in eo, quo quiſque eminet, provehatur [c]: quod et adjuta cura natura magis evaleſcat [d]; et qui [e] in 5
diverſa ducatur, nec in iis, quibus minus aptus eſt, ſatis poſſit efficere: et [f] ea, in quæ natus videtur, deſerendo faciat infirmiora. Quod mihi (libera enim, vel contra 6
receptas perſuaſiones rationem ſequenti, ſententia eſt,) in parte verum videtur. Nam proprietates ingeniorum diſpicere prorſus neceſſarium eſt. In his quoque certum ſtu- 7
diorum facere [ff] delectum nemo diſſuaſerit. Namque erit alius hiſtoriæ magis idoneus, alius compoſitus ad carmen, alius utilis ſtudio juris, ut nonnulli rus fortaſſe mittendi. Sic diſcernet hæc dicendi magiſter, quo modo palæſtricus ille curſorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudve quid ex iis, quæ ſunt ſacrorum certaminum. Verum ei, 8

[x] gratiam G. Jenſ. *quod fere prætulerim.* [z] ſcripſerunt G. [a] orationibus—quæ G. [b] præceptor G. [c] pervehatur. [d] valeſcat G. [e] *Sic Colin. et Vaſcoſ.* ſi *reliqui, quod nec damno. Sed* qui *planius et Fabio dignius videbatur.* [f] de *inf.* Jenſ. in *inf.* G. [ff] agere *Voſſianus ſecundus ap. Burm. in Add. qui adjicit, juvari hac lectione Vallam Eleg.* 5, 60.

qui foro deſtinabitur, non in unam partem aliquam, ſed in
5 omnia, quæ ſunt ejus operis, etiam ſi qua difficiliora diſcenti videbuntur, elaborandum eſt. Nam et omnino ſu-
9 pervacua erat doctrina, ſi natura ſufficeret. An ſi quis ingenio corruptus ac tumidus, ut plerique ſunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur? aridum atque jejunum non alemus, et quaſi veſtiemus? Nam ſi quædam detrahere ne-
10 ceſſarium eſt, cur non ſit adjicere conceſſum? Neque ego contra naturam pugno. Non enim deterendum [g] id bonum, ſi quod ingenitum eſt, exiſtimo, ſed augendum, ad-
11 dendumque quod ceſſat. An vero [h] clariſſimus ille præceptor Iſocrates, quem non magis libri bene dixiſſe, quam diſcipuli bene docuiſſe teſtantur, cum de Ephoro atque Theopompo ſic judicaret, *ut alteri frenis, alteri calcaribus opus eſſe* diceret; aut in illo lentiore tarditatem, aut in illo pene præcipiti concitationem adjuvandam docendo exiſtimavit? cum alterum alterius natura miſcendum arbitra-
12 retur. Imbecillis tamen ingeniis ſane ſic obſequendum ſit, ut tantum in id, quo vocat natura, ducantur. Ita enim, quod ſolum poſſunt, melius efficient. Si vero liberalior materia [i] contigerit [k], et in qua merito ad ſpem ora-

[g] deferendum G. Jenſ. [h] non G. *et al. ap. Burm. male.* [i] *Sic* G. Jenſ. *et optimi quique:* natura *videtur eſſe ex conjectura Regii.* [k] contingerit G.

9. *ingenio corruptus*] Luxuriem illam ſignat juvenilium ingeniorum, qua facile vel imagines concipiunt juſto maiores, vel ſimilitudines ſectantur nimium diſſimiles, vel alia orationis meteora captant. Cum igitur modum excedit τὸ εὐφανταστον τὸ μεγάφωνον, et virtutes his ſimiles, *corruptum ingenium, tumor, frigus*, accuſantur, vitia, quæ in adoleſcentibus et ingenii magni ſigna ſunt, et non difficulter emendantur: cum difficilius ſit oppoſita his vitia, *ſterilitatem*, et *aridam, jejunamque inopiam* alere. Add. 2, 10, 12.

11. *Iſocrates*] Narrat etiam Cicero de Orat. 2, 9. Cæterum repudiavimus negationem, quam ab initio hujus periodi quidam ponunt. Neque enim, quid fecerit Iſocrates, docet Fabius, ſed quid non fecerit. Non ſecutus eſt ingenia diſcipulorum, ut frenis tardum retineret, aut calcaribus incitaret currentem; ſed contra ivit, et contraria remedia vitiis contrariis adhibuit.

12. *materia contigerit*] Nolui fraudare Fabium lectione, quam manu ſcripti, credo, omnes agnoſcunt, quamque expungendam minime putaſſet Regius, ſi recordatus eſſet, Ciceronem, Livium et optimos quoſque auctores *materiem* de *ingenio* hominis ſive *natura* adhibere, in quantum vel formando perficitur, vel occaſionem præbere alii rei poteſt. Præter ea quæ ad Fabrum adnotata ſunt, notabilis præſertim eſt locus Cic. in Verr. 5, 68. *Fac enim fuiſſe in iſto C. Lælii, M. Catonis materiem atque indolem:* ubi

toris ſimus aggreſſi [l], nulla dicendi [m] virtus omittenda eſt. Nam licet ſit aliquam in partem pronior [n], ut neceſſe eſt, 13
ceteris tamen non repugnabit, atque ea cura [o] paria faciet iis, in quibus eminebat: ſicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non ſi docendum pancratiaſten ſuſceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, ſed omnia, quæ ſunt ejus certaminis. Erit qui ex his aliqua non poſſit? In id maxime quod poterit incumbet. Nam ſunt 14
hæc duo vitanda prorſus: unum, ne tentes quod effici non poſſit: alterum, ne ab eo, quod quis optime facit, in aliud, cui minus eſt idoneus, transferas. At ſi fuerit qui docebitur, ille, quem adoleſcentes ſenem vidimus, Nicoſtratus, omnibus in eo docendi partibus ſimiliter utetur: efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum [p] utroque certamine iiſdem diebus coronabatur) invictum. Et quanto id magis oratoris futuri magiſtro 15
providendum erit? Non enim ſatis eſt dicere preſſe tantum, aut ſubtiliter, aut aſpere: non magis, quam phonaſco acutis tantum, aut mediis, aut gravibus ſonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam SICUT cithara, ita oratio perfecta non eſt, niſi ab imo ad ſummum omnibus intenta nervis conſentiat.

IX. (X.) Plura de officiis docentium locutus, diſcipulos id unum interim moneo: ut præceptores ſuos non minus,

[l] accenſi *vel* ingreſſi *conj. Francii*: arrecti *conj. Burm.* [m] diſcendi G. Jenſ. [n] pravior G. [o] curam G. [p] *vid. leg.* quo.

arcent viri docti audaculam Lambini manum, qua *naturam* ſubſtitutum ibat.

13. *nexus*] Proprium palæſtræ verbum. Sen. de benef. 7, 1. *Magnus luctator eſt, non qui omnes numeros nexuſque perdidicit* &c. Tali *nexu* ab Hercule *eliſa Leonis Ora Cleonæi* apud Sil. 3, 33. ubi vid. Drakenb. Idem eſt *nodus* ille *Herculeus*, quo idem Hercules apud Virgilium Æn. 8, 259. *Cacum corripit in nodum complexus*. Vid. Cerda. Res a Græcis, qui ἅμμα ita ſumunt. V. G. Theocr. 22, 66. ubi ἄμματα abſurde interpres vertit, quaſi eſſent ὅμματα. Scite nequam illa Palæſtra in Lucio Luciani p. 83. πρῶτον δὲ κατὰ λόγον ὡς ἄμμα σφίγγε. Add. Burm. ad noſtrum 2, 12. p. 168.

14. *Nicoſtratus*] De hoc vide, quod Burmannus jam præcepit, Salmaſianas obſervationes ad Chron. Hieron. in Schurtzfleiſchii junioris notitia Bibl. Vinar. p. 67. ſq.

14. *luctando pugnandoque*] Παγκρατίῳ καὶ πάλῃ, ut loquitur Pauſa. El. 1. p. 170, 10. ed. Wechel. Quod ſequitur, *quorum utroque certamine*, fateor, poſſe forte σοφὸν φάρμακον excuſandæ ellipſi excogitari. Sed videbatur mihi facilitati et candori Fabiano magis convenire *quo*. Add. 2, 12, 2.

quam ipſa ſtudia ament: et parentes eſſe non quidem cor-
2 porum, ſed mentium credant. Multum hæc pietas confert ſtudio: nam ita et libenter audient, et dictis credent, et eſſe ſimiles concupiſcent: in ipſos denique cœtus ſcholarum [q] læti et alacres convenient: emendati non iraſcentur, laudati gaudebunt: ut ſint cariſſimi, ſtudio merebun-
3 tur. Nam ut illorum officium eſt docere, ſic horum præbere ſe dociles: alioqui neutrum ſine altero [r] ſufficiet. Et
4 SICUT hominis ortus ex utroque gignentium confertur, et fruſtra ſparſeris ſemina, niſi illa præmollitus foverit ſulcus: ita eloquentia coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis accipientiſque concordia.

X. (XI.) In his primis operibus, quæ non ipſa parva ſunt, ſed majorum quaſi membra atque partes, bene inſtituto, ac ſatis exercitato, jam fere tempus appetet aggrediendi ſuaſorias judicialeſque materias: quarum antequam
5 viam ingredior [s], pauca mihi de ipſa declamandi ratione dicenda ſunt: quæ quidem, ut ex omnibus noviſſime in-
2 venta, ita multo eſt [t] utiliſſima. Nam et cuncta illa, de quibus diximus [u], in ſe fere continet, et veritati proximam imaginem reddit: ideoque ita eſt celebrata, ut pleriſque videretur ad formandam eloquentiam vel ſola ſufficere. Neque enim virtus ulla perpetuæ duntaxat orationis reperiri poteſt, quæ non ſit cum hac dicendi meditatione com-
3 munis. Eo quidem res iſta [x] culpa docentium recidit, ut inter præcipuas, quæ corrumperent [z] eloquentiam, cauſſas, licentia atque inſcitia declamantium fuerit. Sed eo, quod
4 natura bonum eſt, bene uti licet. Sint ergo et ipſæ materiæ, quæ fingentur, quam ſimillimæ veritati: et declamatio, in quantum maxime poteſt, imitetur eas actiones,
5 in quarum exercitationem reperta eſt. Nam *magos*, et *peſtilentiam*, et *reſponſa*, et *ſæviores tragicis novercas*, alia-

[q] ſodalium *MS. Bodl. quod rectius putat Burm.* [r] alio G. [s] ingrediar G. [t] etiam G. [u] differimus G. [x] ipſa G. [z] corrumpent G. *nempe tranſverſa, quæ crus τῆς p ſecabat, excidit.*

X, 2. *imaginem reddit*] Tranſlatio eſt a ſpeculo: qua utuntur etiam noſtri, cum pugnam ludicram et *meditationem campeſtrem* vocant *ein Spiegel-fechten.*

5. *magos*] Tale argumentum eſt v. g. Quinctil. decl. 10. *Sepulcrum incantatum*: it. apud Libanium declamat. 43. *Magus peſtilentiam compeſcere pollicitus* &c.

5. *et peſtilentiam et reſponſa*] Vid. Interpretes, et in his præſertim Burmannus ad illud Petro. 1. p. 6. *reſponſa in peſtilentia data.* Frequens ſane declamationis argumentum: V. G. Quinctil. decl. 326. 384. Calp. Flacci decl. 19 et 43. Quod permovit etiam mag-

que magis adhuc fabulosa frustra inter *sponsiones* et *interdicta* quæremus. Quid ergo? Numquam hæc supra fidem, et poetica (ut vere dixerim) themata, juvenibus pertractare permittemus, ut[a] exspatientur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant? Erat[b] optimum: sed certe 6
sint grandia et tumida, non stulta etiam, et acrioribus oculis intuenti ridicula: ut si jam cedendum est, impleat se declamator aliquando, dum sciat, UT quadrupedes, cum viridi pabulo distentæ sunt, sanguinis detractione curantur, et sic ad cibos viribus conservandis idoneos redeunt[c], ita sibi quoque tenuandas adipes, et quidquid humoris corrupti contraxerit, emittendum, si esse sanus ac robustius volet. Alioqui tumor ille inanis primo cujusque veri ope- 7
ris conatu deprehendetur. Totum autem declamandi opus qui diversum omnino a forensibus[d] causis existimant, ii profecto ne rationem quidem, qua ista exercitatio inventa sit, pervident. Nam si foro non præparat: aut scenicæ 8
ostentationi, aut furiosæ vociferationi simillimum est.

[a] et spatientur, ut *omisso* G. [b] Erit G. Jens. *male.* [c] reddunt G. *Forte fuit etiam præcedens verbum* curant. [d] civilibus G. Jens.

num virum, ut suspicaretur hic quoque ita legendum. Sed optime idem, et docta illa modestia usus, nihil mutavit. Nec enim profecto negare quis ausit, responsum etiam de alia re quam de pestilentia, petitum ab oraculo, declamandi fuisse materiem. Ut enim illa in primo Iliadis pestilentia ob Chryseidem immissa exemplum fuisse videtur et πρωτότυπον argumentorum similium: ita Iphigenia illa in Aulide, (ab oraculo ad navigationem Græcis impetrandam immolari jussa) declamatoribus materiam præbuit: de Libanio quidem et Alexandro Sylvano illud observat in Argumento Iphigeniæ Euripideæ Barnesius.

5. *sæviores tragicis novercas*] Etiam hujus argumenti plura exempla præbent Quinctiliani et Senecæ declamationes.

5. *sponsiones et interdicta*] Seriarum maxime actionum nomina, et in causis quotidianis usitata. *Sponsionem* enim sive *sacramentum* interponunt litigantes, (vide formulas post Brissonium apud Ill. Heinecc. Antiquit. 4, 6, 25.) *interdicit*, qui possessionem rei controversæ petit: *interdictum dat* prætor, (vid. laudatus Heinecc. 4, 15, 2. sqq.) In his igitur exerceri, qui ad forum aspirant, profecto melius est, quam in monstrosis illis materiis.

5. *in corpus eant*] *Corpus faciant*, copiam sibi rerum et verborum parent, ne exilis et jejuna sit eloquentia. Illustrat formulam hanc Burmannus, quod ad Fabrum jam notavimus.

6. *Erat optimum*] His verbis negat Fabius propositam quæstionem: *erat* sane *optimum*, inquit, *nunquam ista permittere*. Deinde vero, cum primum hoc impetrari non possit, *cum cedendum sit*, ut statim subjungit, devenit ad alterum: et in hoc etiam gradus quasi quosdam facit: *sint grandia*; hoc permitti potest: *sint* etiam *tumida*; quatenus impediri non potest: *non* autem *sint stulta* &c.

Quid enim attinet judicem præparare, qui nullus eſt? narrare, quod omnes ſciant falſum? probationes adhibere cauſſæ, de qua nemo ſit pronuntiaturus? Et hæc quidem otioſa tantum: affici vero, et ira vel luctu permovere[e], cujus eſt ludibrii, niſi quibuſdam pugnæ ſimulacris ad ve-
9 rum diſcrimen aciemque juſtam conſueſcimus? Nihil ergo inter forenſe genus dicendi, atque hoc declamatorium intererit? Si profectus gratia dicimus, nihil. Utinamque adjici ad conſuetudinem poſſet, ut nominibus uteremur, et perplexæ magis, et longioris aliquando actus controverſiæ fingerentur, et verba in uſu quotidiano poſita minus timeremus, et jocos inſerere moris eſſet: quæ nos, quamlibet per alia in ſcholis exercitati ſumus, tirones in
10 foro inveniunt[f]. Si vero in oſtentationem comparetur declamatio, ſane paullulum aliquid inclinare[g] ad voluptа-
11 tem audientium debemus. Nam et iis actionibus, quæ in aliqua ſine dubio veritate verſantur, ſed ſunt ad popularem aptatæ delectationem, quales legimus panegyricos, totumque hoc demonſtrativum[h] genus, permittitur adhibere plus cultus, omnemque artem (quæ latere plerumque in judiciis debet) non confiteri modo, ſed oſtentare etiam,
12 hominibus in hoc advocatis. Quare declamatio, quoniam eſt judiciorum conſiliorumque imago, ſimilis eſſe debet veritati: quoniam autem aliquid in ſe habet ἐπιδεικτικὸν, non-
13 nihil ſibi nitoris aſſumere. Quod faciunt actores comici: qui nec[i] ita prorſus, ut nos vulgo loquimur, pronuntiant, quod eſſet ſine arte: nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio: ſed morem communis hujus
14 ſermonis decore quodam ſcenico exornant. Sic quoque aliqua nos incommoda ex his, quas finxerimus, materiis

[e] promoveri G. permoveri *verum puto.* [f] invenimur G. [g] *ſic* G. *et al. ap. Burm.* inclamare *rel.* [h] demonſtrationum G. *et al.* [i] non G.

9. *inveniunt*] Ita poſitum eſt ut *deprehendi* 1, 8, 21. et aliis locis.

10. *inclinare*] Fateor, me alterum illud *inclamare* non adſequi: *inclinare* autem commode dicitur, qui de via regia, de alto tramite, de recto curſu aliquid remittit.

14. *Sic quoque*] h. e. etiam adhibita cautione, quam modo propoſuit, tamen evitari non poterit, quin aliquid incommodi ex declamatoria illa ſchola et fictis argumentis nos conſequatur. Cum enim ſumma orationis omnis dos ſit, *ut propria ſit* hominibus, temporibus, locis, nec alium in locum, hominem, tempus, transferri temere poſſit: difficile autem ſit hæc omnia fingere vel conſtanter ſervare: multum ſane vel non incommode ficta oratio infra verum argumentum ſubſidat neceſſe eſt.

conſequentur, in[l] eo præcipue, quod multa in his relinquuntur incerta, quæ ſumimus ut videntur[m], *ætates, facultates, liberi*[n], *parentes, urbium ipſarum vires, jura, mores*, aliaque[o] his ſimilia. Quin aliquando etiam argumenta ex ipſis poſitionum vitiis ducimus. Sed hæc ſuo quæque loco. Quamvis enim omne propoſitum operis a nobis 15
deſtinati eo ſpectet, ut orator inſtituatur: tamen, ne quid ſtudioſi requirant, etiam ſi quid erit, quod ad ſcholas pertineat proprie, in tranſitu non omittemus.

XI. (XII.) Jam hinc ergo nobis inchoanda eſt ea pars artis, ex qua capere initium ſolent, qui priora omiſerunt: quamquam video quoſdam in ipſo ſtatim limine obſtaturos mihi, qui nihil egere hujuſmodi præceptis eloquentiam putent: ſed natura ſua, et vulgari modo, et ſcholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam noſtram, exemplo magni quoque nominis profeſſorum, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus quid eſſet σχῆμα et νόημα, neſcire ſe quidem, ſed, ſi ad rem pertineret, eſſe in ſua declamatione reſpondit. Alius percontanti, *Theodoreus, an* 2
Apollodoreus eſſet? Ego, inquit, *parmularius ſum*. Nec ſane potuit urbanius ex confeſſione inſcitiæ ſuæ elabi. Porro hi, quia et beneficio ingenii præſtantes ſunt habiti, et multa etiam memoria digna exclamaverunt: plurimos habent ſimiles negligentiæ ſuæ, pauciſſimos naturæ. Igitur impetu dicere ſe, et viribus uti gloriantur. Nec enim 3
opus eſſe probatione aut diſpoſitione in rebus fictis: ſed (cujus rei gratia plenum ſit auditorium) ſententiis grandibus, quarum optima quæque a periculo petatur. Quin 4

[l] *om.* G. [m] videntes G. [n] liberos G. [o] alia G. Jenſ.

14. *poſitionum vitiis*] Ex his, quæ contra, quam probabile aut πιθανὸν eſt, in argumento vel hypotheſi adſumta ſunt.

1. *obſtaturos*] Amaſſe hanc formam, præ altera *obſtiturus*, veteres, ex Voſſio de Anal. 3, 20. et aliunde obſervat ad h. l. Burmannus.

2. *Theodoreus — parmularius*] Simpliciſſima hujus loci interpretatio hæc nobis videtur. Theodorus, Apollodoruſque noti rhetores, Fabio etiam ſæpe appellati, et ſectarum principes. *Parmularium* eum eſſe, qui faveat in theatro atque arena gladiatoribus, qui ab armatura *Thraces* dicerentur, ab viris doctis ad Suetonii Domit. c. 10. obſervatum. Studia theatri et circi inſana fere fuiſſe, cum ex his quæ viri docti ad l. c. Suetonii, tum ex legibus aliquot conſtat, favore illo factionum ad rixas, quin vulnera ac cædes, nonnunquam progrediente. Hic noſter igitur, in arena quidem et circo cui faveat ſe habere fatetur; de factionibus et ſtudiis rhetorum, parum ſe laborare.

3. *a periculo petatur*] Optimæ ſententiæ illæ videntur his hominibus, in quibus propter magnitudinem et ſublimitatem metus eſt ne

etiam in cogitando nulla ratione adhibita, aut tectum[p] intuentes, magnum aliquid, quod ultro se offerat, [pluribus [q] sæpe diebus] exspectantes[r], aut murmure incerto, velut classico, instincti, concitatissimum corporis motum non enuntiandis, sed quærendis verbis accommodant. 5 Nonnulli certa sibi initia, priusquam sensum invenerint, destinant, quibus aliquid diserti subjungendum sit: eaque, diu secum ipsi clareque modulati[s], desperata connectendi facultate, deserunt: et ad alia deinceps, atque inde alia, 6 non minus communia atque nota, devertunt. Qui pluri-

[p] rectum G. Jens. [q] *inclusa om.* G. [r] expectant G. [s] *sic* G. meditati *rel.*

ausis magnis excidant, et in frigidum aut tumidum genus incurrant. A Græcis petita videtur loquendi ratio. Audiamus Longinum. De visionibus quidem c. 15, 12. ὅμως ἑαυτὸν ὁ Εὐριπίδης κακείνοις ὑπὸ φιλοτιμίας τοῖς κινδύνοις προσιδάζει, ubi Tollius observat ab Aristophane eundem Euripidem dici παρακεκινδυνευμένον. Idem Longinus de audacissima figura Hyperbato c. 22, 7. agens, ὁ Δημοσθένης, inquit, ἐς τὸν κίνδυνον τῶν μακρῶν ὑπερβατῶν τὰς ἀκοὰς συνεπισπάμενος—εἰς φθόνον ἐμβαλὼν τὸν ἀπρατὸν, ὡς ἐπὶ παντελεῖ τοῦ λόγου διαπτώσει, καὶ συναποκινδυνεύειν ὑπ' ἀγωνίας τῷ λέγοντι συναναγκάσας—αὐτῷ τῷ κατὰ τὰς ὑπερβάσεις παραβόλῳ, ᾗ ἀπροσφαλεῖ μᾶλλον ἐπιπλήττει. Et c. 32, 3. εἰ δεῖ παρακινδυνευτικώτερον λέξαι, et p. p. vocat τὰ τολμηρὰ, τὰ παράβολα· et c. 33. illa quæstio tractatur, πότερόν ποτε κρεῖττον, ἐν ποιήμασι καὶ λόγοις, μέρεθος ἐν ἑνὶ διημαρτημένον, ἢ τὸ σύμμετρον μὲν ἐν τοῖς παπρδώμασιν, ὑγιὲς δὲ πάντῃ καὶ ἀδιάπτωτον; et p. p. τὰς μὲν ταπεινὰς καὶ μέσας φύσεις, διὰ τὸ μηδαμοῦ παρακινδυνεύειν, μηδὲ ἐφίεσθαι τῶν ἄκρων, ἀναμαρτήτους ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἀσφαλεστέρας διαμένειν· τὰ δὲ μεγάλα ἐπισφαλῆ δι' αὐτὸ γίνεσθαι τὸ μέγεθος. Quæ quidem ultima plane cum hac audacium declamatorum jactatione conveniunt. *Periculi* hoc intellectu iterum mentionem facit Fabius 2, 12, 5. *periculum minus vitat, et conatur perdite.*

4. *tectum intuentes*] Contrahunt quidam hoc in schola vitium, ut dum æstuant, aut laborant vel in respondendo vel in perpetua oratione, oculis ad cœlum vel ad lacunar sublatis et ibi fixis, inde videantur devocare velle, quod dicant: idem deinde vitium in suggesta ecclesiarum adferunt, et nonnunquam sanctitatis et elatæ ad Deum mentis obtentu tegere student. Nec tamen damnaverim alterum *rectum intuentes*, hoc est rigidis oculis pro se vel terram vel parietem quasi cogitabundi adspicientes.

4. [*pluribus sæpe diebus*] Undecunque hæc se intulerint, furcillis videntur ejicienda: certe figenda uncis, et signanda putavimus: et, ut *intercolina* et intoleranda, jam resecari voluit, Burmanno indice, Gallæus. Cæterum quales graphice hic describit oratores, extemporales et fanaticos, nemo facile est, qui non viderit. Talis fuit *Tessius* ille *Penarius*, cui *mentum in dicendo intorquenti*, Cæsar apud Cic. de Orat. 2, 66. *tum ut diceret si quid vellet, si nucem fregisset.*

5. *modulati*] Multum debemus Gothano codici, qui abolitam, credo, alias lectionem eamque meo quidem judicio perquam elegantem servaverit. *Modulantur*, cantillant, et instar næniæ cujusdam repetunt initia illa, quibus parem exitum invenire inter hæc quærunt.

mum videntur habere rationis, non in cauſſas tamen[t] laborem ſuum, ſed in locos intendunt: atque in his non corpori proſpiciunt, ſed abrupta quædam, ut forte ad manum venere, jaculantur. Unde fit, ut diſſoluta et ex di- 7
verſis congeſta oratio cohærere non poſſit, ſimiliſque commentariis puerorum ſit, in quos ea, quæ aliis declamantibus laudata ſunt, regerunt[u]. Magnas tamen ſententias, et res bonas (ita enim gloriari ſolent) elidunt[x]. Nam et barbari et ſervi: et ſi hoc ſat eſt, nulla eſt ratio dicendi.

XII. (XIII.) Ne hoc quidem negaverim, ſequi plerumque hanc opinionem, ut fortius dicere videantur indocti.

t tamen G. tantum *al.* u digerunt G. *et ita conjecerat Burmannus:* congerunt *Ald.* redigunt *marg. Steph. et Baſil.* x eligunt, non ut barbari et ſervi: ſed *&c. conj. Burmannus.*

6. *tamen laborem*] Prætuli *tamen*: hoc enim vult Fabius, etiam qui cæteris videantur ſapientiores, eos *tamen* ipſos quoque *non in cauſſas*, quo oportebat, ſed *in locos intendere laborem*.

7. *regerunt*] Jam probabilis erat Burmanni conjectura. Nunc cum firmat illam membrana optima, jam repoſiturus eram, niſi manum injeciſſet Voſſ. de vit. ſerm. 1, 18. qui libros laudat optimos, et ad locum alterum Fabii provocat 3, 6, 58. ubi non ita facilis eſt emendatio. Sapienter itaque, ut ſolet, Burmannus eruditam conjecturam propoſuit, manum a mutatione abſtinuit. *Congerunt* et *redigunt* a conjectura eſſe arbitror hominum eruditorum, qui et ipſi *regerunt* illud concoquere non poſſent. Vid. ad 3, 6, 58.

7. *elidunt*] Sanum non modo, ſed elegantem etiam puto locum. *Elidere* eſt vi quadam extrudere, ut lædas vel illud quod extrudas, vel unde extrudas. Plura exempla dabit index in Plinium Harduini. Huc etiam pertinet Horat. Ep. 1, 15, 6. ubi *ſulfura ceſſantem nervis elidere morbum* dicuntur. Inprimis vero huc facere puto Columellam, qui hoc verbo utitur 6, 23, 1. et 7, 9, 9. de *conceptu* animalium gravidorum, cum is per vim quandam externam ante legitimum tempus expellitur. Hi igitur homines de quibus adhuc egit Fabius, *magnas* illi quidem *ſententias, et res bonas* (ῥήματα, argumenta, verba etiam) *elidunt*, extundunt ſibi, et tanquam abortum aliquem non ſine magno conatu, niſu, quin dolore et moleſtia, ejiciunt. Nec mirum. *Nam et barbari et ſervi* hoc nonnumquam faciunt, ut commode dicant aliquid, et ab ingenio ſuo aliquid exprimant: *et ſi hoc ſat eſt*, ſi nihil aliud expectatur a diſertis, *nulla eſt ratio*, doctrina, forma, via, præcepta, *dicendi*: tota arte carere poſſumus, ſi ii ſunt oratores, qui aliquando magnum quiddam dicunt, aut loquuntur ſententias. Illud *nam* inprimis elegans eſt: ubi concedimus, quod alter dixit, ſed illud ad nos nihil pertinere ſignificamus, ut Populia Marci Filia, ad notam interrogationem, *Nam beſtiæ ſunt*. Simillima ratio infra 2, 20, 10. *Nam et latro pugnabit acriter*. Cic. Brut. 17. *Antiquior eſt Catonis ſermo, et quædam horridiora verba? Ita enim tum loquebantur*.

1. *Ne hoc quidem negaverim*] Quam arcte iſta cohæreant ſuperioribus, nemo non videt. Quo minus peccatum a nobis eſt, cum diviſionis illius non ita, ut in pleriſque editionibus factum eſt, rationem habuimus.

Primum vitio male judicantium, qui majorem[z] habere vim credunt ea, quæ non habent artem: ut effringere, quam aperire; rumpere, quam ſolvere; trahere, quam
2 ducere, putant robuſtius. Nam et GLADIATOR, qui armorum inſcius in pugnam[a] ruit; et luctator, qui totius corporis niſu[b] in id, quod ſemel invaſit, incumbit[c], fortior ab his vocatur: cum interim et hic frequenter ſuis viribus ipſe proſternitur, et illum[d] vehementis impetus ex-
3 cipit adverſarii mollis articulus. Sed ſunt in hac parte, quæ imperitos etiam naturaliter fallant: nam et *diviſio*, cum plurimum valeat in cauſſis, ſpeciem virium minuit: et rudia politis majora, et ſparſa compoſitis numeroſiora,

[z] maxime G. [a] rixam G. *et boni libri plures ap. Burm. ipſe conjicit* in ſicam. [b] nixu G. Jenſ. nexu *conjicit Burm.* [c] incubuit *MSS. Joan. et Ball. ap. Burm.* [d] *Quid ſi legamus* illius *vel* illas vehementes?

1. *rumpere, quam ſolvere*] Reſpicit credo ad nodum Gordium, non ſolutum illum quidem ab Alexandro, ſed gladio ruptum.

2. *in pugnam ruit*] Hæc lectio iis deberi videtur, qui *rixam*, quam habent libri optimi quivis, huc parum convenire crederent. Multo eruditius elegantiuſque *ſicam* ſubſtitui poſſe conjecit doctiſſimus Burmannus. Sed, niſi fallor, *rixa* hic locum optime, pro illius quidem ætatis more tuetur. *Rixam fucorum et apium* vocat Columella 9, 15, 4. quæ ad arma ſemper venit, ſine cæde vix peragitur. Idem 8, 3, 5. *rixoſarum avium laniſtas* ridet, h. e. qui gallos ad vulnera et mortem pugnaces alerent. Sic de perdicibus inter ſe pugnantibus Plin. 10, 33. ſ. 51. et 11, 17. ſ. 18. de apum dimicatione *rixæ* et *rixandi* verbis utitur. Hæc de mutis animantibus. De militibus Tacitus hiſt. 1, 64. JURGIA (neque enim neceſſarium videtur mutare cum Freinſhemio in *jurgio*) *primum, mox* RIXA *inter Batavos et legionarios, dum his aut illis ſtudia militum aggregantur, prope in* PRÆLIUM *exarſere*. Non eſt hic Florus aliquis qui loquatur, ſed prudentiſſimus ſcriptor; hic tres quaſi gradus facit, *jurgia, rixam, prælium*: *rixam* igitur profecto vult intelligi, qua ad manus venitur. Sic etiam hiſt. 2, 27. ubi de eadem re, *jurgia* a *rixis* ſeparat. *Sanguineas* Horatii *rixas* prætereo ſciens.

2. *corporis niſu*] *Nexu* mihi quoque vehementer placeret (vid. ſupra ad 2, 8, 13.) niſi adjectum *incumbit* ad *niſum* vel *nixum* aptius cadere videretur.

2. *mollis articulus*] *Mollem*, vel ipſa etymologia ſuadente, eſſe *mobilem*, alias obſervatum: et laudatum illud Ovidii, *Si mollia brachia, falta*: huc in primis faciunt *molles articuli*, h. e. facile in hanc vel illam partem mobiles, ut vel declinare impetum atque eludere et alio vertere poſſint, vel ipſa mediocri ceſſione frangere.

3. *ſpeciem virium minuit*] Qui enim diviſit, ille jam docuit auditorem, quod porro expectandum ſit; quod ſi omiſſa partitio eſt, nova omnia audientibus, imperitis præſertim, et improviſa accidunt.

3. *numeroſiora*] Id eſt, plura; ne quis de *numero* qui rhythmus eſt, cogitet. Cæterum apparet hoc etiam in corporibus: lignorum, ut hoc utar, acervus maximus, ſi in ſtruem ordinatam componatur, lo-

creduntur. Est præterea quædam virtutum vitiorumque 4
vicinia, qua *maledicus* pro *libero*, *temerarius* pro *forti*, *effusus* pro *copioso* accipitur. Maledicit autem ineruditus apertius, et sæpius vel cum periculo suscepti litigatoris, frequenter etiam suo. Affert et ista res opinionem, quia li- 5
bentissime homines audiunt ea, quæ dicere ipsi noluissent. Illud quoque alterum, quod est in elocutione ipsa periculum, minus vitat, conaturque perdite: inde evenit nonnumquam, ut aliquid grande inveniat, qui semper quærit quod nimium est: verum et raro evenit, et certa[e] vitia non pensat. Propter hoc quoque interdum videntur in- 6
docti copiam habere majorem, quod dicunt omnia: doctis est et electio, et modus. His accedit, quod a cura docendi quod intenderint, recedunt. Itaque illud quæstionum et argumentorum apud corrupta judicia frigus evitant: nihilque aliud, quam quo vel pravis voluptatibus aures assistentium permulceant, quærunt. Sententiæ quoque ipsæ, 7
quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas sordida et abjecta sunt: ut *lumina non inter umbras* (quemadmodum Cicero dicit) *sed plane in*[f] *tenebris clariora sunt*. Itaque ingeniosi vocentur, ut libet, dum tamen constet, contumelioseque sic laudari disertum. Nihilominus confiten- 8
dum est etiam detrahere doctrinam aliquid, UT limam rudibus, et cotes hebetibus, et vino vetustatem; sed vitia

[e] *Sic* G. *et* Bodl. cetera *rel.* [f] inter tenebras G.

cum multo minorem occupat, &c. plura igitur et majora videntur, quæ non sunt composita.

5. *quæ dicere ipsi noluissent*] Ut fatiram, qui humani et comes videri volunt: fescenninos et prætextata verba, quæ haberi volunt castæ: suas laudes, etiam modesti.

5. *periculum*] Vid. dicta ad 2, 11, 3.

5. *certa vitia*] Prætuli lectionem optimorum codicum tanto magis, cum *certa* vitia opponi videam iis commodis, quæ *raro* et casu potius, quam *certo* successu, *eveniunt*. Propter incerta commoda autem certum damnum prudentes non eligunt, nec spem incertam certo magnoque pretio emunt.

6. *frigus evitant*] Somnolentiam illam, pigritiam, atque torporem auditorum non experiuntur, quibus conflictandum est his, qui accurate docere et probare causam volunt: multa enim hic minuta quadam diligentia dicenda sunt, quæ prætermittunt aures delicatæ, et sententiis splendidis impleri cupientes; quæ non minus prava voluptas est, quam ea, quæ corpus debilitat.

7. *Cicero*] Per jocum non illepidum laudari puto locum de Orat. 3, 26. indicatum jam ab Almeloveenio; *Sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus, umbram aliquam et receſſum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur.*

detrahit: atque eo solo minus est, quod [g] literæ perolie-
9 runt [h], quo melius. Verum hi pronuntiatione quoque famam dicendi fortius quærunt. Nam et clamant ubique, et omnia *levata* (ut ipsi vocant) *manu*, emugiunt, multo discursu, anhelitu, jactatione [i], gestu, motu capitis furen-
10 tes. Jam collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mire ad pullatum circulum facit: cum ille eruditus, ut in oratione multa submittere, variare, disponere, ita etiam in pronuntiando suum cuique eorum, quæ dicet, colori accommodare actum sciat: et si quid sit perpetua observatione dignum, modestus et esse,
11 et videri malit. At illi hanc *vim* appellant, quæ est potius *violentia:* cum interim non actores modo aliquos invenias, sed (quod est turpius) præceptores etiam, qui brevem dicendi exercitationem consecuti, omissa ratione, ut tulit impetus, passim tumultuentur, eosque, qui plus honoris literis tribuerunt, et [l] ineptos, et jejunos, et trepidos, et infirmos, ut quodque verbum contumeliosissimum [m] occur-
12 rit, appellent. Verum illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina distertis: nos quando et præcipiendi munus etiam [n] pridem deprecati sumus, et in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putabamus, desinere dum desideraremur, inquirendo scribendoque talia consolemur otium nostrum, quæ futura usui bonæ mentis juvenibus arbitramur, nobis certe sunt voluptati.

XIII. (XIV.) Nemo autem a me exigat id præceptorum genus, quod est a plerisque scriptoribus artium traditum, ut quasi quasdam leges immutabili necessitate con-

[g] quidem *inf.* G. [h] præpoliunt G. [i] jactatione gestus G. [l] *om.* G. [m] contumeliosum G. [n] jam G.

10. *pullatum circulum*] Circumstantem turbam humilium, horum enim erant pullæ tunicæ, qua re Verri (4, 24.) vitio vertit Cicero, quod in officina cælatoris *cum tunica pulla majorem partem dici sedere soleret.*

10. *perpetua observatione dignum*] Si quid omnino semper in se animadverti, et conspici velit, et inde quasi certo charactere dignosci; modestus potius, quam nimis acer haberi cupit.

12. *desinere dum desideraremur*] Contra quam accidit in ludis Pompeii, de quibus Cic. ad Marium 7, 1. *Noster Æsopus ejusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret:* et sub fin. *Quod si tam facilem populum haberem, quam Æsopus habuit, libenter mehercule artem desinerem.* Sed videndus ipse noster 12, 11. ubi dedita opera hac de re agit.

ſtrictas[o] ſtudioſis dicendi feram: utique *proœmium*, et id quale; proxima huic *narratio*; quæ lex deinde narrandi; *propoſitio* poſt hanc, vel, ut quibuſdam placuit, *excurſio*; tum *certus ordo quæſtionum*, ceteraque, quæ velut ſi aliter facere fas non ſit, quidam tamquam[p] juſſi ſequuntur. Erat enim rhetorice res prorſus facilis ac parva, ſi uno et 2
brevi præſcripto contineretur: ſed mutantur pleraque cauſſis, temporibus, occaſione, neceſſitate. Atque ideo res in oratore præcipua conſilium eſt, quia varie, et ad rerum momenta convertitur. Quid enim ſi[q] præcipias[r] im- 3
peratori, quoties aciem inſtruet, dirigat frontem, cornua utrimque promoveat, equites pro cornibus locet? Erit hæc quidem rectiſſima fortaſſe ratio, quoties licebit: ſed mutabitur natura loci, ſi mons occurret, ſi flumen obſtabit, ſi[s] collibus, ſylvis, aſperitate alia prohibebitur. Mutabit 4
hoſtium genus, mutabit præſentis conditio diſcriminis: nunc acie directa, nunc cuneis, nunc auxiliis, nunc legione pugnabitur: nonnumquam terga etiam dediſſe ſimulata fuga proderit. Ita proœmium neceſſarium, an ſu- 5
pervacuum[t]; breve, an longius; ad judicem omni ſermone directo, an aliquando averſo per aliquam figuram, dicendum ſit; conſtricta an latius fuſa[u] narratio; continua an diviſa; recta an ordine permutato, cauſſæ docebunt. Itemque de quæſtionum ordine, cum[x] in eadem 6
controverſia aliud alii parti prius quæri frequenter expediat. Neque enim rogationibus plebiſve ſcitis ſancta ſunt iſta præcepta, ſed hoc quidquid eſt, utilitas excogitavit. Non negabo autem ſic utile eſſe plerumque, alioqui nec 7
ſcriberem: verum ſi eadem illa nobis aliud ſuadebit utilitas, hanc relictis magiſtrorum auctoritatibus ſequemur. Equidem id maxime *Præcipiam, ac repetens iterumque iterumque monebo*: res duas in omni actu ſpectet orator, *quid deceat, quid expediat*. Expedit autem ſæpe mutare ex 8
illo conſtituto traditoque ordine aliqua, et interim decet:

[o] conſcriptas G. Jenſ. [p] tamen G. Jenſ. *male*. [q] *Sic* G. Jenſ. quid ſi enim *rel.* [r] præcipis G. [s] *om.* G. Jenſ. [t] ſupervacaneum G. [u] diffuſa G. Jenſ. [x] recte *inf.* G. recta Jenſ.

1. *utique proœmium*] Non bene iſta connecti præcedentibus, appareret. Id ipſum quoque credo Gallæum moviſſe, ut totum hoc, ab his verbis inde uſque ad *cæteraque* inſertum ab alio putaret. Cohærerent melius, ſi præponeres, *ut ſit*, vel ſimile quidquam.

8. *Præcipiam*] Virgilii carmen Æn. 3, 458, niſi quod ibi *Præcipiam, repetenſque*.

ut in ſtatuis atque picturis videmus variari habitus, vul-
9 tus, ſtatus. Nam recti quidem corporis vel minima gratia
eſt. Nempe[z] enim adverſa ſit facies, et demiſſa brachia,
et juncti pedes, et a ſummis ad ima rigens opus: flexus
ille, et ut ſic dixerim, motus, dat actum quemdam effic-
tis[a]. Ideo nec ad unum modum formatæ manus, et in
10 vultu mille ſpecies. Curſum habent quædam et impetum,
ſedent alia, vel incumbunt: nuda hæc, illa velata ſunt:
quædam mixta ex utroque. Quid tam diſtortum et ela-
boratum, quam eſt ille Diſcobolos Myronis? Si quis ta-
men, ut parum rectum, improbet opus, nonne ab intellec-
tu artis abfuerit, in qua vel præcipue laudabilis eſt illa ipſa
11 novitas, ac difficultas? Quam quidem gratiam et delec-
tationem afferunt figuræ, quæque in ſenſibus, quæque in
verbis ſunt. Mutant enim[b] aliquid a recto, atque hanc
præ ſe virtutem ferunt, quod a conſuetudine vulgari re-
12 ceſſerunt. Habet in pictura ſpeciem tota facies: Apelles
tamen imaginem Antigoni latere tantum altero oſtendit,
ut amiſſi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione
operienda ſunt quædam, [c] ſive oſtendi non debent, ſive ex-
13 primi pro dignitate non poſſunt? ut fecit Timanthes, ut [d]
opinor, Cythnius[e], in tabula, qua Colotem Teium vicit.
Nam cum in Iphigeniæ immolatione pinxiſſet triſtem Cal-

[z] *Sic* G. *et plures ap. Burm.* Neque *al.* [a] et factum G. Jenſ. [b] autem G. etiam Jenſ. [c] quæ *inſ.* G. [d] *om.* G. [e] Cyrnius G.

9. *Nempe enim*] Obtemperavi in mutanda lectione bonis auctoribus quos laudavi, ipſique adeo Burmanno, cui illud *nempe* jam præferendum videbatur. Deſcribitur, quid incommodi habeat ſtatua recti corporis, ut melius gratia flexi intelligatur.

9. *demiſſa brachia*] Ea ruſticitatis ſigna habita, oſtendit Burmannus ex Caſaub. ad Theophr. περὶ ἀδολεσχίας p. 132. Turnebo 41, 2. Victorio V. L. 22, 2.

10. *Diſcobolos Myronis*] Status juvenis ſumma vi contorti corporis connixi, ut in altum projiciat orbem lapideum, nobile argumentum, in quo plures ſtatuarii artem experti ſunt. Vid. Junii Catalogus operum in præcluro opere de pictura. Myronis illum laudat Plin. 34, 8. ſ. 19, 3.

12. *imaginem Antigoni*] Narrat Plin. 35, 10. ſ. 36, 14. Sed non primus invenit *catagrapha* iſta *(figures de profil)*; Cimoni quidem Cleonæo inventum hoc tribuit idem Plinius 35, 8. ſ. 34.

13. *Timanthes*] Plin. 35, 10. ſ. 36, 6. Ponemus verba, ut conferre facilius ſtudioſi poſſint. *Ejus eſt Iphigenia, oratorum laudibus celebrata; qua ſtante ad aras peritura, cum mœſtos pinxiſſet omnes, præcipue patruum, et triſtitiæ omnem imaginem conſumſiſſet, patris ipſius vultum velavit, quem digne non poterat oſtendere.* Add. Cic. in Orat. 2, c. 22. Val. Max. 8, 11.

chantem, triſtiorem Ulixem, addidiſſet Menelao, quem ſummum poterat ars efficere, mœrorem: conſumtis affectibus, non reperiens, quo digne modo patris vultum poſſet exprimere, velavit ejus caput, et ſuo cuique animo dedit æſtimandum. Nonne huic ſimile eſt illud Salluſtia- 14
num, *Nam de Carthagine tacere ſatius puto, quam parum dicere?* Propter quæ mihi ſemper moris fuit, quam minime alligare me ad præcepta, quæ καθολικὰ vocant, id eſt, (ut dicamus quomodo poſſumus) *univerſalia*, vel *perpetualia*. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, aut [f] ſubrui poſſit. Sed de his plenius ſuo quid- 15
que loco tractabimus. Interim nolo ſe juvenes ſatis inſtructos, ſi quem ex his, qui breves plerumque circumferuntur, artis libellum edidicerint [g], et velut decretis technicorum tutos, putent. Multo labore, aſſiduo ſtudio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altiſſimo conſilio conſtat ars dicendi. Sed adjuvatur his quoque, ſi tamen 16
rectam viam, non unam orbitam monſtrent: a qua declinare qui crediderit nefas, patiatur neceſſe eſt illam per funes ingredientium tarditatem. Itaque et ſtratum militari labore iter ſæpe deſerimus compendio ducti: et si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur: et ſi janua tenebitur incendio, per parietem exibimus. Late fuſum opus eſt, et multiplex, et 17
prope quotidie novum, et de quo numquam dicta erunt omnia. Quæ ſunt tamen tradita, quid ex his optimum; et ſi quid mutari, adjici, detrahi melius videbitur, dicere experiar.

XIV. (XV.) Rhetoricen in Latinum transferentes, tum *oratoriam*, tum *oratricem* nominaverunt. Quos equidem non fraudaverim debita laude, quod copiam Romani ſermonis augere tentaverint. Sed non omnia nos ducentes ex Græco ſequuntur, ſicut ne illos quidem, quoties ſuis utique verbis ſignare noſtra voluerunt. Et hæc interpre- 2

[f] et G. [g] didicerint. G. Jenſ.

14. *Salluſtianum*] In Jug. 19, 2. quamquam, quod memoriæ conſiſus librum non inſpexit Fabius, verbis paullo aliis, nempe *ſilere melius puto*; quod frequens eſſe omne genus ſcriptoribus, conſtat, et de noſtro etiam obſervavit Burmannus.

16. *per funes ingredientium tarditatem*] Tardiores ergo illa tempeſtate funambuli quam noſtri, qui vel ipſa celeritate non tantum admirabiles ſunt, verum etiam tuti. An non tam de illa funambulorum arte, quam de quovis homine loquitur, cui neceſſitas ſolum per funem iter fecit reliquum?

tatio non minus dura eſt, quam illa Flavii [h] *eſſentia* atque *entia*: ſed ne propria quidem: nam *oratoria* ſic efferetur, ut *elocutoria*; *oratrix* ut *elocutrix*. Illa autem, de qua loquimur, *rhetorice*, talis eſt, qualis *eloquentia*: nec dubie
3 apud Græcos quoque duplicem intellectum habet. Namque uno modo fit appoſitum, *ars rhetorica*, ut *navis piratica*: altero nomen rei, qualis eſt *philoſophia*, *amicitia*. Nos ipſam nunc volumus ſignificare ſubſtantiam, ut grammatice *literatura* eſt, non *literatrix*, quemadmodum *oratrix*: nec *literatoria*, quemadmodum *oratoria*. Verum in
4 rhetorice non ſic. Ne pugnemus igitur, cum præſertim plurimis alioqui Græcis ſit utendum. Nam certe ſic [i] et *phyſicos* [k], et *muſicos* [l], et *geometras* dicam, nec [m] vim afferam his nominibus indecora in Latinum ſermonem mutatione. Denique cum M. Tullius etiam ipſis librorum, quos hac de re primum ſcripſerat, titulis Græco nomine utatur, profecto non eſt verendum, ne temere videamur
5 oratori maximo de nomine artis ſuæ credidiſſe. Igitur *Rhetorice* (jam enim ſine metu cavillationis utemur hac appellatione) ſic, ut opinor, optime dividetur, ut *de arte*, de *artifice*, de *opere* dicamus. *Ars* erit, quæ diſciplina percipi debet: ea eſt *bene dicendi ſcientia*. *Artifex* eſt, qui percipit [n] hanc artem, id eſt orator, cujus eſt ſumma *bene dicere*. *Opus*, quod efficitur ab artifice, id eſt *bona oratio*. Hæc omnia rurſus diducuntur in ſpecies. Sed illa ſequentia ſuo loco: nunc quæ de prima parte tractanda ſunt, ordiar.

[h] Plauti G. Jenſ. *cum aliis. Sed vid.* 7, 4, 40. *præſertim* 8, 3, 33. *et ibi Burm. p.* 690. [i] ſi *editt. credo, omnes, niſi quod* ſicut *Ald. et margo Baſ. plane autem om. alii.* [k] philoſophos G. *et MSS. alii. Forte utrumque ſervandum.* [l] *om.* Jenſ. [m] et vim afferam hominibus G. [n] præcipit G. Jenſ. *male.*

2. *talis eſt, qualis eloquentia*] Ut *eloquentia* ſignificat facultatem et habitum ipſum bene dicendi; ſic *rhetorice* notat facultatem et habitum præceptorum bene dicendi. Igitur *orantia* vel *oratura* dicenda eſt, ut *eloquentia* et *literatura*.

3. *Verum in rhetorice non ſic*] Si ſana ſunt hæc verba, eam habent, puto, ſententiam: in *rhetorices* nomine non ſic laboratur, neque cavillationi locus eſt, ut in quocunque, ſi fingas, Latino: quod ſcilicet vel inſolitum erit atque intolerabile auribus, ut illa quæ finximus *oratura* vel *orantia*; vel non habebit formam ſignificationi convenientem, ut *oratoria* atque *oratrix*.

4. *Nam certe ſic et phyſicos*] Condonabunt, ſpero, ſtudioſi uni literulæ ad *ſi* adjectæ, quam ſequens *e* propter ſimilitudinem extruſerat; *Ne pugnemus* contra Græcam rhetorices appellationem: nam *Græcis* tamen, velimus nolimus, *eſt utendum*: *certe* enim *ſic*, h. e. Græce, etiam *phyſicos*, *et muſicos dicam* equidem, *nec vim* aut torturam adhibebo his nominibus &c.

XV. (XVI.) Ante omnia, quid ſit *rhetorice*: quæ finitur quidem varie, ſed quæſtionem habet duplicem: aut enim *de qualitate ipſius rei*, aut *de comprehenſione verborum* diſſenſio eſt. Prima ac præcipua opinionum circa hoc differentia, quod alii malos quoque viros poſſe oratores dici putant: alii (quorum nos ſententiæ accedimus) nomen hoc, artemque, de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. Eorum autem, qui dicendi facultatem a majore 2
ac magis expetenda vitæ laude ſecernunt, quidam rhetoricen *vim* tantum, quidam *ſcientiam*, ſed non virtutem, quidam *uſum*, quidam *artem* quidem, ſed a ſcientia et virtute dijunctam [o], quidam etiam *pravitatem* quamdam *artis*, id eſt κακοτεχνίαν nominaverunt. Hi fere, aut *in* 3
perſuadendo, aut *in dicendo appoſite ad perſuadendum*, poſitum orandi munus ſunt arbitrati. Id enim fieri poteſt ab eo quoque qui vir bonus non ſit. Eſt igitur frequentiſſimus finis rhetorices [p] *vis perſuadendi*. Quod ego *vim* appello, plerique *poteſtatem*, nonnulli *facultatem* vocant: quæ res ne quid afferat ambiguitatis, vim dico τὴν δύναμιν. Hæc opinio originem ab Iſocrate (ſi tamen re vera Ars, 4
quæ circumfertur, ejus eſt) duxit. Qui, cum longe ſit a voluntate infamantium oratoris officia, finem artis temere comprehendit, dicens eſſe rhetoricen *perſuadendi opificem*, id eſt πειθοῦς δημιουργόν: neque enim mihi permiſerim [q]
eadem uti declinatione, qua Ennius M. Cethegum *Suadæ medullam* vocat. Apud Platonem quoque Gorgias in li- 5
bro, qui nomine ejus inſcriptus eſt, idem fere dicit: ſed hanc Plato illius opinionem vult accipi, non ſuam. Cicero pluribus locis ſcripſit, oratoris officium eſſe, *dicere appoſite ad perſuadendum*. In rhetoricis etiam, quos ſine dubio 6
ipſe non probat, finem facit *perſuadere*. Verum et pecu-

[o] disjunctam G. [p] rhetoricen eſſe vim G. [q] perſuaſerim G.

1. *Ante omnia*] Hæc arcte adeo adhærent et connexa ſunt ſuperioribus, ut vel inde appareat, non eſſe a Quinctiliano capitum illam diſtinctionem.

4. *Ars, quæ circumfertur*] Τέχνην ῥητορικὴν tribuunt Iſocrati nonnulli apud Plutarchum; Photiumque, tum Tzetzes audacter Chil. 11, 654. et 9, 935. Hæc et plura Fabric. B. G. 2, 26, 5, p. 809. Add. Cic. Brut. 12. extr. de Iſocrate ex Thucydidis teſtimonio, *totum ſe ad Artes componendas tranſtuliſſe*, ubi tamen *componendas* abeſſe a MSS. ſuis Lambinus teſtatur.

4. *eadem declinatione*] h. e. ea forma nominis a ſuadendo declinata vel derivata.

5. *pluribus locis*] Notavit ea Almeloveenius, de Orat. 1, 31. Acad. 1, 8. de Inv. 1, 5. ad Herenn. 1, 2.

6. *ipſe non probat*] De Orat. 1, 2. ſic ipſe de his libris, *quæ pueris*

nia perſuadet, et gratia, et auctoritas dicentis, et dignitas, et poſtremo aſpectus etiam ipſe ſine voce, quo vel recordatio meritorum cujuſque, vel facies aliqua miſerabilis,
7 vel formæ pulchritudo, ſententiam dictat. Nam et M. Aquilium defendens Antonius, quum ſciſſa veſte cicatrices, quas is pro patria pectore adverſo ſuſcepiſſet, oſtendit, non orationis habuit fiduciam, ſed oculis populi Romani
2 vim attulit: quem illo ipſo aſpectu maxime motum in
8 hoc, ut abſolveret reum, creditum eſt. Servium quidem Galbam miſeratione ſola, qua non ſuos modo liberos parvulos in concionem produxerat, ſed Galli etiam Sulpicii
3 filium ſuis ipſe manibus circumtulerat, elapſum eſſe, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione teſtatum eſt.
9 Et Phrynem non Hyperidis actione, quamquam admirabili, ſed conſpectu[r] corporis, quod illa, ſpecioſiſſimum alioqui, diducta nudaverat tunica, putant periculo liberatam. Quæ ſi omnia perſuadent, non eſt hic, de quo lo-
10 cuti ſumus, idoneus finis. Ideoque diligentiores ſunt viſi[s] ſibi, qui, cum de rhetorice idem ſentirent, exiſtima-
4 verunt eam *vim dicendo perſuadendi*. Quem finem Gorgias in eodem, de quo ſupra diximus, libro, velut coactus a Socrate facit: a quo non diſſentit Theodectes, ſive ipſius id opus eſt, quod de rhetorice nomine ejus inſcribitur; ſive, ut creditum eſt, Ariſtotelis: in quo eſt, finem

[r] aſpectu G. [s] ſunt viſi ſibi G.

aut adoleſcentulis nobis ex commentariolis noſtris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac ætate digna et hoc uſu &c.

7. *M. Aquilium*] Memorat ex ipſius perſona Antonii Cic. de Orat. 2, 47. et copioſe in Verr. 5. 1. ubi M' h. e. Manius in bonis libris vocatur: quemadmodum hic etiam *Manium* ex V. C. Almel. laudat Burmannus.

8. *Serv. Galbam*] Totum hoc de Galba, et de Catonis reprehenſione luculenter expoſitum leges a Cic. de Orat. 1, 53.

9. *Phrynem*] Veterum de ea re narrationes accuratiſſime laudavit et propoſuit Fabricius ad Sexti Empir. adv. Grammaticos 2, 4. p. 288. ſeq.

10. *Theodectes*] Et hic otia fecit erudite laborioſus Fabricius B. G. 3, 7. p. 201. qui tamen in eo videtur aliquantulum a ſumma diligentia ſua remiſiſſe, quod vitio ei vertere inhumanum fuerit, cum *tres libros Rhetoricos Ariſtotelis Theodecti* a quibuſdam tribui ex hoc ipſo loco voluit oſtendere: neque enim *tres libros* nominat Fabius, ſed *opus de rhetorice*. Tres illi, qui magno noſtro bono exſtant libri Ariſtotelis intelligi tanto minus poſſunt, quod ipſe, non diſſimulante quoque Fabricio, Rhet. 3, 9, 40. τῶν Θεοδεκτείων mentionem facit. Deinde definitio plane alia rhetorices eſt in tribiblo illo opere, nim. 1, 2, 1. δύναμις περὶ ἕκαστον τῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν.

esse rhetorices, *ducere homines dicendo in id, quod actor velit.* Sed ne hic quidem satis est comprehensum: per- 11
suadent enim dicendo, vel ducunt in id quod volunt, alii quoque, ut *meretrices*, *adulatores* [t], *corruptores*. At contra non persuadet semper orator: ut interim non sit proprius hic finis ejus, interim sit communis cum iis, qui ab oratore procul absunt. Atqui non multum ab hoc fine abest 12
Apollodorus, dicens judicialis orationis primum et super omnia esse, *persuadere judici, et sententiam ejus* [u] *ducere in id, quod velit.* Nam et ipse [x] oratorem fortunæ subjicit, ut si non persuaserit, nomen suum retinere non possit. Quidam recesserunt ab eventu, sicut Aristoteles, qui [z] di- 13
cit, *rhetorice est vis inveniendi omnia in oratione persuasibilia* [a]. Qui finis et illud vitium, de quo supra diximus, habet, et insuper, quod nihil, nisi inventionem complectitur, quæ sine elocutione non est oratio. Hermagoræ, 14
qui finem ejus esse ait *persuasibiliter dicere*, et aliis, qui eamdem sententiam non eisdem tantum [b] verbis explicant, ac finem esse demonstrant, *dicere, quæ oporteat, omnia ad persuadendum*, satis responsum est, cum *persuadere* non tantum oratoris esse convicimus. Addita sunt his alia varie. 15
Quidam enim *circa res omnes*, quidam *circa civiles* modo versari *rhetoricen* putaverunt, quorum verius utrum sit, in eo loco, qui hujus quæstionis proprius est, dicam. Omnia 16
subjecisse oratori videtur Aristoteles, cum dixit, *vim esse dicendi, quid* [c] *in quaque re possit esse persuasibile.* Et Patrocles, qui non quidem adjicit, *in quaque re:* sed nihil excipiendo, idem ostendit. *Vim* enim vocat *inveniendi, quod sit in oratione persuasibile*, qui fines et [d] ipsi solam

[t] aleatores G. [u] suam retinere Jens. *et al. editt. primæ.* [x] ipsum Jens. [z] *om.* G. [a] persuadibilia G. [b] *om.* G. tamen Jens. [c] quod G. [d] etiam G.

11. *adulatores*] Fere magis mihi placet alterum, *aleatores*: nam *adulatorum* nomen videtur generalius esse, certe *corruptores* comprehendere: taceo, quod oratione fere hi utuntur, et vix commode collocari hic possunt, ubi dicendi vis excluditur. *Aleatores* quam persuadendi facultatem habeant, magno suo damno quotidie experiuntur, quos trahunt acervi auri ante illos aleatores positi, qui in publicis locis *bancum se habere*, h. e. mensam aleatoriam, eo ipso scilicet profitentur, et piscículos divites illa esca aurea captant capiuntque.

13. *inveniendi*] Ne inveniendi quidem semper, sed τῷ θεωρῆσαι, videndi; (vid. ad s. 10.) sed complectitur scilicet τὸ θεωρῆσαι reliqua.

15. *in eo loco*] Infra hoc libro c. 21.

complectuntur inventionem. Quod vitium fugiens Theodorus [e], *vim putat inveniendi et eloquendi cum ornatu credibilia, in omni oratione.* Sed cum eodem modo credibilia, quo perſuaſibilia, etiam non orator inveniat: adjiciendo, *in omni oratione*, magis quam ſuperiores, concedit ſcelera quoque perſuadentibus [f], pulcherrimæ rei nomen. Gorgias apud Platonem, perſuadendi [g] ſe artificem in judiciis, et aliis cœtibus eſſe ait, de juſtis quoque et injuſtis tractare: cui Socrates *perſuadendi*, non *docendi* concedit facultatem. Qui vero non omnia ſubjiciebant oratori, ſollicitius ac verboſius, ut neceſſe erat, adhibuerunt diſcrimina: quorum fuit Ariſton, Critolai Peripatetici diſcipulus, cujus hic finis eſt, *ſcientia videndi et agendi in quæſtionibus civilibus per orationem popularis perſuaſionis.* Hic *ſcientiam*, quia Peripateticus eſt, non ut Stoici virtutis loco ponit: *popularem* autem comprehendendo *perſuaſionem*, etiam contumelioſus [h] eſt adverſus artem orandi, quam nihil putat doctis perſuaſuram. Illud de omnibus, qui circa civiles demum quæſtiones oratorem judicant verſari, dictum ſit, excludi ab his plurima oratoris officia: illam certe *laudativam totam*, quæ eſt rhetorices pars tertia. Cautius Theodorus Gadareus, ut jam ad eos veniamus, qui *artem* quidem eſſe eam, ſed *non virtutem*, putaverunt. Ita enim dicit (ut ipſis eorum verbis utar, qui hoc ex Græco tranſtulerunt) *Ars inventrix, et judicatrix, et enunciatrix decente* [i] *ornatu* [k] *ſecundum menſionem* [l] *ejus, quod in quoque poteſt ſumi perſuaſibile, in materia civili.* Itemque Cornelius Celſus, qui finem rhetorices ait, *dicere perſuaſibiliter in dubia, et* [m] *civili materia.* Quibus ſunt non diſſimiles, qui ab aliis traduntur; qualis eſt ille, *Vis dicendi et eloquendi de rebus civilibus ſubjectis ſibi, cum quadam perſuaſione, et quodam corporis habitu, et eorum, quæ dicet* [n], *pronuntiatione.* Mille alia, ſed aut eadem, aut ex eiſdem compoſita: quibus item, cum de materia rhetorices dicendum erit, reſpondebimus. Quidam eam ne-

[e] Eudorus G. *et plures ap. Burm.* Eudoxus *Andr. apud eund. Forte fuit* Theudorus, *ut* Theupolis *et ſimilia.* [f] ſuadentibus G. [g] ſuadenti G. Jenſ. [h] contumelioſius G. [i] dicente ornatu ſervi ment. Jenſ. [k] ornatum G. [l] *Sic* MSS. *et libri opt.* inventionem *Ald. Baſ.* mentionem Jenſ. [m] vel G. Jenſ. [n] dicit G.

21. *ſecundum menſionem ejus*] Forte fuit in Græca finitione κατὰ μίτρον, quod fidi nimis interpretes ita reddiderunt; quos finxi ridere forte voluit Fabius.

que *vim*, neque *ſcientiam*, neque *artem* putaverunt: ſed Critolaus *uſum dicendi*, nam hoc τριβὴν ſignificat; Athenæus *fallendi artem*. Plerique autem, dum pauca ex 24
Gorgia Platonis, a prioribus imperite excerpta, legere contenti, neque hoc totum, neque alia ejus volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque, eum in hac eſſe opinione, ut *rhetoricen non artem, ſed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis* exiſtimet: et alio loco, 25
civilitatis particulæ ſimulacrum, et *quartam partem adulationis*: quod duas partes civilitatis corpori adſignet, *medi-*

23. *Athenæus*] Diverſum a Naucratita, Deipnoſophiſton auctore, et Varrone majorem, oſtendit contra Moſellani errorem Burmannus, laudatque Fabric. B. G. 4, 20, 5. in notis.

24. *Gorgia Platonis*] Voluptas ſubiit, cum ad hunc locum veniremus, legere nobiliſſimum Platonis librum, et moroſiorem attendendi Fabio curam innoxia oblectatione diſtinguere, præſertim cum ipſe moneat non ex decerptis e media diſputatione verbis, ſed ex toto illius contexto, de ſententia Platonis judicandum. Ne autem nullus inde ad Quinctiliani lectores fructus rediret, placuit diligenter adnotare, unde quidque ſumtum ſit. Utimur autem editione Laemariana Lugd. 1590. Ac primum illud intellexi, rideri a Platone ex perſona Socratis totam, qualis tum erat, oratorum, rhetorumque profeſſionem, et negari, eſſe aut fuiſſe Athenis, qui rhetorice ſua boni quidquam effeciſſet: ſed non negari, poſſe oratione aliquem ad ſalutem ſingulorum hominum et civitatum adeo uti. Jam quibus verbis utatur Plato in his, quæ Fabius laudat, per partes videbimus. Hic illud modo ſubjicimus, ea quæ a Platone durius dicta in rhetoricen viderentur, copioſiſſime et eloquentiſſime refutata ab Ariſtide in orat. πρὸς Πλάτωνα περὶ ῥητορικῆς, quæ in Jebbii editione tomum alterum, in Canteriana autem tertium incipit: proxima Ariſtidis oratio, (p. 116. Jebbii) τὰς τέσσαρας, Miltiadem, Themiſtoclem, Periclem, Cimonem contra Platonis judicium defendit.

24. *peritiam quandam*] Ἐμπειρίαν χάριτός τινος καὶ ἡδονῆς ἀπεργασίας, p. 287. c. add. p. 287. e. et 303. d. ubi negat τέχνην eſſe, ſed ἐμπειρίαν, τριβὴν &c. (τριβὴν καὶ ἐμπειρίαν etiam τέχνη opponit in Phædro p. 354. d. ac ibid. p. 350. g. ſe audiſſe ait Phædrus de rhetorice, ὅτι οὐκ ἔστι τέχνη ἀλλ' ἄτεχνος τριβή.) Cæterum rhetorica vocatur p. 287. f. πολιτικῆς μορίῳ εἴδωλον. Hæc nimirum omnia Socrates de rhetorica, qualem tractabant, qui tum erant ῥήτορες et δημηγόροι.

25. *duas partes civilitatis*] Vid. no. ad 2, 17, 14. *Civilis quædam ratio* dicitur Cic. de Inv. 1, 5. Cæterum Plato l. c. p. 288. a. Δυοῖν ὄντοιν πραγμάτοιν, δύο λέγω τέχνας, καὶ τὴν μὲν ἐπὶ τῇ ψυχῇ, πολιτικὴν καλῶ· τὴν δὲ ἐπὶ τῷ σώματι μίαν μὲν ὕστος ὀνομάσαι οὐκ ἔχω σοι. (Negat ſe habere unum aliquod nomen, quo et medicina et Gymnaſtice contineantur.) Μιᾶς δὲ ὕσης τῆς τοῦ σώματος θεραπείας, δύο μόρια λέγω, τὴν μὲν γυμναστικὴν, τὴν δὲ ἰατρικήν. τῆς δὲ πολιτικῆς, ἀντὶ μὲν τῆς γυμναστικῆς (vigorem et decus ſano corpori conciliantis et conſervantis) τὴν νομοθετικήν· ἀντὶ δὲ τῆς ἰατρικῆς, τὴν δικαιοσύνην.—Τούτων ἑκάτερον ὁπόταν εἰσθαγομένη, ἃ γῆθεν λέγω, ἀλλὰ ξυγκαμμένη τέτραχα ἑαυτὴν διανείμασα, ὑποδῦσα ὑπὸ ἕκαστον τῶν μορίων, προσποιεῖται εἶναι τοῦτο ὅ, περ ὑπέδυ—ὑπὸ μὲν οὖν τὴν ἰατρικὴν ἡ ὀψοποιητικὴ ὑποδέδυκε—poſt aliquod intervallum, τῇ δὲ γυμναστικῇ ἡ κομμωτική. Tandem

cinam, et quam interpretantur *exercitatricem* [o], duas animo, *legalem*, atque *juſtitiam*: *adulationem* autem *medicinæ* vocet, *coquorum* artificium; et *exercitatricis*, *mangonum*, qui colorem fuco, et verum robur inani ſagina mentiantur; 26 *legalis*, *cavillatricem*; *juſtitiæ*, *rhetoricen*. Quæ omnia ſunt quidem ſcripta in hoc libro, dictaque a Socrate, cujus perſona videtur Plato ſignificare quid ſentiat: ſed alii ſunt ejus ſermones ad coarguendos, qui contra diſputant, compoſiti, quos ἐλεγκτικὲς vocant, alii ad præcipiendum, 27 qui δογματικοὶ appellantur. Socrates autem, ſeu Plato, eam quidem, quæ tum exercebatur, rhetoricen, talem putavit: nam et dicit his verbis τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν ὑμεῖς πολιτεύεσθε. Et [p] veram autem et honeſtam intelligit. Itaque diſputatio illa contra Gorgiam ita clauditur [q], ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βέλεσθαι δίκαια 28 καὶ [r] πράσσειν. Ad quod ille quidem conticeſcit, ſed ſermonem ſuſcipit Polus, juvenili calore inconſideratior: contra quem illa de ſimulacro et adulatione dicuntur. Tum Callicles adhuc concitatior, qui tamen ad hanc perducitur clauſulam, τὸν μέλλοντα [s] ὀρθῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι, δίκαιον ἄρα [t] δεῖ εἶναι, καὶ ἐπιστήμονα τῶν δικαίων: ut appareat Platoni non rhetoricen videri malum, ſed eam veram, niſi 29 juſto ac bono, non contingere. Adhuc autem in Phædro manifeſtius facit *hanc artem conſummari citra juſtitiæ quoque ſcientiam non poſſe*: cui opinioni nos quoque accedimus.

[o] *Sic* G. Jenſ. *et puto omnes*: exercitationem *ſphalma videtur Burmanniana*. [p] *Sic* G. *Aliæ* et *om. aliæ* non *pro ea habent ap. Burm.* [q] concluditur G. [r] *om.* G. *et Platonis edit. Læmar.* [s] ἄρα *inſ.* G. [t] *om.* G.

lit. d. ὅτι ὁ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο σοφιστικὴ πρὸς νομοθετικὴν· καὶ ὅτι ἡ ὀψοποιητικὴ πρὸς ἰατρικὴν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην. Similia p. 311, c.

27. τοῦτον τὸν τρόπον] P. 303. b. et p. 304. c. eo adigit Socrates Calliclem, ut fateatur, neminem ſe rhetorem alium, quam κόλακας noſſe: et p. 310, a. ne Periclem quidem et Cimonem, et Themiſtoclem, quos ne κόλακας quidem bonos fuiſſe concedit: ὥστε τῇ ἀληθείᾳ ἐχρῶντο, ὥστε τῇ κολακικῇ.

27. *Et veram autem*] Admiſi ex Gothano Codice illud *Et* pro *etiam* poſitum, ut argumentatio et vis verborum Fabii tanto magis appareat. Non autem *intelligit* modo Socrates vel Plato, quod hic dicitur, etiam veram eſſe rhetoricam; verum etiam aperte dicit loco, quem in fine adnotationis proximæ ſuperioris laudavimus: itemque iis locis, quæ mox indicabuntur.

27. οὐκοῦν ἀνάγκη] P. 286, d.

28. τὸν μέλλοντα] P. 306, d.

29. *in Phædro*] Refutat nimirum Socrates illud, quod Phædrus ſe audiſſe dicit p. 350, d. ἐκ εἰκὸς ἀνάγκην τῷ μέλλοντι ῥήτορι ἔσεσθαι τὰ τῷ ὄντι δίκαια μανθάνειν, ἀλλὰ τὰ δόξαντα ἂν πλήθει οἵπερ δικάσουσιν· οὐδὲ τὰ ὄντως ἀγαθὰ ἢ καλὰ, ἀλλ' ὅσα δόξει· ἐκ γὰρ τούτων εἶναι τὸ πείθειν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς ἀληθείας.

An aliter defensionem Socratis, et eorum, qui pro patria ceciderant, laudem scripsisset? quæ certe sunt oratoris opera. Sed in illud hominum genus, quod facultate di- 30
cendi male utebatur, invectus est. Nam et Socrates inhonestam sibi credidit orationem, quam ei Lysias reo composuerat: et tum maxime scribere litigatoribus, quæ illi pro se ipsi dicerent, erat moris; atque ita juri, quo non licebat pro altero agere, fraus adhibebatur. Doctores 31
quoque[u] ejus artis parum idonei Platoni videbantur, qui *rhetoricen* a justitia separarent, et veris credibilia præferrent: nam id quoque dicit in Phædro. Consensisse au- 32
tem illis superioribus videri potest etiam Cornelius Celsus, cujus hæc verba sunt, *Orator simile tantum veri petit.* Deinde paullo post, *Non enim bona conscientia, sed victoria litigantis, est præmium*[x]. Quæ si vera essent, pessimorum hominum foret, hæc tam pernicioſa nocentissimis moribus dare instrumenta, et nequitiam præceptis adjuvare. Sed 33
illi rationem opinionis suæ viderint. Nos autem ingressi formare perfectum *oratorem*, quem in primis esse *virum bonum* volumus, ad eos, qui de hoc opere melius sentiunt, revertamur. *Rhetoricen* autem quidam eamdem *civilitatem* esse judicaverunt: Cicero *scientiæ civilis partem* vocat. *Civilis* autem *scientia* idem quod *sapientia* est. Quidam 34
etiam[y] philosophiæ, quorum est Isocrates[z]. Huic ejus substantiæ maxime convenit finitio, *Rhetoricen esse bene dicendi scientiam.* Nam et orationis omnes virtutes semel complectitur, et protinus mores etiam oratoris, cum bene dicere non possit, nisi vir bonus. Idem valet Chrysippi 35
finis ille ductus a Cleanthe, *scientia recte dicendi.* Sunt

[u] *om.* Jens. [x] primum Jens. *et, quod effugit oculatissimum Burmannum, Locatelli.* [y] autem Jens. [z] Socrates Jens. *et multi ap. Burm.*

29. *defens. Socr.*] Extant hodie in Platonis operibus cum Socratis apologia, tum ἐπιτάφιος λόγος, cui etiam Menexeni nomen præscripsit.

30. *orationem, quam ei Lysias*] Narrat copiose et eleganter Cic. de Orat. 1, 54: paullo aliter Val. Max. 6, 4. ext. 2. itemque Diog. Laert. 2, 40.

32. *victoria litigantis*] Aliter distinctus erat hic locus, *sed victoria, litigantis est præmium.* Mihi vero non videbatur de *præmio litigantis*, sed oratoris agi: si tamen de *præmio*: nobis certe multo magis placebat, quod est in primis editionibus, *primum*, quæ vox cum per compendium scriberetur, in *præmium* abiit. *Primum* quod spectat orator, finis quem sibi proponit, est victoria litigantis pro quo dicit.

33. *civilitatem*] Platonico sensu, πολιτικὴν, rationem civitatis Democraticæ regendæ, quæ omnis fere in oratione vel δημηγορίᾳ inest.

plures ejuſdem, ſed ad alias quæſtiones magis pertinent. Idem ſentiret finis hoc modo comprehenſus, *Perſuadere*
36 *quod oporteat*: niſi quod artem ad exitum alligat. Bene Areus, *Dicere ſecundum virtutem orationis*. Excludunt a rhetorice malos et illi, qui ſcientiam civilium officiorum eam putaverunt, ſi ſcientiam virtutem judicant: ſed anguſte, intraque civiles quæſtiones, coercent. Albutius, non obſcurus profeſſor atque auctor, *ſcientiam bene dicendi* eſſe conſentit: ſed exceptionibus peccat, adjiciendo, *circa civiles quæſtiones*, et *credibiliter*: quarum jam utrique re-
37 ſponſum eſt. Probabilis et illi voluntatis, qui *recte ſentire et dicere*, rhetorices putaverunt. Hi ſunt fere fines maxime illuſtres, et de quibus præcipue diſputatur. Nam omnes quidem perſequi, nec attinet, nec poſſum: cum pravum quoddam (ut arbitror) ſtudium circa ſcriptores Artium extiterit, nihil eiſdem verbis, quæ prior aliquis occupaſſet, finiendi: quæ ambitio procul aberit a me.
38 Dicam enim non utique quæ invenero, ſed quæ placebunt: ſicut hoc, *rhetoricen eſſe bene dicendi ſcientiam*: cum REPERTO quod eſt optimum, qui quærit aliud, pejus velit. His approbatis, ſimul manifeſtum eſt illud quoque, quem finem, vel quid ſummum et ultimum habeat rhetorice, quod τέλος dicitur, ad quod omnis ars tendit: nam ſi ipſa bene dicendi ſcientia; finis ejus et ſummum eſt bene dicere.

XVI. (XVII.) Sequitur quæſtio, *An utilis rhetorice?* Nam quidam vehementer in eam invehi ſolent: et, quod fit indigniſſimum, in accuſationem orationis utuntur oran-
2 di viribus: *Eloquentiam eſſe, quæ pœnis eripiat ſceleſtos, cujus fraude damnentur interim boni; conſilia ducantur in pejus; nec ſeditiones modo turbæque populares, ſed bella etiam inexpiabilia*[a] *excitentur; cujus denique tum maxime*[b] *ſit uſus,*
3 *cum pro falſis contra veritatem valet.* Nam et Socrati objiciunt comici, *docere eum, quomodo pejorem cauſſam melio-*

[a] inexpugnabilia Jenſ. *et Voſſ.* 1 *ac* 3 *ap. Burm.* [b] maximus G. Jenſ.

36. *exceptionibus peccat*] Quas nunc vocant reſtrictiones, determinationes, quibus anguſte nimis conſtringitur rhetorice. Verbo *excipere* eam vim adſeruimus ad Fabrum n. 3.

3. *pejorem cauſſam mel.*] Hoc eſt illud τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν, ita frequenter poſitum in Nubibus ab Ariſtophane: a qua perverſitate quantum abfuerit Socrates, vel Gorgias ſolus Platonis oſtendit. Speciem autem calumnia inde nanciſcebatur, quod in familiari congreſſu et diſputatione invicta quadam facultate eſſet Socrates evertendi et

rem faciat: et contra Tisiam et Gorgiam similia dicit pollicĕri Plato. Et his adjiciunt exempla Græcorum Roma- 4
norumque, et enumerant, qui pernicioſa, non ſingulis tantum, ſed rebus etiam publicis, uſi eloquentia, turbaverint [c] civitatium [d] ſtatus, vel everterint [e]: eoque et Lacedæmoniorum civitate expulſam: et Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur, velut reciſam orandi poteſtatem. Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec 5
magiſtratus, nec medicina, nec ipſa denique ſapientia. Nam et dux Flaminius, et Gracchi, Saturnini, Glauciæ [f], magiſtratus, et in medicis venena, et in iis, qui philoſophorum nomine male utuntur, graviſſima nonnumquam flagitia deprehenſa ſunt. Cibos aſpernemur; attulerunt 6
ſæpe valetudinis cauſſas: numquam tecta ſubeamus; ſuper habitantes aliquando procumbunt: non fabricetur miliți gladius; poteſt uti eodem ferro latro. Quis [g] neſcit ignes, aquas, ſine quibus nulla ſit vita; et (ne terrenis immorer) Solem Lunamque præcipua ſiderum, aliquando etiam nocere? Num igitur negabitur deformem Pyrrhi 7
pacem cæcus ille Appius dicendi viribus diremiſſe? aut non divina M. Tullii eloquentia et contra leges Agrarias popularis fuit? et Catilinæ fregit audaciam? et ſupplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Nonne [h] perterritos militum animos fre- 8
quenter a metu revocat oratio [i]? et tot pugnandi pericula ineuntibus [l], laudem vita potiorem eſſe perſuadet? Neque

[c] turbaverunt G. Jenſ. [d] civitatum G. Jenſ. [e] everterunt G. Jenſ.
[f] egere G. gere *V. C. Almel. unde Burm. ſuſpicatur* geſſere. [g] qui G. Jenſ.
[h] non G. [i] orator G. [l] adeuntibus G. Jenſ. *quod puto rectius.*

convellendi, quæ quis putaret certiſſima &c.

3. *contra Tiſiam*] Caveant non ſatis exercitati ne jungant, *contra Tiſiam*: *contra* eſt adverbium, *contra ea*, vel *ex altera parte*. Res patet ex Phædro et Gorgia.

4. *Athenis*] Poſt Phrynes abſolutionem, de qua 2, 15, 9. ψήφισμα ἐγράφη (Athenæus 13, 6.) μηδένα οἰκτίζεσθαι τῶν λεγόντων ὑπέρ τινος μηδὲ βλεπόμενον τὸν κατηγορούμενον, ἢ τὴν κατηγορεμένην κρίνεσθαι.

7. *cæcus ille Appius*] Cic. Bruto c. 14. *Poſſumus Appium Claudium ſuſpicari diſertum, quia ſenatum jam jam inclinatum a Pyrrhi pace revocavit.*

7. *et contra leg. Agrar.*] Obſervent juniores vim τῆς ET augendi et amplificandi. Idem vult quod Plinius 7, 30. ſ. 31. in Ciceronis elogio, *Te dicente, legem agrariam, hoc eſt alimenta ſua, abdicaverunt tribus*: de *centuriis* minus mirum fuerat, in his enim valent locupletes: cum *tribus* antiquant eas leges, quibus tenuioribus conſultum itur, major vis debet interceſſiſſe.

vero [m] me Lacedæmonii atque Athenienſes magis moverint, quam pop. Romanus, apud quem ſumma ſemper oratoribus dignitas fuit. Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos [n] fuiſſe, ut vaga illa multitudo coiret in populos, niſi docta voce commota: nec legum repertores [o] ſine ſumma vi orandi conſecutos, ut ſe ipſi homines ad ſervitutem juris adſtringerent. Quin ipſa vitæ præcepta, etiam ſi natura ſunt honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties [p] pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiam ſi in utramque partem valent arma facundiæ, non tamen eſt æquum id haberi malum, quo bene uti licet. Verum hæc apud eos fortaſſe [q] quærantur, qui ſummam rhetorices ad perſuadendi vim retulerunt. Si vero eſt *bene dicendi ſcientia*, quem nos finem ſequimur, ut ſit *orator* in primis *vir bonus*: utilem certe eam eſſe [r] conſitendum eſt. Et hercle deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem ſeparavit a ceteris, quæ quidem mortalia eſſent, animalibus, quam dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate præſtantiora in illis mutis videmus: eadem minus egere acquiſitæ extrinſecus opis. Nam et ingredi citius, et paſci, et tranare aquas, citra docentem, natura ipſa ſciunt. Et pleraque contra frigus ex ſuo corpore veſtiuntur, et arma [s] his ingenita quædam, et ex obvio fere victus: cir-

[m] *om.* Jenſ. [n] affecturos Jenſ. *et Cod. Regii.* [o] oratores G. Jenſ. [p] *Illud admirabile* conſequens *hic etiam habet, et quoties occurrit* quoties, G. [q] forſitan G. Jenſ. [r] eſſe eam G. [s] armis ingenita G. *et al.* MSS. *ap. Bur. quod forte non abſurdum, quaſi* in armis nata. Vid. ad 2, 17, 13. no. m.

10. *quo bene uti licet*] Vereor ut aliquis e Socratis ſchola philoſophus hic ſubjiciat, ne bonum quidem eſſe, quo male uti aliquis poſſit: et alioquin venena etiam, et calumniæ, et nihil non malorum eſt, unde non magna vis boni et commoditatis redire ad aliquos poſſit.

11. *quærantur*] Viri docti, qui *querantur* mallent, non videntur attendiſſe, *quærantur* hic idem eſſe, quod de his ambigatur, dubitetur, in utramque partem diſputetur. Qui aliter quam a nobis factum definierunt rhetoricen, apud hos diſputari poteſt, *utilis ne ſit? bona ne ſit rhetorice?* apud nos ex ipſo fine, quem dedimus, patet, utilem eſſe, bonam eſſe.

12. *quæ quidem mortalia eſſent*] Notum, de veterum quorundam ſententia ſolem, ſtellas, eſſe animalia, et tamen, quæcunque ſupra lunam ſunt, immortalia.

13. *Nam corpora quidem*] Locum illum communem eleganter tractat Plinius procœmio libri ſeptimi.

14. *veſtiuntur*] Illas veſtes ita enarrat l. c. Plinius; *Cæteris varie tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, velleraa.*

ea quæ omnia multus[t] hominibus labor eſt. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, ejuſque nos ſocios eſſe cum diis immortalibus voluit. Sed ipſa ratio neque tam nos 15
juvaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi, quæ concepiſſemus mente, promere etiam loquendo poſſemus: quod magis deeſſe ceteris animalibus, quam intellectum et cogitationem quamdam videmus. Nam et moliri cubi- 16
lia, et nidos texere, et educare fœtus, et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia ſunt cerarum et mellis, efficere, nonnullius fortaſſe rationis eſt: ſed quia carent ſermone quæ id faciunt, *muta* atque *irrationabilia* vocantur. Denique 17
homines, quibus negata vox eſt, quantulum adjuvat animus ille cœleſtis? Quare[u] ſi nihil a diis oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præſtare hominibus, quam quo ipſi homines ceteris animalibus præſtant? Eo quidem magis, 18
quod nulla in parte[x] plenius labor gratiam refert. Id adeo manifeſtum erit, ſi cogitaverimus,[y] unde, et quouſque jam provecta ſit orandi facultas, et adhuc augeri poteſt. Nam ut omittam, defendere amicos, regere conſiliis 19
ſenatum, populum, exercitum in quæ velit[z] ducere, quam ſit utile, conveniatque bono viro: nonne pulchrum vel hoc ipſum eſt, ex communi intellectu, verbiſque, quibus utuntur omnes, tantum aſſequi laudis et gloriæ, ut non loqui et orare, ſed quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare videaris?

[t] multis G. *et optimi quique MSS.* *Et ſane Plin.* 2, 63. Quot atteruntur manus, ut unus niteat articulus? [u] Quodſi G. [x] *Sic* G. *et optimi quique MSS.* parte *al.* [y] et *inf.* G. Jenſ. [z] vult G. Jenſ.

15. *quam intellectum*] Quin argumentum potentiſſimum contra animalium cæterorum præter hominem rationem inde peti videtur, quod cum non careant omnia loquendi inſtrumento; quædam etiam ſermonem humanum imitentur; tamen loqui, et ſermones nobiſcum miſcere non diſcunt.

18. *et adhuc augeri poteſt*] Hæc verba habent illa quidem ſatis apertam ſententiam, qua adfirmatur, quod alias multis verbis defenditur, ſupereſſe majus quoddam faſtigium et propiorem quaſi ad perfectum oratorem gradum: ſed quid hoc ad præſens argumentum faciat, non ita apertum forte eſt omnibus. Ego ita putabam. Rhetorice ſuis cultoribus utilis eſt, ut adhuc vidimus, et laborem ſibi inſumtum magnis penſat præmiis, licet nondum plane abſoluta ſit; quid igitur fiet, cum ad altius faſtigium fuerit evecta?

19. *Pericli*] De quo celebratum illud Ariſtoph. Acharn. 530. Ἥρπαζεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα, ubi quoties alii auctores ad hos Ariſtophanis verſiculos reſpexerint, com-

XVII. (XVIII.) Finis non erit, si exspatiari parte in hac, et indulgere voluptati velim. Transeamus igitur ad
2 eam quæstionem, quæ sequitur, an *rhetorice ars sit*. Quod quidem adeo ex iis, qui præcepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis librorum titulis testatum sit, scriptos eos *de arte rhetorica*: Cicero vero etiam, quæ *rhetorice* vocetur, esse *artificiosam eloquentiam* dicat. Quod non oratores tantum vindicarunt, ut studiis aliquid suis præstitisse videantur: sed cum his Philosophi, et Stoici,
3 et Peripatetici plerique, consentiunt. Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quæstionis tractandam putarem: nam quis est adeo, non ab eruditione modo, sed a sensu remotus hominis, ut fabricandi quidem, et texendi, et e[a] luto vasa ducendi *artem* putet, *rhetoricen* autem, maximum, ac pulcherrimum (ut supra diximus) opus, in
4 tam sublime fastigium existimet *sine arte* venisse? Equidem illos, qui contra disputarunt, non tam sensisse quod dicerent, quam exercere ingenia materiæ difficultate credo voluisse: sicut Polycratem, cum Busirim laudaret, et Clytæmnestram: quamquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem, quæ est habita contra Socratem, di-

[a] *e om.* G.

memorat Kusterus. Add. Aristid. ὑπὲρ τῶν τεττάρων, in quibus est nempe Pericles p. 129. et 137. Jebb. Illud observabile est, Comicum his de Pericle verbis uti in eo argumento, ubi indignatur, quantum malorum Græciæ Pericles propter aliquot meretriculas pepererit: quo nomine refertur hic locus etiam ab Athenæo 13, 9. unde illustratur noster 12, 10, 24. Cæterum qui orationem tonitru comparaverint, laudat Burm. ad Petro. 2. p. 10. Add. Fabius 12, 10, 65.

1. *Finis non erit*] Non abrupit profecto hic sermonem Fabius, aut numeros interposuit, sed quam commodissime potuit ad aliam quæstionem transit, interpositis verbis quæ membrum unum alteri ita adjungerent, ut commissura vix appareat.

2. *nemo dubitavit*] Disputatur tamen ea de re apud Cic. de Orat. 1, 19. sqq. Add. Cic. Brut. 6. *Sive illa arte pariatur aliqua, sive exercitatione quadam, sive natura.* Cæterum de hac quæstione fere omnia occurrunt etiam ap. Sextum Empir. adv. Math. lib. 2. qui est adv. Rhetores.

2. *artificiosam eloquentiam*] De Inv. 1, 5.

3. *supra diximus*] Cap. proximo.

4. *orat. contra Socr.*] Repetit 5, 1, 11. Sed caute, *a quo scriptam in Socratem diximus orationem*, ut hic, *composuisse dicitur*. Nimirum scripsit ille quidem accusationem, sed non eam qua usi sunt Anytus et Melitus, ut plerisque placet, verum declamatoriam, similem proinde laudationi Busiridis. Ostendit hæc Perizo. ad Ælia. 11, 10. ex Isocratea Busiridis laudatione Polycrati oppositа, quæ antiquissimam habet ejus rei mentionem. Et sane illam si legas, non nisi de declama-

citur. Quidam naturalem esse rhetoricen volunt, et tamen 5
adjuvari exercitatione non diffitentur: ut in libris Ciceronis
de Oratore dicit Antonius, *observationem* quamdam esse, *non*
artem. Quod non ideo, ut pro vero accipiamus, est posi- 6
tum; sed ut Antonii persona servetur [b], qui dissimulator
artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lysias vide-
tur: cujus sententiæ talis defensio est, quod indocti, et
barbari, et servi, pro se cum loquuntur, aliquid dicant si-
mile principio, *narrent*, *probent*, *refutent*, et (quod vim ha-
beat epilogi) *deprecentur*. Deinde adjiciunt illas verbo- 7
rum cavillationes, *Nihil quod ex arte fiat, ante artem fuisse*:
atqui dixisse homines pro se, et in alios semper: doctores
artis, sero jam, et circa Tisiam et Coraca primum reper-
tos: orationem igitur ante artem fuisse, eoque artem non
esse. Nos porro quando cœperit hujus rei doctrina, non 8
laboramus exquirere [c]: quamquam apud Homerum, et [d]
præceptorem Phœnicem tum agendi, tum etiam loquendi,
et oratores plures, et omne in tribus ducibus orationis
genus, et certamina quoque proposita eloquentiæ inter
juvenes, invenimus: quin [e] in cælatura clypei Achillis et
lites sunt, et actores. Illud [f] admonere satis est, *omnia*, 9
quæ ars consummaverit, a natura initia duxisse. Aut tolla-
tur *medicina*, quæ ex observatione salubrium, atque his
contrariorum, reperta est, et ut quibusdam placet, tota
constat experimentis: nam et vulnus deligavit aliquis

[b] servaret G. *forte* servaretur. [c] exquirere *om.* G. *et potest sane abesse.*
[d] etiam G. Jens. [e] et in *conjic. Regius.* et in vindicatura clypei *conj. Asconius, h. e. in certamine Ulyssis et Ajacis.* [f] enim *inf.* Jens.

tione cogitare possis: et ita loquitur Laertius Diogenes 2, 38 et 39. ut incertum esse appareat. Cæteri, quos laudat Menag. ad l. c. Laertii, improvide superiorum dicta acceperunt.

5. *in libris Ciceronis*] De Orat. 1, 20. et 2, 7.

8. *Phœnicem*] Vid. supra 2, 3, 12.

8. *in tribus ducibus*] Vid. noster infra 12, 10, 64.

8. *in cælatura clypei*] Ω. Σ. 497, sqq.

—ἔνθα δὲ νεῖκος
Ὤρορε· δὺο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
Ἀνδρὸς ἀποφθιμένου· ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι,
Δήμῳ πιφαύσκων· ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι.
Ἄμφω δ' ἰέσθην ἐπὶ ἴστορι πεῖραρ ἑλέσθαι. κ. τ. λ.

Sunt plusscula, quibus plenum judicii paratum et ornatum describit divinus poeta.

9. *constat experimentis*] Poterat adjicere Fabius, si declamare animus illi fuisset, ne hominum quidem esse experimenta omnia, sed ex parte etiam animalium. Suma-

ante quam hæc ars eſſet: et febrem quiete et abſtinentia, non quia rationem videbat, ſed quia id valetudo ipſa coe-
10 gerat, mitigavit. Nec *fabrica* ſit ars: caſas enim primi illi ſine arte fecerunt: nec *muſica*: antatur ac ſaltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita, ſi *rhetorice* vocari debet ſermo quicumque: fuiſſe eam, antequam eſſet ars,
11 confitebor. Si vero non quiſquis loquitur, orator eſt, et tum non tamquam oratores loquebantur: neceſſe eſt oratorem factum arte, nec ante artem fuiſſe fateantur. Quo illud quoque excluditur, quod dicunt, non eſſe artis id, quod faciat, qui non didicerit; dicere autem homines et
12 qui non didicerunt. Ad cujus rei confirmationem afferunt, Demadem remigem et Æſchinem hypocriten [g] oratores fuiſſe. Falſo: nam neque orator eſſe, qui non didicit, poteſt: et hos ſero potius, quam numquam didiciſſe quis dixerit: quamquam Æſchines ab initio ſit verſatus in literis, quas pater ejus etiam docebat; Demadem neque non didiciſſe certum ſit, et continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantuſcumque poſtea [h] fuit, feciſſe:
13 nam id potentiſſimum diſcendi [i] genus eſt. Sed et [l] præſtantiorem, ſi didiciſſet, futurum fuiſſe dicere licet [m]. Neque enim orationes ſcribere eſt auſus, ut eum multum va-
14 luiſſe [n] in dicendo ſciamus. Ariſtoteles, ut ſolet, quærendi gratia, quædam ſubtilitatis ſuæ argumenta excogitavit in Gryllo [o]: ſed idem et *de arte rhetorica* tres libros ſcrip-

[g] Hyperidem G. Hippocratem Jenſ. *ridicule uterque.* [h] pœna *hic et alias* G. *ex compendio poca.* [i] dicendi G. [l] adhuc *inſ.* G. [m] licebit G. Jenſ. [n] invaluiſſe dicendo G. *Vid. ad* 2, 16, 14. *not. ſ.* [o] Gyrlo G. Gryrlo Jenſ.

mus ſumma illa præſidia medicorum: venæ ſectionem hippopotamus monſtravit, Plin. 8, 26. ſ. 40: vomitione canes, clyſtere ibes Ægyptiæ prius quam homo uſæ, Cic. de Nat. Deor. 2, 50. ubi plures id genus medicinas commemorat: copioſiſſimus eſt Plinius 8, 27.

12. *Demadem—Æſchinem*] De illo Sextus Empir. adv. Grammaticos 2, 16. ubi quæ alii omnia laudat Fabricius p. 291. Æſchinem paſſim hoc nomine, quod hypocrites, h. e. actor fuerit, mordet oratione pro Corona Demoſthenes, ubi ὑποκρίνεσθαι illum ait, αὐτοτραγικὸν πῶϑηκεν vocat (ſ. 71.) Aperte autem ſ. 40. et ſq. imprimis ſ. 79. quem locum Camerarius jam laudavit, παῖς μὲν ὢν μετὰ πολλῆς ἐνδείας ἐτράφης, ἅμα τῷ πατρὶ σφῶν τὸ διδασκαλεῖον προσεδρεύων καὶ τὸ μέλαν τρίβων, καὶ τὰ βάθρα σπογγίζων καὶ τὸ παιδαγωγεῖον κοσμῶν οἰκέτου τάξιν ἐκ ἐλευθέρου παιδὸς ἔχων &c. totam enim vitam viri perſtringit.

13. *præſtantiorem, ſi didiciſſet*] Cic. pro Archia c. 7. *Cum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam conformatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolere exiſtere.*

14. *in Gryllo*] Laudavit Burmannus Laert. 2, 54. et ibi Menag. Add. Epiſtola viri doctiſſ. p. 78.

sit, et in eorum primo non artem solum eam fatetur, sed ei particulam [p] civilitatis, sicut dialecticis, assignat. Multa 15
Critolaus contra, multa Rhodius Athenodorus. Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidem, qua rhetorices accusationem professus est. Nam de Epicuro, qui disciplinas omnes fugit, nihil miror. Hi complura dicunt, 16
sed ex paucis locis ducta. Itaque potentissimis eorum breviter occurram, ne in infinitum quæstio evadat. Prima his argumentatio *ex materia* est. Omnes enim artes aiunt 17
habere *materiam*; quod est verum: rhetorices *nullam* esse *propriam*; quod esse falsum in sequentibus probabo. Al- 18
tera est calumnia, nullam artem falsis assentiri opinionibus, quia constitui sine perceptione [q] non possit, quæ semper vera sit: *rhetoricen* assentiri falsis: non esse igitur artem. Ego *rhetoricen* [r] nonnumquam dicere falsa pro veris confi- 19
tebor; sed non ideo in falsa quoque esse opinione concedam: quia longe diversum est, ipsi quid videri, et ut alii videatur, efficere: nam et imperator falsis utitur sæpe; ut Hannibal, cum inclusus a Fabio, sarmentis circa cornua boum deligatis, incensisque, per noctem in adversos

[p] portiunculam *MSS. aliquot ap. Burm.* [q] præceptione *omnes*, præter Steph. in marg. [r] rhetoricam G. Jens.

14. *particulam civilitatis*] Rhetor. 1, 2, 15. ὥςε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν, οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δικαιόν ἐςι πρσαγορεύειν πολιτικήν· διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορική, καὶ οἱ ἀντιποιήμενοι ταύτης τὰ μὲν δι' ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ δι' ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς.

15. *Critolaus*] De hoc, itemque Athenodoro et Agnone, quæ maxime necessaria sunt, in Indice dicemus.

15. *de Epicuro*] *Qui fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubet*, noster infra 12, 2, 24. Noti sunt Ciceronis joci et seria in ruditatem illius scholæ.

18. *perceptione*] Reposui, quod voluit Turnebus, quod multis suffragatoribus reponendum suasit ad 2, 17, 41. Almeloveenius, non improbante ipso Burmanno, quem vide epistol. p. 15. Notum scilicet καταλήψεως vocabulum hac in re propriam quasi sedem atque domicilium habere, cui non tam *præceptio* respondet (bona alioquin vox, et describendæ arti commodata, quæ in omnibus etiam libris, ut notior, legitur) quam *perceptio*. *Præceptiones* possunt falsæ esse, *perceptiones* καταλήψεις, non item. Cic. de Orat. 1, 23. *Si ars ita definitur, ex rebus penitus perspectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio sejunctis, scientiaque comprehensis* &c. Versatur ergo tota argumentatio, quam proponit Fabius, in hoc syllogismo; Ars non est falsarum opinionum, sed perceptionum, rhetorica autem assentitur falsis opinionibus, ergo non est ars. Si quis adhuc dubitas, fac ut Lucullum Ciceronis legas s. Academicorum secundum, certe c. 8. et quæ ibi de hoc ipso Quinctiliani loco Pe. Faber. p. 304. Davis.

montes agens armenta, ſpeciem hoſti abeuntis exercitus dedit: ſed illum fefellit; ipſe, quid verum eſſet, non ig-
20 noravit. Nec vero Theopompus Lacedæmonius, cum permutato cum uxore habitu e cuſtodia, ut mulier, evaſit, falſam de ſe opinionem habuit, ſed cuſtodibus præbuit. Item orator, cum falſo utitur [s] pro vero, ſcit eſſe falſum, eoque ſe pro vero uti: non ergo falſam habet ipſe opinio-
21 nem, ſed fallit alium. Nec Cicero, cum ſe tenebras offudiſſe judicibus in cauſſa Cluentii gloriatus eſt, nihil ipſe vidit. Et pictor, cum vi artis ſuæ efficit [t], ut quædam eminere in opere, quædam receſſiſſe credamus, ipſe
22 ea plana eſſe non neſcit. Aiunt etiam, *omnes artes habere finem aliquem propoſitum, ad quem tendant:* hunc modo nullum eſſe in rhetorice, modo non præſtari eum, qui promittatur. Mentiuntur: nos enim eſſe finem jam of-
23 tendimus, et quis eſſet, diximus. Præſtabit hunc ſemper orator, ſemper enim bene dicet. Firmum autem hoc, quod opponitur, adverſus eos fortaſſe ſit, qui perſuadere finem putaverunt. Noſter orator, arſque a nobis finita, non ſunt poſita in eventu. Tendit quidem ad victoriam, qui dicit: ſed cum bene dixit, etiam ſi non vincat, id,
24 quod arte continetur, effecit. Nam et gubernator vult ſalva nave in portum pervenire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum
25 illud, *Dum clavum rectum teneam.* Et medicus ſanitatem

[s] uteretur pro vero, ſit Jenſ. *male.* [t] effecit G. *pulchre.*

20. *Theopompus Lacedæmonius*] Narrat hiſtoriam, et forte ſolus, Polyænus ſtrateg. 8, 34. p. 771. Maſvic.

21. *Nec Cicero*] Nondum occurrit mihi locus, ubi hoc gloriatus ſit Tullius.

24. *Dum clavum rectum teneam*] *Notum hoc* hodie forte non omnibus notum eſt. Itaque repetemus ab Ariſtide potiſſimum, ut qui ipſa verba gubernatoris retulerit Rhodiaca 1. p. 542. Jebb. Jubet enim Rhodios qui tum erant, εἶναι πρὸς τὴν τύχην λαμπρὰς, ἐνθυμηθέντας (ὑμᾶς) τὸν τῷ πολίτῃ κυβερνήτῃ λόγον, ὃς ἔφη χειμαζομένης αὐτῷ τῆς νεὼς, ἢ καταδύσεσθαι προσδοκᾶν, τοῦτο δὲ τὸ θρυλλάμενον· ἀλλ', ὦ Πόσειδον, ἴσθι ὅτι ὀρθὸν τὸν ναῦν καταδύσω· ὡς οὐδὲν ἂν πράξας ἀγενὲς οὐδὲ ταπεινὸν οὐδὲν τοῖς παροῦσιν, ἀλλὰ πάντα ἂν τὰ αὐτῷ πληρώσας πρότερον ἢ κακῶς ἀπολέμενος· ὡς τῷ μὲν ἀπολέσθαι ἢ καταδῦναι τὴν ναῦν τὸν τύχην κυρίαν οὖσαν αἰεὶ, τῷ δὲ ἃ χρὴ πρᾶξαι περὶ τούτου, ὑκέτ' ἐν ἄλλῳ τὸν ἀπαίτησιν, ἀλλ' αὐτὸν αὐτῷ τινα τοῦτο ὀφείλοντα. Teletes περὶ περιςάσεων apud Stobæum ſerm. 106. p. 577, 53. brevius ita, Ἀλλ' ἴσχε ὦ Πόσειδον ὀρθήν. At Cic. ad Q. Fr. 1, 2, 4. ὀρθὸν τὸν ναῦν. Sen. epiſt. 85. *Neptune nunquam hanc navem niſi rectam!* Debentur pleraque Gu. Cantero Nov. Lect. 7, 26. quem hic laudavit Almeloveenius. Ut omnia hic legantur, addimus et illud, quod Turnebus et Burmannus obſervarunt, eſſe inter fragmenta Enniana, *Ut clavum rectum teneam, navim*

ægri petit: si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidit. Ita oratori bene dixisse finis est. Nam est *ars* ea, ut post paullum clarius ostendemus, *in actu* posita, *non in effectu*. Ita falsum erit illud quoque, quod dicitur, *Artes* 26
scire, quando sint finem consecutæ, rhetoricen nescire. Nam se quisque bene dicere intelligit. Uti etiam vitiis rhetoricen, quod ars nulla faciat, criminantur: quia et falsum dicat, et affectus moveat. Quorum neutrum est turpe, 27
cum ex bona ratione proficiscitur: ideoque nec vitium. Nam et mendacium dicere, etiam sapienti aliquando concessum est: et affectus, si aliter ad æquitatem perduci judex non poterit, necessario movebit orator. Imperiti enim 28
judicant, et qui frequenter in hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. Nam si mihi sapientes judices dentur, sapientum conciones, atque omne concilium, nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio præsumta, falsique testes: perquam sit exiguus eloquentiæ locus, et prope in sola delectatione ponatur. Sin et audientium mobiles animi, et tot malis 29
obnoxia veritas: arte pugnandum est, et adhibenda quæ prosunt. Nec enim, QUI recta via depulsus est, reduci ad eam, nisi alio flexu potest. Plurima vero ex eo contra 30
rhetoricen cavillatio est, quod ex utraque causæ parte dicatur. Inde hæc, *Nullam esse artem sibi contrariam*; rhetoricen esse contrariam sibi: *nullam artem destruere quod effecerit*; accidere hoc rhetorices operi: item, *Aut dicenda eam docere, aut non dicenda*; itaque vel per hoc non esse artem, quod non dicenda præcipiat: vel per hoc, quod, cum dicenda præceperit, etiam contraria his doceat. Quæ omnia apparet de ea rhetorice dici, quæ sit a 31
bono viro atque ab ipsa virtute sejuncta: alioqui ubi injusta[u] causa est, ibi rhetorice non est: adeo ut vix[x] [ex]

[u] justa G. *male*. [x] vix *om.* G. *et V. C. Alm.* ex *om. al.*

que gubernem. Vid. Hier. Colum. p. 102. Hessel. et Merula p. 101, qui legi vult, *ut clavom rectum teneant, navimque gubernent*, quasi ad exercendos nautas pertineret: sed quidni etiam apud Ennium fuerit vox ducis, vel certe gubernatoris: præsertim cum ita legatur in antiquis Isidori libris Orig. 19, 2.

31. *ibi rhetorice non est*] Accipe eo intellectu, quo dicebatur quondam, *qui fur, qui adulter, qui avarus est, Christianus non est*. Non est sermo de professione externa, sed de vi professionis propria, si ea nihil mentiatur.

31. *ut vix ex admirabili casu*] *Vix ex* non ita junxisse Fabium,

admirabili quodam casu possit accidere, ut ex utraque
32 parte orator, id est vir bonus dicat. Tamen quoniam hoc quoque in rerum naturam cadit, ut duos sapientes aliquando justæ causæ in diversum trahant, quando etiam pugnaturos eos inter se, si ratio ita duxerit, credunt; respondebo propositis: atque ita quidem, ut appareat, hæc adversus eos quoque frustra excogitata, qui malis moribus
33 nomen oratoris indulgent. Nam *rhetorice non est contraria sibi*. Causa enim cum causa, non illa secum ipsa componitur. Nec si pugnent inter se, qui idem didicerunt: idcirco ars, quæ utrique tradita est, non erit: alioqui nec armorum; quia sæpe gladiatores, sub eodem ma-
34 gistro eruditi, inter se componuntur: nec gubernandi; quia navalibus præliis gubernator est gubernatori adversus: nec imperatoria; quia imperator cum imperatore contendit. Item non evertit opus rhetorice, quod efficit[z]: neque enim positum a se argumentum solvit orator, sed ne rhetorice quidem: quia apud eos, qui in persuadendo finem putant, aut si quis (ut dixi) casus, duos inter se bonos viros composuerit, verisimilia quærentur: non autem siquid est altero credibilius, id ei contrarium est,
35 quod fuit credibile. Nam ut candido candidius, et dulci dulcius non est adversum, ita nec probabili probabilius. Nec præcipit umquam non dicenda, nec dicendis con-
36 traria, sed quæ in quaque causa dicenda sunt. Non semper autem, etiamsi frequentissime, tuenda veritas erit, sed aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa

[z] effecit G. *bene*.

pignore posito contenderim: alterutrum ex errore scribentis ortum puto, indeque etiam alterum fere omitti: τὸν *ex* sententiæ nihil conferre, apertum est.

32. *hæc adversus eos quoque*] Hoc vult; illud argumentum, de arte se ipsam non oppugnante, ne eos quidem ferit, qui oratorem posse esse malum virum concedunt; nedum, qui illud nomen solis bonis vindicant.

34. *quia apud eos*] Hæc vulgo corrupta putantur, et medicina circumspicitur. Sed videmur nobis sustulisse difficultatem interpuncto majori sublato post verbum *quærentur*; quo facto ita cohærere sibi oratio potest. Non evertit opus suum orator, aut rhetorice adeo, ne tum quidem, cum orator in persuadendo finem rhetorices ponit, ac quovis proinde modo persuadere studet, et quæ sibi obstant vera destruere; neque tum, cum casus, de quo antè dictum, rarissimus duos inter se bonos viros committit, quorum alteruter necessario verum videtur oppugnare: *apud hos enim verisimilia quærentur*: ut vicerit is, cujus causa visa fuerit verisimilior, credibiliorque: *non autem si quid est altero credibilius* &c.

defendantur [a]. Ponuntur hæ quoque in ſecundo Ciceronis de oratore libro contradictiones, *Artem earum rerum eſſe, quæ ſciantur: oratoris omnem actionem opinione, non ſcientia contineri; quia et apud eos dicat, qui neſciant, et ipſe dicat aliquando, quod neſciat.* Ex his alterum, id eſt, an ſciat judex, de quo dicatur, nihil ad oratoris artem: alteri reſpondendum, *Ars earum rerum eſt, quæ ſciuntur.* Rhetorice ars eſt bene dicendi, bene autem dicere ſcit orator. Sed neſcit an verum ſit, quod dicit. Ne hi quidem, qui ignem aut aquam, aut quatuor elementa, aut corpora inſecabilia eſſe, ex quibus res omnes initium duxerunt, tradunt; nec qui intervalla ſiderum, et menſuras ſolis ac terræ colligunt: diſciplinam tamen ſuam, *artem* vocant. Quod ſi ratio efficit, ut hæc non opinari, ſed propter vim probationum ſcire videantur; eadem ratio idem præſtare oratori poteſt. Sed an cauſſa vera ſit, neſcit. Ne medicus quidem, an dolorem capitis habeat, qui hoc ſe pati dicet: curabit tamen, tamquam id verum ſit, et erit ars medicina. Quid? quod rhetorice non utique propoſitum habet ſemper vera dicendi, ſed ſemper veriſimilia? ſcit autem eſſe veriſimilia, quæ dicit. Adjiciunt his, qui contra ſentiunt, quod ſæpe quæ in aliis litibus impugnarunt actores cauſſarum, eadem in aliis defendant. Quod non artis, ſed hominis eſt vitium. Hæc ſunt præcipua, quæ contra rhetoricen dicantur [b]: alia et minora, et tamen ex his fontibus derivata. Confirmatur autem eam *eſſe artem*, breviter. Nam ſive (ut Cleanthes voluit) *ars eſt poteſtas via*, id eſt, *ordine efficiens*; eſſe certe viam atque ordinem in bene dicendo nemo dubitaverit: ſive ille ab omnibus fere probatus finis obſervatur, artem conſtare ex præceptionibus conſentientibus et coexercitatis ad finem

37 38 39 40 41

[a] defendat G. Jenſ. *intell.* rhetorice. [b] dicuntur G.

36. *de oratore*] Ex Antonii perſona c. 7.

40. *quæ in aliis litibus impug.*] Antonius apud Ciceronem de Orat. 2, 7. *Et nos contrarias ſæpe cauſſas dicimus, non modo ut Craſſus contra me dicat aliquando, aut ego contra Craſſum; cum alterutri neceſſe ſit falſum dicere: ſed etiam ut uterque noſtrum eadem de re alias aliud defendat, cum plus uno verum eſſe non poſſit.* Reſpondet ex parte ipſe Cicero pro Cluent. c. 50. ſq.

41. *ex præcept. conſent.*] *Perceptionibus* legi volunt viri doctiſſimi. Vid. ad 2, 17, 18. ubi rebus neceſſariis, ut nobis videbatur, adducti *perceptiones* repoſuimus. Hic non auſi ſumus lectionem omnium librorum loco movere: quod nihil impedit, quo minus *præceptiones* etiam definitionem artis ingrediantur: quamquam omnino alterum illud Græcæ diſciplinæ magis con-

vitæ utilem; jam oſtendimus nihil non horum in rhetorice ineſſe[c]. Quid? quod et inſpectione et exercitatione, ut artes ceteræ, conſtat? Nec poteſt ars non eſſe, ſi ars eſt dialectice, quod fere conſtat: cum ab ea ſpecie magis quam genere differat. Sed nec illa omittenda ſunt, qua in re alius ſe inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea eſſe artem: et in eo, quod qui didicerit, melius faciat, quam qui non didicerit, eſſe artem. Atqui non ſolum doctus indoctum, ſed etiam doctior doctum in rhetorices opere ſuperabit; neque eſſent ejus aliter tam multa præcepta, tamque magni, qui docerent. Id quod cum omnibus confitendum eſt, tum nobis præcipue, qui rationem dicendi a bono viro non ſeparamus.

XVIII. (XIX.) Cum ſint autem[d] artium aliæ poſitæ in inſpectione, id eſt cognitione et æſtimatione rerum, qualis eſt *Aſtrologia*, nullum exigens actum, ſed ipſo rei, cujus ſtudium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ vocatur: aliæ in agendo, quarum in hoc finis eſt, et ipſo actu perficitur, nihilque poſt actum operis relinquit, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis eſt *ſaltatio*: aliæ in effectu, quæ operis, quod oculis ſubjicitur, conſummatione[e] finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis eſt *pictura*: fere judicandum eſt *rhetoricen* in actu conſiſtere: hoc enim, quod eſt officii ſui, perficit. Atque ita ab omnibus[f] dictum eſt. Mihi autem videtur etiam ex illis ceteris artibus multum aſſumere. Nam et poteſt aliquando ipſa res per ſe inſpectione eſſe contenta. Erit enim *rhetorice* in oratore etiam tacente: et ſi deſierit[g] agere, vel propoſito vel aliquo caſu impeditus; non magis deſinet eſſe orator, quam medicus, qui curandi fecerit finem. Nam eſt aliquis, ac neſcio an maximus etiam, ex ſecretis ſtudiis fructus, ac tum pura voluptas literarum, cum ab actu, id eſt opere, receſſerunt, et contemplatione ſui fruuntur. Sed effectivæ[h] quoque aliquid ſimile ſcriptis orationibus, vel hiſtoriis (quod ipſum opus in parte oratoria merito ponimus) conſequetur. Si tamen una ex tribus artibus habenda ſit, quia maximus ejus uſus actu continetur, atque eſt in eo frequentiſſima; dicatur *activa*, vel *adminiſtrativa*: nam et hoc ejuſdem rei nomen eſt.

[c] eſſe G. [d] igitur G. [e] conſummationem non finem G. Jenſ. [f] hominibus Jenſ. [g] defuerit G. [h] *Sic* G. *et* Locat. Steph. Col. effective al.

venit; quod in primis oſtendit laudatus ab Almeloveenio Voſſius de natura Logices c. 2.

XIX. (XX.) Scio quæri etiam, *naturane* plus ad elo-
quentiam conferat, *an doctrina*. Quod ad propoſitum qui-
dem noſtri operis nihil pertinet: nec enim conſummatus
orator, niſi ex utroque fieri poteſt: plurimum tamen re-
ferre arbitror, quam eſſe in hoc loco quæſtionem velimus.
Nam ſi parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura 2
etiam ſine doctrina multum valebit, doctrina nulla eſſe
ſine natura poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus
quidem utriſque majus adhuc naturæ credam eſſe mo-
mentum, conſummatos autem plus doctrinæ debere, quam
naturæ, putabo, SICUT terræ, nullam fertilitatem haben-
ti, nihil optimus agricola profuerit; e terra uberi utile
aliquid, etiam nullo colente, naſcetur; at in ſolo fecundo
plus cultor, quam ipſa per ſe bonitas ſoli, efficiet. Et ſi 3
Praxiteles ſignum aliquod ex molari lapide conatus eſſet
exſculpere, Parium marmor mallem rude: at ſi illud idem
artifex expoliſſet, plus in manibus fuiſſet, quam in mar-
more. Denique natura materia[l] doctrinæ eſt: hæc fingit,
illa[l] fingitur. Nihil ars ſine materia: materiæ etiam ſine
arte pretium eſt. Ars ſumma, materia optima melior.

XX. (XXI.) Illa quæſtio eſt major[m], ex mediis arti-
bus, quæ neque laudari per ſe, neque vituperari poſſunt,
ſed utiles, aut ſecus ſecundum mores utentium fiunt, ha-
benda ſit rhetorice; an ſit, ut compluribus etiam philoſo-
phorum placet, virtus. Equidem illud, quod in ſtudiis 2
dicendi plerique exercuerunt et exercent, aut *nullam ar-
tem*, quæ ἀτεχνία nominatur, puto, (multos enim video,
ſine literis, qua vel impudentia vel fames duxit, ruentes)
aut *malam* quaſi *artem*, quam κακοτεχνίαν dicimus. Nam
et fuiſſe multos, et eſſe nonnullos exiſtimo, qui facultatem
dicendi ad hominum perniciem converterunt. Ματαιοτεχ- 3
νία[n] quoque eſt quædam, id eſt ſupervacua artis imitatio,
quæ nihil ſane nec boni nec mali habeat, ſed vanum la-
borem: qualis illius fuit, qui grana ciceris, ex ſpatio diſ-
tante miſſa, in acum continuo et ſine fruſtratione inſere-
bat: quem cum ſpectaſſet Alexander, donaſſe dicitur ejuſ-
dem leguminis modio: quod quidem præmium fuit illo

[l] *Sic* G. *alii, puto, omnes* materiæ, ars doctrinæ. [l] vero *inſ.* Jenſ. [m] an *inſ. quædam editt.* [n] ἑτεροτεχνία G.

3. *natura materia doctrinæ*] Ita aperta eſt et neceſſaria lectio, quam e Gothana membrana protulimus, ut non opus ſit factum noſtrum defendere. Natura eſt materia, ſolum, marmor, in quo verſatur doctrina. Quæ ante legebantur, ſententiam habebant nullam.

4 opere digniſſimum. His ego comparandos exiſtimo, qui in declamationibus, quas eſſe veritati diſſimillimas [o] volunt, ætatem multo ſtudio ac labore conſumunt. Verum hæc, quam inſtituere conamur, et cujus imaginem animo concepimus, quæ bono viro convenit, quæque eſt vera
5 rhetorice, virtus erit. Quod philoſophi [p] quidem multis et acutis concluſionibus colligunt: mihi vero etiam planiore hac, proprieque noſtra probatione videtur eſſe perſpicuum. Ab illis [q] hæc dicuntur. Si conſonare ſibi in faciendis ac non faciendis, virtutis eſt, quæ pars ejus *prudentia* vocatur, eadem in dicendis ac non dicendis erit.
6 Et ſi virtutes ſunt, ad quas nobis etiam, ante quam doceremur, initia quædam ac ſemina ſunt conceſſa natura, ut ad juſtitiam, cujus ruſticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago: nos certe ſic eſſe ab initio formatos, ut poſſemus orare pro bonis, etiam ſi non perfecte, tamen ut ineſſent quædam (ut dixi) ſemina ejus facultatis, manifeſtum
7 eſt. Non eadem autem his natura artibus eſt, quæ a virtute ſunt remotæ. Itaque cum duo ſint genera orationis, altera *perpetua*, quæ *rhetorice* dicitur, altera *conciſa*, quæ *dialectice*; quas quidem Zeno adeo conjunxit, ut hanc compreſſæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret ſimilem: etiam diſputatrix virtus erit: adeo de hac, quæ

[o] diſſonas G. [p] ipſi Jenſ. [q] his Jenſ.

5. *Quod philoſophi*] De priore h. e. de acutis concluſionibus philoſophorum agit ſ. 5, 6, et 7. De oratoria probatione ſ. 8. ſq.

7. *quas quidem Zeno*] Etiam Cicero meminit, ut de fin. 2, 6. in orat. 32; ubi etiam illud Ariſtoteleæ rhetoricæ initium refert, *illam artem quaſi ex altera parte reſpondere* (ἀντίστροφον εἶναι) *dialecticæ*. Et his ſimilia dicit Partit. 23. Add. Sext. Empir. adv. Grammaticos ii. 7. ubi tum hæc humaniſſimus Fabricius, tum illud etiam, quod ex Varrone idem narrat Iſidorus Orig. 2, 23.

7. *etiam diſputatrix*] Adhæreſcere hic ſolent viri docti. Videamus an argumentatio aliquantum obſcurior et acutior, quod prædixit Fabius, lucidior paullo poſſit fieri, ſi in ſcholaſticam magis formam eam redigamus: Virtutes ſunt illi habitus, quorum initia quædam ſunt a natura: atqui talis eſt rhetorica: non autem hoc dici poteſt de malis artibus; cum mala ſint contra naturam. Ex eadem cauſa etiam dialectica, cognata illa et ἀντίστροφος eloquentiæ, virtus erit; cujus nimirum et ipſius initia quædam a natura habeamus: atque adeo, ſi dialectica virtus eſt, multo certius de rhetorica, quæ ſpecioſior apertiorque eſt, illud adfirmabitur. Add. 2, 21, 13. Quod autem putat Turnebus, adverſari ſibi Fabium, qui *Oratricem* vocari rhetoricen noluerit 2, 14, 2; qua culpa ut eum liberaret, Gallæus, Burmanno teſte, cenſebat abeſſe debere totum hoc *etiam diſputatrix virtus erit, adeo:*

ſpecioſior atque apertior tanto eſt, nihil dubitabitur. Sed 8
plenius hoc idem atque apertius intueri ex ipſis operibus
volo. Nam quid orator *in laudando* faciet, niſi honeſto-
rum ac turpium peritus? aut *in ſuadendo*, niſi utilitate
perſpecta? aut *in judiciis*, ſi juſtitiæ ſit ignarus? Quid?
non fortitudinem poſtulat res eadem, cum ſæpe contra
turbulentas populi minas, ſæpe cum periculoſa potentium
offenſa, nonnumquam, ut in judicio Miloniano, inter cir-
cumfuſa militum arma dicendum ſit: ut, ſi virtus non eſt,
ne perfecta quidem eſſe poſſit oratio. Quod ſi ea in quo- 9
que animalium eſt virtus, qua præſtat cetera vel pleraque,
ut in leone impetus, in equo velocitas; hominem porro
ratione atque oratione excellere ceteris certum eſt: cur
non tam in eloquentia, quam in ratione virtutem ejus eſſe
credamus? Rectèque[r] hoc apud Ciceronem differit Craſ-
ſus. Eſt enim *eloquentia una quædam*[s] *de ſummis virtuti-*
bus. Et ipſe Cicero in[t] ſua perſona, cum[u] ad Brutum in 10
epiſtolis, tum aliis etiam locis, virtutem eam appellat.
At prœmium[x] aliquando et narrationem dicit malus ho-
mo, et argumenta, ſic, ut nihil ſit in his requirendum.
Nam et latro pugnabit acriter, virtus tamen erit fortitu-

r Recte G. s *om.* G. t *om.* G. cum Jenſ. *magis placeret* ex ſua per-
ſona. u tum Jenſ. x primum Jenſ.

illud aliter mihi videtur. Non e-
nim vocabuli formam refugit Fa-
bius, qui 2, 15, 25. *exercitatricem*
et *cæſillatricem* dixerit: ſed *ora-*
tricem forma ſua non reſpondere ſa-
tis *eloquentiæ* vocabulo, confirma-
vit.

8. *in judicio Miloniano*] Quod
ſatis in exordio orationis illius de-
clarat Cicero.

9. *apud Ciceronem*] De Orat. 3,
14. *Eſt enim eloquentia una quæ-*
dam de ſummis virtutibus; quan-
quam ſunt omnes virtutes æquales
et pares: ſed tamen eſt ſpecies alia
magis alia formoſa et illuſtris &c.
locus enim longior eſt, ſed pulcher-
rimus.

10. *ad Brutum in epiſtolis*] U-
num invenio locum ep. 15. qua
Meſſalam commendat, *Cave putes,*
probitate, conſtantia, cura reip.
quidquam ei eſſe ſimile: ut eloquen-
tia; qua mirabiliter excellit, vix
in eo locum ad laudandum habere
videatur. Quanquam in hac ipſa
ſapientia plus apparet. Ita gravi
judicio multaque arte ſe exercuit in
veriſſimo genere dicendi. Licet
virtutis nomen non poſuerit, tamen
cum ſapientia, ſumma virtute, con-
junxit. Cæterum Craſſus apud Cic.
de Orat. 3, 18. Stoicis habet gra-
tiam, *quod ſoli ex omnibus eloquen-*
tiam, virtutem ac ſapientiam eſſe
dixerunt.

10. *aliis in locis*] V. G. Partit.
23. *Nihil enim eſt aliud eloquentia,*
niſi copioſe loquens ſapientia. Et
Acad. 1, 2. ubi de *præceptis dia-*
lecticorum et oratorum egit, *quo-*
niam, inquit, *utramque vim virtu-*
tem eſſe noſtri putant.

10. *Nam et latro*] Conf. quæ de
hoc uſu convinctionis *nam* diximus
ad 2, 11, 7. *Nam et barbari et ſer-*
vi.

do: et tormenta ſine gemitu feret malus ſervus, tolerantia tamen doloris laude ſua non carebit. *Multa fiunt eadem, ſed aliter.* Sufficiant[z] igitur hæc, quia de utilitate ſupra tractavimus.

XXI. (XXII.) Materiam rhetorices quidam dixerunt eſſe *orationem*: qua in ſententia ponitur apud Platonem Gorgias. Quæ ſi ita accipitur, ut ſermo quacumque de re compoſitus, dicatur *oratio*, non materia, ſed opus eſt: ut ſtatuarii, *ſtatua*: nam et oratio efficitur arte, ſicut ſtatua. Sin[a] hac appellatione verba ipſa ſignificari putamus, 2 nihil hæc ſine rerum ſubſtantia faciunt. Quidam *argumenta perſuaſibilia*: quæ et ipſa in parte ſunt operis, et arte fiunt, et materia egent. Quidam *civiles quæſtiones*: quorum opinio non qualitate, ſed modo erravit: eſt enim 3 hæc materia rhetorices, ſed non ſola. Quidam, quia virtus ſit rhetorice, *materiam ejus totam vitam* vocant. Alii, quia non omnium virtutum materia ſit tota vita, ſed pleræque earum verſentur in partibus, ſicut *juſtitia*, *fortitudo*, *continentia*, propriis officiis et ſuo fine intelliguntur: rhetoricen quoque dicunt in una aliqua parte ponendam: eique locum in ethice *negotialem* aſſignant, id eſt, πραξμαλικόν. 4 Ego (neque[b] id ſine auctoribus) materiam eſſe rhetorices judico, *omnes res, quæcumque ei ad dicendum ſubjectæ erunt.* Nam Socrates apud Platonem dicere Gorgiæ videtur, *non in verbis eſſe materiam, ſed in rebus.* Et in Phædro palam, non in judiciis modo et concionibus, ſed in rebus etiam privatis ac domeſticis rhetoricen eſſe demonſtrat. Quo 5 manifeſtum eſt hanc opinionem ipſius Platonis fuiſſe. Et Cicero quodam loco materiam rhetorices vocat *res, quæ*

[z] Sufficient G. [a] Si vero G. [b] nec ſine auct. G. Jenſ.

XXI, 1. *ponitur Gorgias*] In ipſo ingreſſu diſputationis cum Socrate, p. m. 282, a. *ponitur* Gorgias, h. e. dicitur, introducitur ad quæſtionem Socratis, περὶ τί τῶν ὄντων ἐξὸν ἐπιστήμη ἡ ῥητορικὴ, reſpondere, περὶ λόγους. Sic ſæpiſſime verbo *ponere* optimi quique ſcriptores pro dicere uſi ſunt: ſic Cicero Divinat. in Verr. c. 8. *Quid emiti aut quid efficere poſſit*, non vult *in oratione ponere*. Sic *Protagoras* apud eundem de Nat. Deor. 1, 23. *in principio libri ſui ſic poſuit, De Divis neque ut ſint* &c. Et Cato de RR. 1. *Majores noſtri in legibus poſuerunt.*

4. *in Phædro palam*] V. G. p. 351. b. Οὐκ ἄρα μόνον περὶ δικαστήριά τε ἐστὶν ἡ ἀντιλογικὴ, καὶ περὶ δημηγορίαν, ἀλλ' ὡς ἔοικε περὶ πάντα τὰ λεγόμενα μία τις τέχνη. Add. p. 355, a. ubi præclara omnino oratoris imago a Socrate proponitur.

5. *Cicero*] De Orat. 1, 15. *Quæcunque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda*: ubi multus eſt in hoc argumento. Sed videtur hic agi tantum de definitione nominali;

ſubjectæ ſunt ei, ſed certas demum putat eſſe ſubjectas. Alio vero, de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur, his quidem verbis, *Quamquam vis oratoris, profeſſioque ipſa bene dicendi, hoc ſuſcipere ac polliceri videatur, ut omni de re, quæcumque ſit propoſita, ornate ab eo copioſeque dicatur.* Atque adhuc [c] alibi, *Verum* [d] *enim oratori, quæ ſunt in hominum vita (quandoquidem in ea verſatur orator, atque ea eſt ei ſubjecta materia) omnia quæſita, audita, lecta, diſputata, tractata, agitata eſſe debent.* Hanc autem, quam nos *materiam* vocamus, id eſt, res ſubjectas, quidam modo infinitam, modo non propriam [e] rhetorices eſſe dixerunt: eamque artem *circumcurrentem* vocaverunt, quod in omni materia diceret. Cum quibus mihi minima pugna eſt. Nam de omni materia dicere eam fatentur: propriam habere materiam, quia multiplicem habeat, negant. Sed neque infinita eſt, etiam ſi eſt multiplex: et aliæ quoque artes minores habent multiplicem materiam, velut *architectonice:* namque ea [f] in omnibus, quæ ſunt ædificio utilia, verſatur. Et *cælatura*, quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit. Nam *ſculptura* etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea quæ ſupra dixi, complectitur. Neque protinus non eſt materia rhetorices, ſi in eadem verſatur et alius. Nam ſi quæram, quæ ſit materia ſtatuarii, dicetur *æs:* ſi quæram, quæ ſit excuſoris, id eſt, ejus fabricæ, quam Græci χαλκευτικὴν vocant, ſimiliter *æs* eſſe reſpondeant. Atqui plurimum a ſtatuis differunt vaſa. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio et exercitatio cum palæſtrica, ciborum vero qualitas etiam cum coquorum ei ſit arte communis. Quod vero de bono, utili, juſto differere, philoſophiæ officium eſſe dicunt [g], non obſtat. Nam cum philoſophum dicunt, hoc accipi volunt, virum

6 7 8 9 10 11

[c] *om.* G. Jenſ. [d] Enimvero G. Jenſ. [e] proprie Jenſ. propria G. [f] *om.* G. Jenſ. [g] dicebant G.

materiæ, quam talem dedit Cicero, *res quæ ſubjectæ ſunt ei* arti, de cujus materia quæritur, ſcilicet. Utitur autem ſæpiſſime eo verbo ad explicandum, quid ſit materia. V. G. de Orat. 1, 46. *Omnis hæc et antiquitatis memoria—tanquam aliqua materies oratoribus ſubjecta eſſe debet.* Sed etiam aliter: ut, de Inv. 1, 5. *Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, et ea facultas, quæ conficitur ex arte, verſatur.*

5. *Quamquam vis oratoris*] Locus prior eſt de Orat. 1, 5. poſterior autem ibid. 3, 14.

9. *Et cælatura*] Vid. qui laudantur hic in edit. Burm. Jo. Brodæus Miſcell. 6, 30. Lamp. Grut. t. 2. p. 568. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 774. et Figrel. de ſtatuis c. 1.

bonum. Cur igitur oratorem, quem a bono viro non fe-
13 paro, in eadem materia verſari mirer? cum præſertim primo libro jam oſtenderim, philoſophos omiſſam hanc ab oratoribus partem occupaſſe, quæ rhetorices propria ſemper fuiſſet, ut illi potius in noſtra materia verſentur. Denique cum ſit *dialectices materia* de rebus ſubjectis diſputare, ſit autem dialectices oratio conciſa, cur non eadem
14 perpetuæ quoque materia[h] videatur? Solet a quibuſdam et illud poni, *Omnium igitur artium peritus erit orator, ſi de omnibus ei dicendum eſt.* Poſſem hic Ciceronis reſpondere verbis, apud quem hoc invenio, *Mea quidem ſententia nemo eſſe poterit omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus:* ſed mihi ſatis eſt ejus eſſe oratorem rei, de[i] qua dicet, non inſcium.
15 Neque enim omnes cauſſas novit, et debet poſſe de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? de quibus didicit. Similiter de artibus quoque, de quibus dicendum erit, in-
16 terim diſcet: et de quibus didicerit, dicet. Quid ergo? non aut faber de fabrica melius, aut de muſice muſicus? Si neſciat orator, quid ſit, de quo quæritur, plane melius. Nam et litigator ruſticus illiteratuſque de cauſſa ſua melius, quam orator, qui neſcit quid in lite ſit, dicet: ſed accepta a muſico, a fabro, ſicut a litigatore, melius ora-
17 tor, quam ipſe qui[j] docuerit. Verum et *faber*, cum *de fabrica*, et *muſicus*, cum *de muſica*, ſi quid confirmationem deſideraverit, dicet, non erit quidem orator, ſed faciet illud quaſi orator: ſicut cum vulnus imperitus deligabit,
18 non erit medicus, ſed faciet ut medicus. An hujuſmodi res nec in laudem, nec in deliberationem, nec in judicium veniunt? Ergo cum de faciendo portu Oſtienſi deliberatum eſt, non debuit dicere ſententiam orator? atqui opus
19 erat ratione architectorum. Livores et tumores in corpore, cruditatis an veneni ſigna ſint, non tractat orator? at eſt id ex ratione medicinæ. Circa menſuras et numeros non verſabitur? dicamus has Geometriæ eſſe partes. Equidem omnia fere poſſe credo caſu aliquo venire in officium oratoris: quod ſi non accidet, non erunt ei ſubjec-
20 ta. Ita ſic quoque recte diximus, *materiam rhetorices eſſe omnes res ad dicendum ei ſubjectas*, quod quidem probat

[h] materie G. Jenſ. [i] de qua dicet *om.* G. Jenſ. [j] qui *om.* G.

13. *primo libro*] In Procem. ſ. 10. ſqq.
13. *ſit autem dialectices*] Vid. 2, 20, 7.
14. *Mea quidem ſententia*] Cic. de Orat. 1, 6.

etiam ſermo communis. Nam cum aliquid, de quo dicamus, accepimus, poſitam nobis eſſe materiam frequenter etiam præfatione teſtamur. Gorgias quidem adeo rhetori 21
de omnibus putavit eſſe dicendum, ut ſe in auditoriis interrogari pateretur, qua quiſque de re vellet. Hermagoras quoque, dicendo materiam eſſe in cauſſa et in quæſtionibus, omnes res ſubjectas erat complexus. Sed quæſti- 22
ones ſi negat [m] ad rhetoricen pertinere, diſſentit a nobis: ſi autem ad rhetoricen pertinent, ab hoc quoque adjuvamur. Nihil eſt enim, quod non in cauſſam aut in quæſti- 23
onem cadat. Ariſtoteles tres faciendo partes orationis, *judicialem*, *deliberativam*, *demonſtrativam*, pene et ipſe oratori ſubjecit omnia: nihil enim non in hæc cadit. Quæ- 24
ſitum a pauciſſimis etiam de inſtrumento eſt. *Inſtrumentum voco, ſine quo formari materia, et in id, quod velimus, effici opus non poſſit.* Verum hoc ego non artem credo egere, ſed artificem. Neque enim ſcientia deſiderat inſtrumentum, quæ poteſt eſſe conſummata, etiam ſi nihil faciat: ſed ille opifex, ut cælator cælum, et pictor penicilla. Itaque hæc in eum locum, quo *de oratore* dicturi ſumus, differamus [n].

[m] negat G. Jenſ. [n] differamus G.

21. *Gorgias*] Plato principio dialogi cognominis, Ἐκέλευε γοῦν νῦν δὴ ἐρωτᾶν ὅ, τι τις βούλοιτο τῶν ἐνδον ὄντων, καὶ φησὶ πάντα ἕξειν ἀποκρινεῖσθαι. Refert etiam, quod jam hic adnotatum eſt a Philandro, Cic. de Orat. 1, 22. et 3, 32. ac de Fin. 2, 1. it. de Inv. 1, 5. ubi etiam Hermagoræ Ariſtoteliſque ſententiæ referuntur.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER TERTIUS.

QUONIAM in libro ſecundo quæſitum eſt, quid eſſet *Rhetorice*, et quis *finis* ejus; *artem* quoque eam eſſe, et *utilem*, et *virtutem*, ut vires noſtræ tulerunt, oſtendimus; *materiamque* ei res omnes, de quibus dicere oporteret, ſubjecimus: jam hinc, unde cœperit, quibus conſtet, quo quæque in ea modo invenienda atque tractanda ſint, exſequar: intra quem modum plerique ſcriptores Artium conſtiterunt, adeo ut Apollodorus contentus ſolis judicialibus
2 fuerit. Nec ſum ignarus, hoc a me præcipue, quod hic liber inchoat, opus ſtudioſos ejus deſideraſſe, ut inquiſitione opinionum, quæ diverſiſſimæ [a], longe difficillimum, ita neſcio an minime legentibus futurum voluptati: quippe quod prope nudam præceptorum traditionem deſideret.
3 In ceteris enim admiſcere tentavimus aliquid nitoris, non jactandi ingenii gratia (namque in id eligi materia poterat uberior) ſed ut hoc ipſo alliceremus magis juventutem ad cognitionem eorum, quæ neceſſaria ſtudiis arbitramur [b], ſi ducti jucunditate aliqua lectionis, libentius diſcerent ea, quorum ne jejuna atque arida traditio averteret animos, et

[a] fuerunt *inſ.* G. Jenſ. [b] arbitrabamur Jenſ. *et* G. *a manu ſecunda.*

1. *intra quem modum*] Hoc vult; ſcriptores Artium, (τεχνῶν, libellorum Rhetoricorum) ne hæc quidem, quæ modo propoſuit, exſecutos omnia, nedum ut quæ ipſe vel primis duobus libris tractat, vel quæ ultimo, attigerint. Propoſuit autem materiem librorum a tertio inde ad undecimum (vid. 1. Proœm. 21 et 22.) Hoc, inquam, ſignificant verba *intra hunc modum*, minus tractarunt, quam ergo hic promitto. Pluribus oſtenſa eſt illa vis τῆς *intra* ad Fabrum n. 3.

aures præsertim tam delicatas raderet, verebamur: qua ratione se[c] Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine[d] 4
esse complexum: namque hac, ut est notum, similitudine utitur:

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Adspirant[e] *mellis dulci flavoque liquore.*

et quæ sequuntur. Sed nos[f] veremur, ne parum hic liber 5
mellis, et absinthii multum habere videatur, sitque salubrior studiis, quam dulcior. Quin etiam[g] hoc timeo, ne[h]
ex eo minorem gratiam ineat, quod pleraque non inventa per me, sed ab aliis tradita, continebit: habeat etiam quosdam, qui contra sentiant et adversentur, propterea quod plurimi auctores, quamvis eodem tenderent, diversas tamen vias inierunt[i], atque in suam quisque induxit sequentes. Illi autem probant qualecumque ingressi sunt iter: nec 6
facile inculcatas pueris persuasiones mutaveris, quia NEMO non didicisse mavult, quam discere. Est autem, ut proce- 7
dente libro patebit, infinita dissensio auctorum, primo ad ea, quæ rudia atque imperfecta adhuc erant, adjicientibus

[c] *om.* G. [d] se *inf.* G. [e] *Sic etiam* G. adspirant *Vasc. marg. Colin. et Steph. Sed Roign. in textu.* [f] nunc G. nos nunc Jens. [g] et hæc G. [h] ut G. [i] *Sic* G. Jens. invenerunt *quæd. ap. Burm.* munierunt *rel.*

4. *Lucretius*] Bis posuit, nempe 1, 934. et 4, 11 sqq. Cæterum versu tertio insignis est varietas. In Lucretio enim editum est adhuc ab omnibus, credo, (etiam in Veron. 1486. f.) *Contingunt mellis* &c. quam vim verbi multis probat Lambinus, et potest ea confirmari ex Columella 9, 8, 8. et 7, 8, 4. Priore loco *apum terga festucis rubrica illitis contingi* dicuntur, altero, *sale caseus*, h. e. adspergi. Simplex verbum *tango* eodem modo usurpari, constat, et notavimus quædam in Lex. rei rust. Itaque de Latinitate non disputamus. Sed cum constanter adeo *Adspirant* habeatur apud Fabium, nec dissimulent Gifanius ac Lambinus, esse etiam Lucretii libros, qui illud agnoscant: videtur res non indigna observatione, tanto magis cum reconditior sit ille vocis usus et significatio: intelligi tamen aliqua ratione potest ex formula non dissimili Varronis de R. R. 2, 2, 16. ubi *olfacere labra lacte* significat *adspergere*, (quod verbum Lucretio quidam libri hic tribuunt) et sapore illo quasi imbuere. Vid. index noster s. Lexicon rust.

5. *vias inierunt*] Viveret Francius, delectaretur sane conjecturæ suæ, cujus testem et planiorem hic habet Burmannum, potentes adeo suffragatores exstare. Ac poterat sane in eam aliquis cogitationem facile venire, non de *munienda*, neque de *inveniendâ* adeo, sed de *ineunda* via hic sermonem esse, in quam *sequentes induxerint*: *sequuntur* enim homines non eos qui *muniere* viam, sed qui *inierunt*. Sic statim, *ingressi sunt iter*.

quod inveniſſent ſcriptoribus: mox, ut aliquid ſui vide-
8 rentur afferre, etiam recta mutantibus. Nam primus poſt eos, quos poetæ tradiderunt, moviſſe aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur. Artium autem ſcriptores antiquiſſimi, Corax et Tiſias Siculi: quos inſecutus eſt vir ejuſdem inſulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis (ut tradi-
9 tur) diſcipulus. Is beneficio longiſſimæ ætatis (nam centum et novem vixit annos) cum multis ſimul floruit: ideoque et illorum, de quibus ſupra dixi, fuit æmulus, et ul-
10 tra Socratem uſque duravit. Thraſymachus Chalcedonius cum hoc, et Prodicus Ceius [l], et Abderites Protagoras, a quo decem millibus denariorum didiciſſe artem, quam edidit, Euathlus dicitur: et Hippias Eleus [m], et, quem Pala-
11 medem Plato appellat, Alcidamus [n] Eleates. Antiphon quoque et orationem primus omnium ſcripſit, et nihilo minus Artem et ipſe compoſuit, et pro ſe dixiſſe optime eſt creditus: etiam Polycrates [o], a quo ſcriptam in Socratem diximus orationem: et Theodorus Byzantius, ex iis
12 et ipſe, quos Plato appellat λογοδαιδάλες. Horum, primi communes locos tractaſſe dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus, et Thraſymachus. Cicero in Bruto negat ante Periclem ſcriptum quidquam, quod ornatum oratorium habeat: ejus aliqua ferri. Equidem non reperio quidquam tanta eloquentiæ fama dignum: ideoque minus miror eſſe, qui nihil ab eo ſcriptum putent, hæc autem,

[l] Chius G. Jenſ. [m] Helius G. Ælius Jenſ. [n] Alcidamas Elates G. Jenſ. [o] Phylocrates G.

8. *Empedocles*] De hoc pariter et reliquis Artium ſcriptoribus diligentiſſime hic viri docti. Nos, quæ ſumma ſunt, in indice conſequemur.

10. *quem Palamedem Plato*] Locus eſt in Phædro p. m. 351. a. ubi σκώπτων Socrates ut cum Neſtore Gorgiam, Thraſymachum et Theopompum cum Ulyſſe, comparat; ita etiam Ἐλεατικὸν Παλαμήδην introducit, λέγοντα τέχνῃ, ὡς δοκεῖν φαίνεσθαι τοῖς ἀκούσι τὰ αὐτὰ ὅμοια καὶ ἀνόμοια, καὶ ἐν καὶ πολλὰ, μένοντά τε αὖ καὶ φερόμενα.

11. *diximus*] ſupra 2, 17, 4.

11. *Theod. Byz.*] Plato in Phædro p. 353, a. ſq. cum reliquorum omnium, qui hic memorantur, mentionem facit, tum Theodorum vocat, τὸν βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον ἄνδρα. Adjicit *Parium Evenum, Tiſiamque* (ſive *Lyſias* eſt) et *Hippiam* Eleum et *Polum* &c. Add. Cic. Bruto c. 8. et in Orat. 3, 16. ubi de *Thraſymacho, Gorgia, Theodoro, quos* λογοδαιδάλες *appellat in Phædro Socrates.*

12. *Cicero in Bruto*] Cap. 7. *Ante Periclem, cujus ſcripta quædam feruntur, et Thucydidem—litera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, et oratoris eſſe videatur.* et c. 11. *Pericles primus adhibuit doctrinam.*

quæ feruntur, ab aliis esse composita. His succesſere multi, sed clarissimus Gorgiæ auditorum [p], Isocrates, quamquam de præceptore ejus inter auctores non convenit: nos autem Aristoteli credimus. Hinc velut diversæ secari cœperunt viæ. Nam Isocratis præstantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere: eoque jam seniore (octavum enim et nonagesimum implevit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit, noto quidem illo (ut traditur) versu ex Philocteta frequenter usus, 13 14

Αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.
Turpe esse tacere, et Isocratem pati dicere.

Ars est utriusque, sed pluribus eam libris Aristoteles complexus est. Eodem tempore Theodectes fuit, de cujus opere supra dictum est. Theophrastus quoque Aristotelis discipulus de *rhetorice* diligenter scripsit: atque hinc vel studiosius philosophi, quam rhetores, præcipueque Stoicorum ac Peripateticorum principes. Fecit deinde velut propriam Hermagoras viam, quam plurimi sunt secuti: cui maxime par atque æmulus videtur Athenæus fuisse. 15 16

[p] auditor G. Jens.

13. *Aristoteli*] Huc retulerim Rhetor. 3, 17. ubi de Isocrate dixisse Gorgiam refert, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος. Potest autem plures habuisse, memoratos a diversis præceptores. Plutarchus quidem Prodicum Chium, et Gorgiam Leontinum, et Syracusium Tisiam, et Theramenem Rhetora laudat: idem tamen (p. 1541. H. Steph.) inter præceptores in monumento Isocratis positos prærogativam aliquam Gorgiæ tribuit.

14. Αἰσχρὸν σιωπᾶν] Cic. de Orat. 3, 35. *Ipse Aristoteles, cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ipse suas disputationes a caussis forensibus et civilibus ad ingenium sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinæ suæ, versumque quendam Philocteteæ paullo secus dixit: ille enim* turpe *sibi ait* esse tacere, cum Barbaros; *hic autem*, cum Isocratem pateretur dicere. *Itaque ornavit* &c. Diog. Laert. 5, 3. ad Xenocratem transtatum ait ab Aristotele h. m. Αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ξενοκράτη ἐᾶν λαλεῖν. Vid. ibi Menag. et hic Colomes. Euripidi cur adscribant Barnesius in fragm. et Davis. ad Cic. l. c. cum tamen plures olim Philocteten fabulam ediderint, non habeo dicere, nisi quod apud Sophoclem non legitur, et in cæteris regnat amicusque Tullii est Euripides.

14. *Ars est utriusque*] Ergo et Isocrates Artem scripsit, quod alioqui dubium est. Vid. 2, 14. 4.

15. *supra dictum est*] 2, 15, 10.

15. *Theophrastus*] Vid. Colomes. ad h. l. Hodie quidem nihil ejus exstare, constat. De rhetoribus, qui sequuntur, aliquid dicetur in Ind.

Multa post Apollonius Molon, multa Areus, multa Cæci-
17 lius et Halicarnassæus Dionysius. Præcipue tamen in se converterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit: et Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Cæsar.
18 Hi diversas opiniones tradiderunt, appellatique inde *Apollodorei* et *Theodorei*, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori præcepta magis ex discipulis cognoscas: quorum diligentissimus in tradendo Latine fuit C.[q] Valgius, Græce Atticus. Nam ipsius sola videtur Ars edita ad Matium[r], quia ceteras missa ad Domitium epistola non agnoscit. Plura scripsit Theodorus,
19 cujus auditorem Hermagoram sunt qui viderint. Romanorum primus (quantum ego quidem sciam) condidit aliqua in hac[s] materia M. Cato ille[t] Censorius, post M. Antonius inchoavit. Nam hoc solum opus ejus, atque id ipsum imperfectum, manet. Secuti minus celebres, quorum memoriam, si quo loco res poscet, non
20 omittam. Præcipuum vero lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoque ejus dedit unicum apud nos specimen orandi, docendique oratorias artes, M. Tullius: post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adolescenti[u] sibi elapsos diceret, et in oratoriis hæc mino-

[q] Evalgius *cum al. etiam* Jens. [r] Martium Jens. [s] hanc materiam G. Jens. *et al.* [t] M. Cato post M. Antonius ille Censorius G. Jens. *c. al.* [u] aduleſcenti G.

19. *M. Cato*] Laudat Diomedes L. 1. p. 358. *Catonem ad filium vel de oratore*. Forte idem liber est quem *epistolæ ad filium* nomine semel iterumque citat Priscianus p. 718. et 761. Oratorem ipsum fuisse, et primum Romanorum, passim et copiose Tullius v. g. Bruto c. 17. Si igitur de Arte etiam scripsit, merito huc trahas illud Plinii 25, 2. ubi *omnium bonarum artium magistrum* appellat.

19. *M. Anto. inchoavit*] Non artem in universum, sed librum scripsit, quem ipse pro inchoato modo et imperfecto habuit. Itaque *unum* de hoc argumento *libellum sibi excidisse jam dudum queritus est* apud Cic. de Orat. 1, 47. et paullo post, *Ipsa illa*, inquit, *quæ in commentarium meum retuli, sunt ejusmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata*.

20. *rhetoricos suos*] De Orat. 1, 2. *Quæ pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt*—Sed de libris ipsis de Oratore 1, c. 6. *Repetamque non ab incunabulis nostræ veteris puerilisque doctrinæ quendam ordinem præceptorum, sed ea, quæ quondam accepi in nostrorum hominum, eloquentissimorum, et omni dignitate principum, disputatione esse versata &c.*

ra, quæ plerique desiderant, sciens omisisset. Scripsit de 21
eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil Pater Gallio: accuratius [x] vero priores Gallione Celsus et Lenas, et ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius. [z] Sunt et hodie clari ejusdem operis auctores, qui, si omnia complexi forent, consuluissent labori meo: sed parco nominibus viventium, veniet eorum laudi suum tempus: ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia. Non tamen post tot ac tantos scriptores [a] pigebit 22
meam quibusdam locis posuisse sententiam. Neque enim me cujusquam sectæ, velut quadam superstitione imbutus, addixi: et electuris quæ volent facienda copia fuit, sicut ipse plurium in unum confero inventa, ubicumque ingenio non erit locus, curæ testimonium meruisse [b] contentus.

II. (II.) Nec diu nos moretur quæstio, Quæ *rhetorices* origo sit? Nam cui dubium est, quin sermonem ab ipsa rerum natura geniti protinus homines acceperint, (quod certe principium est ejus rei) huic studium et incrementum dederit *utilitas*, summam *ratio* et *exercitatio?* Nec 2
video, quare curam dicendi putent quidam inde cœpisse, quod ii, qui in discrimen aliquod vocabantur, accuratius loqui defendendi sui gratia instituerint. Hæc enim, ut honestior causa, ita non utique prior est: cum præsertim *accusatio* præcedat *defensionem:* nisi quis dicit, etiam gladium fabricatum ab eo prius, qui ferrum in tutelam sui, quam qui in perniciem alterius compararit. Initium ergo 3
dicendi dedit natura: initium artis, observatio. Homi-

[x] accurate G. [z] Tutilius Jens. [a] auctores G. Jens. [b] promeruisse G. Jens.

21. *Cornificius*] Cui libri ad Herennium a multis tribuuntur. Quid in utramque partem disputatum sit, e Fabricii Bibl. Lat. peti potest. De reliquis, cum nihil hodie exstet, in Indice breviter indicabimus.

21. *Plinius*] Major, cujus *studiosi tres, in sex volumina propter amplitudinem diffusi, quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit* Plin. jun. Ep. 3, 5, 5.

21. *Rutilius*] Cujus exstat de schematibus libellus. Non contemnendam alteram lectionem, *Tutilius*, ostendit Burmannus.

1. *geniti protinus homines*] Ita quidem esse, nostri nos libri docent: sed aliter, quicumque fere de origine humani generis philosophari potius, quam veram Mosis historiam sequi voluerunt. Reliquos de Epicuri præsertim schola si audias, *mutum ac turpe pecus* homo paullatim utilitate ad usum sermonis adductus est. Vid. Lucret. 5, 1027. sqq. Hor. S. 1, 3, 99.

nes enim, ſicut in medicina, cum viderent alia ſalubria, alia inſalubria[c], ex obſervatione eorum effecerunt artem[d]: ita, cum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent[e], notarunt ea ad imitandum vitandumque, et quædam ſecundum rationem eorum adjecerunt ipſi[f] quoque: hæc confirmata ſunt uſu: tum quæ ſciebat quiſque, do-
4 cuit. Cicero quidem initium orandi conditoribus urbium ac legum latoribus dedit: in quibus fuiſſe vim dicendi neceſſe eſt: cur tamen hanc primam originem putet, non video; cum ſint adhuc quædam vagæ et ſine urbibus ac ſine legibus gentes, et tamen qui ſunt in his nati, et legationibus fungantur, et accuſent aliqua ac defendant, et denique alium alio melius loqui credant.

III. (III.) Omnis autem *orandi ratio*, ut plurimi maximique auctores tradiderunt, quinque partibus conſtat, *inventione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronuntiatione* ſive *actione*, utroque enim modo dicitur. Omnis vero ſermo, quo quidem voluntas aliqua enuntiatur, habeat neceſſe eſt
2 et *rem*, et *verba*. Ac ſi eſt brevis, et una concluſione finitus, nihil fortaſſe ultra deſideret: at oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, et quo modo dicamus, ſed etiam quo loco: opus ergo eſt et *diſpoſitione*. Sed neque omnia, quæ res poſtulat, dicere, neque ſuo quæque loco poterimus, niſi adjuvante *memoria:* quapropter ea quoque[g]
3 pars quarta erit. Verum hæc cuncta cor-

[c] non ſalubria G. [d] *om.* G. [e] deprehenderunt G. [f] ipſo G. [g] *om.* G. Jenſ.

4. *Cicero quidem*] Paſſim prædicat Cicero illum eloquentiæ uſum, quod ejus ope homines a fera agreſtique vita in civitates collecti ſint, v. g. de Orat. 1, 8. *Quæ vis alia potuit aut diſperſos homines unum in locum congregare, aut a fera agreſtique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deducere, aut jam conſtitutis civitatibus leges, judicia, jura, deſcribere?* Fabius contra hæc ita diſputat, ut in vagis etiam gentibus eloquentiæ aliquem uſum eſſe confirmet: neſcio quam bene. Nam illud non intelligitur, quis accuſationi, defenſioni, deliberationi, laudique adeo aut vituperio locus ſit apud eos, qui nullo civitatis aut legum, (ſive ſcriptæ illæ ſint, ſive in uſu et conſuetudine poſitæ) vinculo contineantur. Scythæ illi Nomades, qui Legatos miſerunt ad Alexandrum, remp. ſane habuerunt. Vagæ et ſylveſtres nationes neque legatos mittunt, neque judicia exercent, ſed manibus potius et dentibus unguibuſque rem gerunt, quam linguis et oratione &c. Ita malim defendere Tullii ſententiam, quam cum Pino negare, illum de origine et primo uſu eloquentiæ agere. Licet enim non id agat Cicero; tamen ſi verum eſt, quod dicit, primum ibi exorta eſt eloquentia.

rumpit ac propemodum perdit indecora, vel voce, vel geſtu, *pronuntiatio*. Huic quoque igitur tribuendus eſt neceſſario quintus locus. Nec audiendi quidam, quorum 4
eſt Albutius, qui tres[h] modo primas eſſe partes volunt, quia *memoria* atque *actio* natura, non arte, contingant: quarum nos præcepta ſuo loco dabimus: licet Thraſymachus quoque idem *de actione* crediderit. His adjecerunt 5
quidam ſextam partem, ita ut inventioni *judicium* ſubnecterent, quia primum eſſet *invenire*, deinde *judicare*. Ego porro ne inveniſſe quidem credo eum, qui non judicavit: nec enim contraria, communia, ſtulta, inveniſſe dicitur quiſquam, ſed non vitaſſe. Et Cicero quidem in Rheto- 6
ricis judicium ſubjecit inventioni: mihi autem adeo tribus primis partibus videtur eſſe permixtum, (nam neque *diſpoſitio* ſine eo, neque *elocutio* fuerit) ut *pronuntiationem* quoque vel plurimum ex[i] eo mutuari putem. Quod hoc 7
audacius dixerim, quod in partitionibus oratoriis ad eaſdem, de quibus ſupra dictum eſt, quinque pervenit partes. Nam cum dupliciter primum diviſiſſet, in inventionem

[h] tris G. Jenſ. [i] ab G. Jenſ.

4. *quarum nos præcepta*] Hoc vult, non opus eſſe alia refutatione, cum ipſe Fabius præceptis dandis ſatis ſit oſtenſurus, arte etiam contingere, augeri certe et illuſtrari pronuntiationem.

5. *communia*] Ἀντιστρέφοντα alias vocantur, quæ non in unam modo partem valent, ſed ab adverſario etiam adhiberi retorquerique in auctorem poſſunt.

6. *in Rhetoricis*] Hoc nomine noſter alias libros de inventione appellat, v. g. 3, 5, 14. In his vero cum non reperiantur, quæ laudat Fabius; multa hic diſputant, turbant etiam quædam, interpretes. Sed reſpicit, puto, Fabius locum in Oratore c. 14 et 15. ubi diſerte primo tria videnda ait oratori Tullius, *quid dicat?* et *quo quidque loco?* et *quomodo?* quæ reſpondent haud dubie inventioni, diſpoſitioni, elocutioni: jam primum ita explicat, ut dicat, oratorem *et invenire et judicare quid dicat*, item, *Judicium igitur adhibebit, nec inveniet ſolum quid dicat, ſed etiam expendet*. Pergit, *Jam vero, quæ invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id ſecundum erat de tribus. Subjecit* ergo *judicium inventioni*, h. e. ſub ea complexus eſt, et tanquam unam et primam Rhetorices partem inventionem cum judicio tractavit. Illa quidem *ſubjiciendi* notio cum Ciceroni tum Quinctiliano familiaris eſt, ubi *ſubjici* dicuntur ſpecies generi, toti partes &c.

7. *in partitionibus*] Ab initio ſtatim, *Vis oratoris eſt in rebus, et in verbis. Sed et res et verba invenienda ſunt et collocanda. Proprie autem in* rebus invenire, *in* verbis eloqui *dicitur. Collocare autem etſi eſt commune, tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus, atque omnis actio, eloquendi comes eſt, earumque rerum omnium cuſtos eſt memoria.*

atque elocutionem: res ac dispositionem inventioni, verba et pronuntiationem elocutioni dedit: quintamque [l] constituit communem, ac velut custodem omnium, *memoriam*. Idem *in Oratore*, quinque rebus constare eloquentiam dicit: in quibus postea [m] scriptis certior ejus sententia est.
8 Non minus mihi cupidi novitatis alicujus videntur fuisse, qui adjecerunt *ordinem*, cum dispositionem dixissent: quasi aliud sit dispositio, quam rerum [n] ordine quam optimo collocatio. Dion inventionem modo et dispositionem tradidit, sed utramque duplicem, rerum, ac verborum, ut sit elocutio inventionis, pronuntiatio dispositionis: his quinta pars *memoria* accedat. Theodorei fere inventionem duplicem, *rerum*, atque *elocutionis*, deinde tres ceteras par-
9 tes. Hermagoras, judicium, partitionem, ordinem, quæque elocutionis sunt, subjicit [o] *œconomiæ*, quæ Græce appellata ex cura rerum domesticarum, et hic per abusionem
10 posita, nomine Latino caret. Est et circa hoc quæstio, quod *memoriam* in ordine partium quidam [p] *inventioni*, quidam *dispositioni* subjunxerunt: nobis quartus ejus locus maxime placet. Non enim inventa tantum tenere, ut disponamus, nec dispositа ut eloquamur, sed etiam verbis formata memoriæ mandare debemus. Hac enim omnia,
11 quæcumque in orationem collata sunt, continentur. Fuerunt etiam in hac opinione non pauci, ut has non *Rhetorices* partes esse existimarent, sed opera oratoris: ejus enim esse invenire, disponere, eloqui, et cetera. Quod si acci-
12 pimus [q], nihil arti relinquemus. Nam *bene dicere est ora-*

[l] quintam quoque G. Jens. [m] poena *hic et alias sæpe* G. *errore ridiculo, ſi? qui fidem codicis oſtendat in aliis. Vid. præf.* [n] in ordinem quam optima G. [o] subjecit G. Jens. [p] quidam inventioni *om.* G. [q] accipiamus—relinquimus G. Jens.

7. *in Oratore*] Immo in libro primo de Oratore c. 31. *Cumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum quid diceret: deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque componere: tum ea denique vestire atque ornare oratione: post memoria sepire: ad extremum agere cum dignitate et venustate.*

8. *ut sit elocutio*] Ponit ea tantum, quæ in hac divisione paradoxa sunt, et ab aliorum rationibus abhorrentia: nimirum elocutionem referri ad inventionem, dispositioni vero pronuntiationem subjici. Inventio enim verborum secundum hunc est elocutio, dispositio eorum pronuntiatio.

9. *nomine Latino caret*] Martianus vocat *dispensationem*: sed vide Sulpicium Victorem Rhet. ac M. Silonem, qui *œconomiam* artificialem dicit, *dispositionem* autem naturalem. Hæc Regius ad h. l.

toris; rhetorice tamen eſt bene dicendi ſcientia: vel, ut alii putant, artificis eſt perſuadere; vis autem perſuadendi, artis. Ita *invenire* quidem et *diſponere*, oratoris; *inventio* autem et *diſpoſitio*, rhetorices propria[r] videri poteſt. In eo plures diſſenſerunt, utrumne hæ *partes* eſſent rhetorices, an ejuſdem *opera*, an (ut Athenæus credit) *elementa*, quæ vocant στοιχεῖα. Sed neque *elementa* recte quis dixerit; alioqui tantum initia erunt, ut mundi vel humor, vel ignis, vel materia, vel corpora inſecabilia: nec *operum* recte nomen accipient, quæ nec[s] ab aliis perficiuntur, et[t] aliud ipſa perficiunt. *Partes* igitur. Nam cum ſit ex his 14
rhetorice, fieri non poteſt, ut cum totum ex partibus conſtet, non ſint partes totius, ex quibus conſtet. Videntur autem mihi, qui hæc *opera* dixerunt, eo quoque moti, quod in alia rurſus diviſione nollent in idem nomen incidere: partes enim rhetorices eſſe dicebant *laudativam*, *deliberativam*, *judicialem*. Quæ ſi partes ſunt, materiæ ſunt potius, quam artis. Namque in his ſingulis rhetorice to- 15
ta eſt, quia et inventionem, et diſpoſitionem, et elocutionem, et memoriam, et pronuntiationem quæcumque earum deſiderat. Itaque quidam genera [ea[u]] tria rhetorices dicere maluerunt: optime autem ii, quos ſecutus eſt Cicero, [qui[u]] genera cauſſarum.

IV. (IV.) Sed tria an plura ſint, ambigitur. Nec dubie prope omnes, utique ſummæ apud antiquos auctoritatis, ſcriptores Ariſtotelem ſecuti, qui nomine tantum[x]

[r] prima Jenſ. [s] *Sic* G. Jenſ. non *al.* [t] *Sic* G. ſed et Jenſ. ſed *al.*
[u] *om.* G. Jenſ. [x] tamen G.

15. *Cicero*] v. g. in Partit. c. 3. *Sic tria ſunt* genera, *judicii*, *deliberationis*, *exornationis*. De Orat. 1, 31. *Cauſſarum—partim in judiciis verſari*, *partim in deliberationibus*: *eſſe etiam* genus *tertium*, *quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur* &c. Top. c. 24. *Tria ſunt igitur* genera cauſſarum, *judicii*, *deliberationis*, *laudationis*.

IV, 1. *Ariſtotelem*] Artis 1, 3. pr. locus eſt, quem totum huc transferemus,* ne ſ. 6. denuo laudandus ſit. Ἀνάγκη τὸν ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτὴν κριτὴν δὲ, ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων. Ἔστι δ' ὁ περὶ τῶν μελλόντων κρίνων, οἷον ἐκκλησιαστής· ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων, οἷον ὁ δικαστής· ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, οἷον ὁ θεωρός. Ὡς' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἶεν τρία γένη τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν. Quod autem Moſellanus hæc ſuffuratum Platoni ait Ariſtotelem, ingratum diſcipulum, ratio illum, puto, fallit. Locus certe, quem laudat ex Gorgia, non ſatis convenit cum Ariſtotelica diviſione. Ita enim p. m. 283. D. vim rhetoris explicat Gorgias, τὸ πειθεῖν οἷόν τ' εἶναι τοῖς λόγοις ἐν δικαστηρίῳ δικαζομένους, καὶ ἐν βουλευτηρίῳ βουλευομένους καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐκκλησιάζοντας. καὶ ἐν ἄλλῳ ξυλλόγῳ παντὶ, ὅτις ἂν πολιτικὸς

alio *concionalem* pro deliberativa appellat, hac partitione
2 contenti fuerunt. Verum et tum leviter est tentatum, cum apud Græcos quosdam, tum apud Ciceronem in libris de oratore, et nunc maximo temporum nostrorum auctore prope impulsum, ut non modo plura hæc genera,
3 sed etiam pene innumerabilia videantur. Nam si *laudandi* ac *vituperandi* officium in parte tertia ponimus: in quo genere versari videbimur, cum *querimur, consolamur, mitigamus, concitamus, terremus, confirmamus, præcipimus, obscure dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus, gratulamur, objurgamus, maledicimus, describimus, mandamus, renuntiamus, optamus, opinamur*, et plurima [y]
4 alia? ut mihi in illa vetere persuasione permanenti, velut petenda sit venia: quærendumque, Quo moti priores, rem tam late fusam, tam breviter adstrinxerint? Quos qui errasse putant, hoc secutos arbitrantur, quod in his fere
5 versari tum oratores videbant. Nam et *laudes* ac *vituperationes* scribebantur, et ἐπιταφίες dicere erat moris, et plurimum in consiliis ac judiciis insumebatur operæ, ut scriptores Artium pro solis comprehenderint frequentissi-
6 ma. Qui vero defendunt, tria faciunt genera auditorum: unum, quod ad delectationem conveniat, alterum, quod consilium accipiat, tertium, quod de caussis judicet. Mihi cuncta rimanti,[z] talis quædam ratio succurrit, quod omne
7 oratoris officium, aut *in judiciis* est, aut *extra judicia*. Eorum, de quibus judicio quæritur, manifestum genus est: ea, quæ ad judicem non veniunt, aut præteritum habent tempus, aut futurum: præterita[a] laudamus aut vitupera-
8 mus; de futuris deliberamus. Item omnia de quibus dicendum est, aut certa sint necesse est, aut dubia. Certa, ut cuique est animus, laudat aut culpat: ex dubiis partim nobis ipsis ad electionem[b] sunt libera, de his deliberatur;

y plura G. Jens. z et quædam talis G. et *inf. etiam* Jens. a præteritum G. b delectationem.

συλλογος γίνεται. Hic certe ἐπιδεικτικῶ sive demonstrativi generis nulla mentio, contra βουλευτικὸν s. deliberativum genus ab ἐκκλησιαστικῶ s. concionali discretum est.

2. *apud Ciceronem*] De Orat. 2, 10. ex persona Antonii, *Quæ in foro atque in civium causis disceptationibusque versantur, ea mihi videntur aut in lite ordinanda, aut in consilio dando esse posita. Nam illud tertium* (laudationes) *etiamsi opus est, tamen minus est necessarium.* Disputantur deinde c. 11. plura in hanc sententiam.

6. *omne oratoris officium*] Aristotelea sunt, quæ laudavimus ad s. 1.

partim aliorum ſententiæ commiſſa, de his lite contenditur. Anaximenes *judicialem* et *concionalem* generales partes eſſe voluit; ſeptem autem ſpecies: *hortandi*, *dehortandi*; *laudandi*, *vituperandi*; *accuſandi*, *defendendi*; *exquirendi*, quod ἐξεταστικὸν dicunt: quarum duæ primæ *deliberativi*; duæ ſequentes *demonſtrativi*; tres ultimæ *judicialis* generis ſunt partes. Protagoram tranſeo, qui *interrogandi*, *reſpondendi*, *mandandi*, *precandi*, quod εὐχωλὴν dixit, partes ſolas putat. Plato in Sophiſta, *judiciali* et *concionali* tertiam adjecit προσομιλητικὴν [c], quam ſane permittamus nobis dicere *ſermocinatricem*: quæ a forenſi ratione diſjungitur, et eſt accommodata privatis diſputationibus; cujus vis eadem profecto eſt, quæ dialecticæ. Iſocrates in omni genere ineſſe *laudem* ac *vituperationem* exiſtimavit. Nobis [d] et tutiſſimum eſt auctores plures ſequi, et ita videtur ratio dictare. Eſt igitur, ut dixi, unum genus, quo laus ac vituperatio continetur, ſed eſt appellatum a parte meliore *laudativum*: idem alii *demonſtrativum* vocant: utrumque nomen ex Græco creditur fluxiſſe: nam et ἐγκωμιαστικὸν et ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non tam *demonſtrationis* vim habere, quam *oſtentationis* videtur, et multum [e] ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre: nam ut

9 10 11 12 13

[c] προζλητικὴν G. *male*. [d] autem *inf.* G. Jenſ. [e] nihil tamen Jenſ. *et* Locat. *male. Sed notabili tamen varietate, ex literarum obſcuritate et compendio vocis* tamen *orta.*

9. *Anaximenes*] Hujus ergo Lampſaceni rhetoris credidit etiam Fabius Rhetoricen ad Alexandrum, quæ in Ariſtotelis operibus habetur. Et, credo, vinci ſe paſſus eſſet hac auctoritate ὁ πάνυ Fabricius, cujus de morte illætabilis et luctuoſus φιλολόγοις omnibus nuntius, cum iſta ſcriberemus, aures noſtras et animum feriit, qui parum moveri ſe paſſus eſt a viris doctis, quos laudat ipſe Bibl. Gr. 3, 6, 7. et Menag. ad Laert. 2, 3. Nimirum auctor hujus libri in fine prooemii ait omnia hic ſcripta περὶ τε τῶν πολιτικῶν καὶ τῶν δικανικῶν παραγγελμάτων: has *concionalem* et *judicialem* partes vocat Fabius. Tum c. 2. ἰρία γένη, inquit, τῶν πολιτικῶν εἰσι λόγων, τὸ μὲν δημηγορητικὸν, τὸ δὲ ἐπιδεικτικὸν, τὸ δὲ δικανικόν· εἴδη δὲ τούτων ἑπτὰ, προτρεπτικὸν, ἀποτρεπτικὸν, ἐγκωμιαστικὸν, ψεκτικὸν, κατηγορικὸν, ἀπολογητικὸν, καὶ ἐξεταστικόν.

10. *Protagoram*] Diog. Laert. 9, 53. de illo, Διείλέ τε τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέτταρα· εὐχωλὴν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν· οἱ δὲ εἰς ἑπτὰ, διήγησιν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολὴν, ἀπαγγελίαν, εὐχωλὴν, κλῆσιν, ὃς καὶ συνῆψεν εἴπερ λόγων.

10. *Plato in Sophiſta*] περὶ τοῦ ὄντος p. m. 151. A. in elegantiſſima Sophiſticæ artis cum venatura comparatione, ubi τὸν ἡμεροθηρικὸν venatum hominum (manſuetiſſimi animalis) dividit in duas claſſes, alteram quidem βίαιον θήραν, nempe λῃστικὴν καὶ ἀνδραποδιστικὴν, καὶ τυραννικὴν, καὶ ξύμπασαν τὴν πολεμικὴν, alteram vero πιθανουργικὴν, nempe δικανικὴν καὶ δημηγορικὴν καὶ προσομιλητικὴν κ. τ. λ.

continet laudativum in se genus, ita non intra hoc solum
14 consistit. An quisquam negaverit Panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent, et plerumque de utilitatibus Græciæ loquuntur. Ut caussarum quidem genera tria sint, sed ea tum in negotiis, tum in ostentatione posita. Nisi forte non ex Græco mutantes *demonstrativum* vocant, verum id sequuntur, quod laus ac vitu-
15 peratio quale sit quidque demonstrat. Alterum est *deliberativum*; tertium *judiciale*. Ceteræ species in hæc tria incidunt genera: nec invenietur ex his ulla, in qua non *laudare* ac *vituperare*, aut [f] *suadere* aut *dissuadere*, *intendere* quid, vel *depellere* debeamus. Illa quoque sunt communia, *conciliare*, *narrare*, *docere*, *augere*, *minuere* [g], concitandis componendisve *affectibus animos* audientium *fingere*.
16 Ne his quidem accesserim, qui laudativam materiam *honestorum*, deliberativam *utilium*, judicialem *justorum* quæstione contineri putant, celeri magis ac rotunda usi distributione, quam vera. Stant enim quodam modo mutuis auxiliis omnia. Nam et in laude *justitia utilitasque* tractantur, et in consiliis *honestas*: et raro judicialem inveneris caussam, in cujus non parte aliquid eorum, quæ supra diximus, reperiatur.

V. Omnis autem oratio constat, aut ex his, quæ significantur, aut ex his, quæ significant, id est, *rebus*, et *verbis*. Facultas orandi consummatur *natura*, *arte*, *exercitatione*: cui quartam partem adjiciunt quidam *imitationis*,
2 quam nos arti subjicimus. Tria sunt item [h], quæ præstare debet orator, *ut doceat*, *moveat*, *delectet*. Hæc enim clarior divisio, quam eorum, qui totum opus in *res* et in *affectus* partiuntur. Non semper autem omnia in eam, quæ tractabitur, materiam cadent [i]. Erunt enim quædam remotæ ab affectibus: qui, ut non ubique habent locum,
3 ita quocumque irruperint, plurimum valent. Præstantis-

[f] *om.* G. Jens. [g] diminuere G. Jens. [h] autem G. Jens. *et al. ap. Burm.* [i] cadunt G.

14. *formam suadendi*] Isocratis v. g. Panegyricus suadet bellum contra Barbaros. Hinc ergo concludit, ἐπιδεικτικὸν i. *ostentativum* genus, latius patere, et tria genera complecti, in quantum ea hoc tantum sibi habent propositum, ut orator vim suam demonstret atque ostentet.

V, 1. *imitationis*] Auctor ad Herenn. c. 2. *Hæc omnia tribus rebus assequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione.* Scilicet *naturam* excludere non potest, sed ponit eam adesse.

ſimis auctoribus placet, alia in rhetorica eſſe, quæ probationem deſiderent, alia, quæ non deſiderent: cum quibus ipſe conſentio. Quidam vero, ut Celſus, de nulla re dicturum oratorem, niſi de qua quæratur [l], exiſtimant: cui cum maxima pars ſcriptorum repugnat, tum etiam ipſa partitio: niſi forte laudare, quæ conſtet eſſe honeſta, et vituperare, quæ ex confeſſo ſint [m] turpia, non eſt oratoris officium. Illud jam omnes fatentur, eſſe quæſtiones aut 4
in ſcripto, aut in *non ſcripto*. In ſcripto ſunt *de jure*; in non ſcripto *de re*. Illud *legale*, hoc *rationale* genus: Hermagoras atque eum ſecuti vocant νομικὸν et λογικόν. Idem ſentiunt, qui omnem quæſtionem ponunt in *rebus*, et in *verbis*. Item convenit, quæſtiones eſſe aut *infinitas*, 5
aut *finitas*. *Infinitæ* ſunt, quæ remotis perſonis et temporibus et locis, ceteriſque ſimilibus, in utramque partem tractantur, quod Græci θέσιν dicunt, Cicero *propoſitum*; alii *quæſtiones univerſales civiles*; alii *quæſtiones philoſopho convenientes*; Athenæus *partem cauſſæ* appellat. Hoc [n] 6
genus Cicero *ſcientia* et *actione* diſtinguit, ut ſit *ſcientiæ*, *An providentia mundus regatur? actionis*, *An accedendum ad remp. adminiſtrandam*. Prius, trium generum, *an ſit? quid* [o] *ſit? quale ſit?* omnia enim hæc ignorari poſſunt:

[l] quæritur G. [m] ſunt G. Jenſ. [n] Hoc genus *om.* G. [o] quid ſit? *om.* G. *male.*

3. *de qua quæratur*] Ad quam comprobandam vel refellendam proinde argumentis opus ſit, et probationibus. Facilius equidem conceſſerim, dicere oratorem de his etiam, de quibus non quæratur, quam illud prius, eſſe in rhetorica, quæ probatione non indigeant. Certe nullam vel laudandi, vel defendendi, vel ſuadendi, eorumque, quæ his contraria ſunt, rationem intelligere me fateor, præter eam quæ argumentis probet &c.

4. *omnes fatentur*] v. g. Cic. de Orat. 2, 31. Eod. 2, 26.

5. *Cicero propoſitum*] Topic. c. 21. ubi etiam *quæſtionum duo genera* conſtituit, *cognitionis* et *actionis*. In Partit. c. 1. *quæſtionem* dividit in *infinitam*, quam *conſultationem* appellat, et *definitam*, quam *cauſam* nominat. Porro c. 18. illam diviſionem exſequitur, et *poſiti genera duo* facit, *cognitionis alterum*, *alterum actionis*, eaque in eaſdem quæſtiones, in quas Fabius diſpeſcit. Paullum diverſa ab his ſunt de Orat. 1, 31. *Eſſe omnem orationem aut de infinitæ rei quæſtione, ſine deſignatione perſonarum et temporum; aut de re certis in perſonis ac temporibus locata.* De Orat. 2, 10. in *infinitum* et *certum genus quæſtionum* diſpeſcit. Ibid. 2, 19. in *cauſam* et *quæſtionem*. Add. de Orat. 3, 28.

6. *An providentia mundus*] Solenne eſt auctori noſtro hæc duo connectere. Vid. 5, 10, 14 et 89, it. 12, 2, 21. Eſt autem Stoica argumentatio, qui cum Sapientem Dei imitatorem conſtituant, rationes ita ſubducunt, non minus Sapientem adminiſtrare, ſi res ita ferat, remp. quam mundum providentia ſua Deus.

sequens, duorum, *quo modo adipiscamur? quo modo uta-*
7 *mur?* *Finitæ* autem sunt ex complexu *rerum, personarum, temporum,* ceterorumque: hæ ὑποθέσεις a Græcis dicuntur, *causſæ* a nostris. In his omnis quæstio videtur circa res
8 personasque consistere. Amplior est semper *infinita:* inde enim *finita* descendit. Quod ut exemplo pateat, infinita est, *An uxor ducenda?* finita, *An Catoni ducenda?* ideoque esse *suasoria* potest. Sed etiam remotæ a personis propriis ad aliquid referri solent. Est enim simplex, *An respublica administranda?* refertur ad aliquid, *An in tyrannide admi-*
9 *nistranda?* Sed hic quoque subest velut latens persona: tyrannis [p] enim geminat quæstionem, subestque et temporis et qualitatis tacita vis: nondum tamen hoc [q] proprie dixeris *causſam.* Hæ autem, quas *infinitas* voco, et *generales* appellantur: quod si est verum, *finitæ speciales* erunt. In omni autem speciali utique inest generalis, ut quæ sit
10 prior. Ac nescio, an in causſis quoque, quidquid in quæstionem venit qualitatis, generale sit. *Milo Clodium occidit: jure occidit insidiatorem:* nonne hoc quæritur, *An sit jus insidiatorem occidendi?* Quid in conjecturis? non illa generalia, *An causſa sceleris odium? cupiditas? An tormentis credendum? Testibus an argumentis major fides habenda?* Nam finitione quidem comprehendi nihil non in universum
11 certum erit. Quidam putant etiam eas posse *theses* aliquando nominari, quæ personis causſisque contineantur, aliter tantum modo positas: ut Causſa sit, *cum Orestes accusatur:* Thesis, *An Orestes recte sit absolutus:* cujus generis est, *an Cato recte Martiam Hortensio tradiderit.* Hi thesin a causſa sic distinguunt, ut illa sit *spectativæ* partis, hæc *activæ:* illic enim veritatis tantum gratia disputari,
12 hic negotium agi. Quamquam inutiles quidam oratori putant universales quæstiones, quia nihil prosit, quod constet, *Ducendam esse uxorem,* vel *Administrandam rempublicam;* si quis vel ætate vel valetudine impediatur. Sed non [r] omnibus ejusmodi quæstionibus sic occurri potest, ut illis, *Sitne virtus finis? Regaturne providentia mun-*
13 *dus?* Quin etiam in iis, quæ ad personam referuntur, ut non est satis generalem tractasse quæstionem, ita perveniri ad speciem, nisi illa prius excussa, non potest. Nam quo modo, *An sibi uxor ducenda sit,* deliberabit Cato, nisi constiterit *uxores esse ducendas?* Et quomodo, *An ducere*

[p] *Sic* G. tyrannus *rel.* [q] hic G. *om.* Jens. *et al.* [r] in omnibus eiſdem G. Jens.

Martiam debeat quæretur, nisi *Catoni ducenda uxor est?* Sunt tamen inscripti nomine Hermagoræ libri, qui confir- 14
ment illam opinionem, sive falsus est titulus, sive alius hic Hermagoras fuit. Nam ejusdem esse quo modo possunt, qui de hac arte mirabiliter multa composuit, cum, sicut ex Ciceronis quoque rhetorico [s] primo manifestum est, materiam rhetorices in *theses* [t] et *causas* divisserit? quod 15
reprehendit Cicero: ac thesin nihil ad oratorem pertinere contendit, totumque hoc genus quæstionis ad philosophos refert. Sed me liberavit reprehendendi [u] verecundia, et quod ipse hos libros improbat, et quod in oratore, atque iis, quos de oratore scripsit, libris [x], et Topicis, præcipit, ut a propriis personis atque temporibus avocemus controversiam: quia latius dicere liceat de genere, quam de specie, et quod in universo probatum sit [z], in parte probatum esse necesse sit. Status autem in hoc omne genus 16
materiæ iidem, qui in causas [a] cadunt. Ac hoc [b] adjicitur, alias esse quæstiones in rebus ipsis, alias, quæ ad aliud [c] referantur: illud, *An uxor ducenda?* hoc, *An seni ducenda?* illud, *An fortis?* hoc, *An fortior?* et [d] similia. Causam finit Apollodorus, ut interpretatione Valgii [e] dis- 17
cipuli ejus utar, ita, *Causa est negotium omnibus suis partibus spectans ad quæstionem:* aut, *Causa est negotium, cujus finis est controversia.* Ipsum deinde negotium sic finit, *Negotium est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum, et non scriptorum.* *Causam* nunc intel- 18
ligimus ὑπόθεσιν, *negotium* περίστασιν. Sed ipsam causam quidam similiter finierunt, ut Apollodorus negotium.

[s] rhetoricæ G. [t] thesis G. Jens. *hic et sæpe.* [u] respondendi Jens. [x] *om.* G. [z] est G. Jens. [a] causam *iid.* [b] Adhuc *iid.* [c] aliquid *iid.* [d] et similia *om. iidem.* [e] Valgi Jens.

14. *Cic. rhet. primo*] sive de Inv. 1, 6.

15. *ipse hos libros impr.*] Vid. supra ad 3, 1, 20.

15. *in oratore*] V. G. c. 14. *Orator, non ille vulgaris, sed hic excellens a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam. Latius enim de genere, quam de parte disceptare licet: ut, quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse. Hæc igitur quæstio, a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta, appellatur thesis* &c.

15. *de oratore*] V. G. 3, 30. *Ornatissimæ sunt orationes eæ, quæ latissime vagantur, et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt, ut ii qui audiant, natura, et genere, et universa re cognita, de singulis reis, et criminibus et litibus statuere possint* &c.

15. *Topicis*] Jam laudavimus locum ad 5. 5.

Isocrates causſam esſe ait *quæſtionem finitam civilem, aut* [f] *rem controverſam in perſonarum finitarum complexu.* Cicero his verbis, *Cauſſa certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum.*

VI. (VI.) Ergo cum omnis cauſſa contineatur aliquo ſtatu, prius quam dicere aggredior, quo modo genus quodque cauſſæ ſit tractandum, id quod commune eſt omnibus, Quid ſit *ſtatus*, et unde ducatur, et quot, et qui ſint, intuendum puto. Quamquam id nonnulli ad judiciales tantum pertinere materias putaverunt; quorum inſcitiam, cum omnia tria genera fuero executus, res ipſa
2 deprehendet. Quod nos *ſtatum*, id quidam *conſtitutionem* vocant, alii *quæſtionem*, alii *quod ex quæſtione appareat:* [g] Theodorus *generale* [h] *caput*, id eſt, κεφάλαιον γενικώτατον, ad quod referantur [i] omnia. Quorum diverſa appellatio, vis eadem eſt: [k] nec intereſt diſcentium, quibus quidque no-
3 minibus appelletur [l], dum res ipſa manifeſta ſit. *Statum* Græci στάσιν vocant: quod nomen non primum ab Hermagora traditum putant [m], ſed alii ab Naucrate [n] Isocratis [o] diſcipulo, alii a Zopyro Clazomenio: quamquam videtur Æſchines quoque in oratione contra Cteſiphontem uti

[f] at G. [g] caput *inſ.* Jenſ. [h] generale *om.* Jenſ. [i] referuntur *iidem.* [k] *om.* Jenſ. [l] appellatur Jenſ. [m] putatur G. Jenſ. [n] Eucrate *iidem et MSS. plures ap. Burm.* [o] Socratis G. *et MSS. plures ap. Burm.*

VI, 3. *Naucrate Iſocratis*] Etiam alias confundi *Eucratis* et *Naucratis*, *Socratis* et *Iſocratis* nomina, docent Turnebus et Burmannus. In Isocratis auditoribus Naucrates commemoratur etiam a Cicerone de Orat. 2, 23. et 3, 44. it. in Orat. 51.

3. *Æſchines*] Locum jam laudavit Turnebus. Est autem p. 303. c. edit. 1607. (ſ. 70. p. 122. ed. Oxon. 1697, 8.) quem huc etiam proponere juvat. Petierat Æſchines, ut vel plane non audiatur Demoſthenes, vel ſi omnino audire illum placeat, ut certe cogatur intra formulam quaſi manere, et ordine eo, quem accuſator tenuerat, ad objecta clienti ſuo ſibique crimina reſpondere. Hic "Ωσπερ ἂν, inquit, ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὁρᾶτε τὰς πύκτας περὶ τῆς στάσεως διαγωνιζομένους, οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὲρ τῆς πόλεως ἢ περὶ τῆς τάξεως αὐτῷ τῷ λόγῳ (ſic leg. non λόγῳ) μάχεσθε, ἢ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν ἔξω τοῦ παραγράμμου λόγους περιίσασθαι, ἀλλ' ἐγκαθῆμενοι καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἀκροάσει, εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τὰς τῶν πράγματος λόγους, καὶ τὰς ἐκτροπὰς αὐτῷ τῶν λόγων ἐπιτηρεῖτε. Apparet vero his, qui Græce ſciunt, στάσεως vocem hic tribui non oratori, ſed pugilibus ſ. athletis, qui in *ſtatu* et *gradu* conſiſtunt, neque *dejici* ac *depelli* ſe inde patiuntur: cum illo pugilis ſtatu deinde comparat Æſchines ordinem et formulam accuſationis ſuæ, quam ſervari vult, neque extra eam aliquid dici. Si quid mutandum ſit in hoc loco, ut ei melius cum Fabio conveniat, non equidem nomina στάσεως et τάξεως

hoc verbo, cum a judicibus [p] petit, ne [q] Demoſtheni [r] permittant evagari [s], ſed eum dicere de ipſo *cauſſæ ſtatu* cogant. Quæ appellatio dicitur ducta, vel ex eo, quod ibi 4
ſit primus cauſſæ congreſſus, vel quod in hoc cauſſa conſiſtat. Et nominis quidem hæc origo: nunc quid ſit. *Statum* quidam dixerunt *primam cauſſarum conflictionem*: quos recte ſenſiſſe, parum elocutos puto. Non eſt enim 5
ſtatus prima conflictio, *Feciſti, non feci*: ſed quod ex prima conflictione naſcitur, id eſt, genus quæſtionis, *Feciſti, non feci, an fecerit? Hoc feciſti, non hoc feci* [t], *quid fecerit?* Quia ex his apparet, illud conjectura, hoc finitione quærendum; atque in eo [u] pars utraque *inſiſtit*: erit quæſtio conjecturalis, vel finitivi ſtatus. Quid [x] ſi enim dicat 6
quis, *Sonus eſt duorum inter ſe corporum conflictio*: erret, ut opinor; non enim ſonus eſt conflictio, ſed ex conflictione. Et hoc levius: intelligitur enim utcumque dictum. Indo vero ingens male interpretantibus innatus eſt error, qui, quia primam conflictionem legerant, credidere ſtatum ſemper ex prima quæſtione dicendum [z]: quod eſt vitioſiſſimum. Nam quæſtio nulla [a] non habet utique ſtatum: 7
conſtat enim ex intentione, et depulſione: ſed aliæ ſunt propriæ cauſſarum, de quibus ferenda ſententia eſt, aliæ adductæ extrinſecus, aliquid tamen ad ſummam cauſſæ conferentes, velut auxilia quædam: quo fit, ut in controverſia una plures quæſtiones eſſe dicantur. Harum 8
porro plerumque leviſſima quæque primo loco fungitur. Namque et illud frequens eſt, ut ea, quibus minus confidimus, cum tractata ſint [b], omittamus, interim ſponte

[p] judiciis G. [q] ut G. [r] Demoſthenem Jenſ. [s] vagari G. [t] quis *inſ.* Jenſ. [u] quo Jenſ. [x] *Forte leg.* Quod ſi—conflictio: erret. [z] deducendum G. *et al. MSS. apud Burm. forte* ducendum? *quod habent quidam apud eund.* [a] illa G. [b] ſunt G.

permutaverim, quod Philander ſuadet: ſed ſimpliciter pro τάξεως, ςάσεως legerim: primo enim in ſcriptura antiqua ΤΗΣΤΑΞΕΩΣ et ΤΗΣΤΑΣΕΩΣ (ſemel tantum poſito Σ ultimo in τῆς et primo in ςάσεως) facillime confunduntur; deinde τάξεως facile poterat hic cogitare aliquis, quod id ipſum petere Æſchinem videret, ut ordine ad objecta ſibi crimina reſponderet Demoſthenes. Sed quidquid ejus ſit, de pugilum *gradu* ac *ſtatu* certior auctoritas ex hoc loco petitur, quam de *ſtatu* rhetorum.

8. *primo loco fungitur*] *Funditur* conjiciebat Gallæus. Sed nihil mutandum. Non eſt ſermo de fuga et repulſione: ſed de acie quaſi, quam inſtruit orator. Hic leviſſima quæque *fungitur* primo loco aciei, ut velites nimirum et levis armaturæ milites, qui velitandi et pugnæ laceſſendæ cauſa præmiſſi, commiſſo mox certamine recipiunt ſe, et robuſtioribus rem gerendam tradunt.

noſtra velut donantes, interim ad ea, quæ ſunt potentiora,
9 gradum ex his feciſſe contenti. Simplex autem cauſſa
etiam ſi varie defenditur, non poteſt habere plus uno, de
quo pronuntietur: atque inde erit *ſtatus cauſſæ*, quod et
orator præcipue ſibi obtinendum [c], et judex ſpectandum
10 maxime intelligit: in hoc enim cauſſa conſiſtet. Ceterum
quæſtionum poſſunt eſſe diverſi. Quod ut breviſſimo pa-
teat exemplo: cum dicit reus, *Etiam ſi feci, recte feci*;
qualitatis utitur ſtatu: cum dicit, *Non feci*; conjecturam
movet. Semper autem firmius eſt *non feciſſe*: ideoque in
eo ſtatum eſſe judicabo, quod dicerem, ſi mihi plus, quam
11 unum, dicere non liceret. Recte igitur eſt appellata
cauſſarum prima conflictio, non *quæſtionum*. Nam et pro
Rabirio Poſtumo Cicero prima [d] parte orationis in [e] hoc
intendit, ut actionem competere in equitem Romanum
neget: ſecunda, nullam ad eum pecuniam perveniſſe con-
firmat. Statum tamen in eo dicam fuiſſe, quod eſt po-
12 tentius. Nec in cauſſa Milonis circa primas quæſtiones,
quæ ſunt ante proœmium [f] poſitæ, judicabo conflixiſſe
cauſſam: ſed ubi totis viribus *inſidiator* [g] *Clodius, ideoque*
jure interfectus, oſtenditur. Et hoc eſt, quod ante omnia
conſtituere in animo ſuo debeat orator, etiam ſi pro cauſſa
plura dicturus eſt, quid [h] maxime liquere judici velit.
Quod tamen ut primum cogitandum, ita non utique pri-
13 mum dicendum erit. (VII.) Alii ſtatum crediderunt pri-
mam ejus, cum quo ageretur, deprecationem [i]. Quam

[c] proponendum G. *et Vallæ liber ap. Burm.* opponendum *boni libri ap. eund.* [d] primam partem Jenſ. [e] in *om.* G. Jenſ. *forte leg.* huc. [f] narrationem G. *in margine.* [g] inſidiatur G. *quid ſi* inſidiatus. [h] quod Jenſ. [i] depulſionem *boni libri plures apud Burm.*

9. *obtinendum*] Non auſim damnare verbum, quod locum ſuum commode hic tueri videatur, et tum ad actorem tum ad reum poſſit referri. Sed fateor tamen placere *proponendum*, quod magnis auctoritatibus nititur. *Proponere* et *propoſitio* proprium quaſi locum habent in actore: V. G. mox ſ. 13 et 15. it. 5, 13, 13. 20, 46, 49. Ait orator, et proponit, *Fecit Sempronius*, ſpectat judex, *An fecerit?* qui ipſe ſtatus eſt.

12. *ante proœmium*] Si a prima manu eſſet *narrationem*, quod Gothæ legi indicavimus, non dubitaſſem recipere: cum jam ab Regio animadverſa ſit receptæ lectionis difficultas, et provocatum ad noſtri 4, 2, 25. *Niſi forte M. Tullius— male diſtuliſſe narrationem videtur.* Sed cum ab emendatore ſit *narrationem*: prætulerim *poſt proœmium*, quod habent editiones quædam; aut *ante in proœmium*, quod omnium proxime ad vitiatam ſcripturam accedit, et habetur Burmanno teſte apud Colinæum, et Stephanum in margine.

13. *deprecationem*] Hoc eſt *depulſionem* criminis, quam deinde vocat aliquoties, et reſponſionem ad

ſententiam his verbis Cicero complectitur, *In quo primum inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio.* Unde rurſus alia quæſtio, an eum ſemper is faciat, qui reſpondet. Cui rei præcipue repugnat Cornelius Celſus, dicens *non a depulſione ſumi, ſed ab eo, qui propoſitionem ſuam confirmet*: ut ſi hominem occiſum reus negat, ſtatus ab accuſatore naſcatur, quia is velit probare: ſi jure occiſum reus dicit, tranſlata probationis neceſſitate idem a reo fiat [l], et [m] ſit ejus intentio. Cui non accedo equidem: nam eſt vero 14
propius quod contra dicitur, nullam eſſe litem, ſi is, cum quo agitur [n], nihil reſpondeat: ideoque fieri ſtatum a reſpondente. Mea tamen ſententia varium id eſt, et accidit 15
pro conditione cauſſarum: quia et videri poteſt propoſitio aliquando ſtatum facere, ut in conjecturalibus cauſſis; utitur enim conjectura magis qui agit: (quo moti quidam, eumdem a reo *infitialem* eſſe dixerunt) et in ſyllo-

[l] fiet Jenſ. [m] ut G. [n] agatur Jenſ.

objecta. Ac *deprecari* nonnunquam idem eſſe quod avertere, certum eſt; et a nobis cum olim Gellius 6, 16. laudatus eſſet, hujus quoque loci et Burmanni auctoritate in Fabriano Theſauro firmatum. Neque tamen putamus huic verbo locum eſſe, ubi non et *preces* intercedere poſſint, ut apud judices etiam qui juſtam cauſam habent, tamen preces adjicere moris eſt, et, qui deteſtantur malum, preces ad Deum allegant. Obſervo etiam illud, Nepotis locum, quod non integre relatus eſt in Fabrum, errandi occaſionem præbere poſſe. Ponitur ita, *Tantum abfuit a cupiditate pecuniæ, ut nulla in re uſus ſit ea, niſi in deprecandis amicorum periculis aut incommodis.* Hinc igitur ſi quis formaret phraſin, *deprecari pericula amicorum ſua pecunia*, putaret ſe cum Cornelio loqui; et erraret. Jungenda etiam quæ præcedunt, *Cujus* Agrippæ generi ſui *gratia*, qua is apud Cæſarem valuit, *cum augere poſſeſſiones poſſet ſuas*, tantum *abfuit a cupiditate pecuniæ, ut nulla in re uſus ſit ea*, gratia Agrippæ apud Cæſarem &c. Denique non puto bene dixiſſe Græ-

vium, (quod et manes illius et amici mihi ignoſcent, magno viri admiratori) *magnum reip. imminere periculum, niſi Deus deprecaretur et averteret*: necdum invenio, ubi quis veterum ita locutus ſit: nec ſi cui exciderit, recte dictum arbitror.

13. *Cicero*] Top. c. 25. *Refutatio accuſationis, in qua eſt depulſio criminis, quæ Græce κάτηγορία dicitur, Latine appellatur ſtatus, in quo primum inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio.*

13. *propoſitionem ſuam*] Actionem. Vid. ſ. 15. et alia loca Quinctiliani indicata ad ſ. 9.

15. *quo moti quidam*] Cum ſentirent quidam Artium ſcriptores *conjecturam* eſſe actoris, quoties quæritur, *An fecerit?* et ſtatum tamen vellent oriri ex rei depulſione potius quam ex propoſitione actoris; ipſum nomen immutantes *infitialem* vocari ab illo reorum præſidio *infitiatione* ſ. negatione maluerunt. Vid. infra ſ. 31. Hæc porro parentheſi includenda curavi, ne ſententiæ continuationem perturbent.

16 giſmo tota ratiocinatio ab eo eſt, qui intendit. Sed quia videtur illis quoque neceſſitatem hos ſtatus exſequendi facere qui negat, (is enim ſi dicat, *Non feci*, coget adverſarium conjectura uti: et ſi dicat, *Non habet legem*, ſyllogiſmo) concedamus ex depulſione naſci ſtatum. Nihilo minus enim res eo revertetur, ut modo is qui agit, modo
17 is cum quo agitur, ſtatum faciat. Sit enim accuſatoris intentio, *Hominem occidiſti:* ſi neget reus, faciet ſtatum
14 qui negat: quod [o] ſi confitetur [p], ſed *jure a ſe adulterum dicit occiſum*; nempe legem eſſe [certum [q] eſt] quæ permittat: niſi aliquid accuſator reſpondeat [r], nulla lis eſt.
15 *Non fuit* (inquit) *adulter:* ergo depulſio incipit eſſe actoris: ille ſtatum faciet. Ita erit quidem ſtatus ex prima
18 depulſione, ſed ea fiet ab accuſatore, non a reo. Quid? quod eadem quæſtio poteſt eumdem vel accuſatorem facere vel reum: *Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim primis ordinibus ne ſedeat:* qui ſe prætori [s] in hortis oſtenderat, neque erat productus, ſedit in quatuordecim
19 ordinibus. Nempe intentio eſt, *Artem ludicram exercuiſti:* depulſio, *Non exercui artem ludicram:* quæſtio, *Quid ſit artem ludicram exercere?* Si accuſabitur theatrali lege; de-

[o] Quid ſi confitetur? G. Jenſ. [p] confutetur *ſphalma Obr. et Burm.* [q] certum eſt *pro emblemate habeo hominis, qui continuationem et conſequentiam orationis non intelligeret.* [r] reſpondet G. [s] P. R. *h. e.* Populo Romano in horchiſtra *h. e.* orcheſtra *conj. P. Pithœi. Vid. no.*

16. *illis quoque*] Mihi non eſt dubium, legendum eſſe *illic*, et eo adverbio reſpici ad ſpecies modo propoſitas, nempe ad conjecturales cauſas atque ad ſyllogiſmum. In his enim ipſis etiam qui negat, qui depellit aliquid, *ſtatus* vel *conjecturalis* vel *ratiocinativi* exſecutionem alteri imponit. Sed ſtatim oſtendit Fabius, negare ac depellere nunc reum, nunc ipſum etiam actorem.

16. *Non habet legem*] Nimirum *Syllogiſmus* ille ſpeciatim dicitur, vel *ratiocinativus ſtatus*, quoties non tam ipſa lege, quam argumento legis pugnamus. Vid. inf. 7, 8.

18. *prætori in hortis*] *Prætorum* ludos ſæpe commemorant antiqui. Hos privatim in *hortis* fuiſſe probatos, conſtat. Itaque nihil erat, quod tentaret hunc locum Pe. Pithœus Adverſ. 2, 17. (Lamp. Crit. To. 2. p. 799.) Cui pleniſſime ſatisfactum a Pe. Fabro Semeſtr. 1, 20. p. 137. ſq. indicavit etiam ad h. l. Burmannus. Quæ de privatis hiſtrionibus monent per hanc occaſionem viri docti, his addi poteſt locus Plinii epiſt. 7, 24. ubi de Numidia Quadratilla privata muliere, *Habebat illa pantomimos. Hos*, nepos illius, *Quadratus non in theatro, non* DOMI *ſpectabat.* Ibidem eſt, *Sacerdotalibus ludis,* PRODUCTIS *in commiſſione pantomimis.* De ipſis juris rationibus ad h. l. diſputat vir ſummus Bynkerſh. Obſ. Jur. Ro. 5, 8. p. 38.

19. *theatrali lege*] Roſciine Othonis, quem tanto ſucceſſu defendit, cum ea cauſa populi invidia flagraret, Cicero? Vid. Fabric. in

pulsio erit rei: si excitatus fuerit de spectaculis, et aget injuriarum; depulsio erit accusatoris. Frequentius ta- 20
men illud accidet, quod est a pluribus traditum. Effugerunt has quæstiones qui dixerunt statum esse id, quod appareat ex intentione et [t] depulsione, ut, *Feci*sti, *Non feci*, aut, *Recte feci*. Viderimus tamen, utrum id sit status, an 21
in eo status. Hermagoras *statum* vocat, per quem subjecta res intelligatur, et ad quem probationes, etiam partium referantur. Nostra opinio semper hæc fuit [u], quum essent frequenter in caussa diversi quæstionum status, in eo credere [x] *statum caussæ, quod esset in ea potentissimum* [z], *et in quo maxime res verteretur*. Id si quis *generalem quæstionem*, vel *caput generale* dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna: non magis, quam si aliud adhuc, quo idem intelligatur, ejus rei nomen invenerit, quamquam tota volumina in hanc disputationem impendisse multos sciam: nobis *statum* dici placet. Sed cum in aliis omnibus inter 22
scriptores summa dissensio est, tum in hoc præcipue [a] videtur mihi studium quoque diversa tradendi [b] fuisse: adeo nec qui sit numerus, nec quæ nomina, nec qui generales, quive speciales sint status, convenit. Ac primum Aristo- 23
teles elementa decem constituit, circa quæ versari videatur omnis quæstio. Οὐσίαν, quam Flavius [c] *essentiam* vocat: neque sane aliud est ejus nomen Latinum: sed ea quæritur, *An sit? Qualitatem*, cujus apertus intellectus est. *Quantitatem*, quæ dupliciter a posterioribus divisa

[t] et depulsione *om.* G. [u] ut *inf.* G. Jens. [x] crederem *iid.* [z] perfectissimum G. [a] præcipuum G. Jens. [b] tractandi G. [c] Plancius G. Plato Jens. *vid.* 2, 14, 2.

illius vita A. 40. s. 15. An alia recentiore? Pe. Faber l. c. intelligit SC. circa illam Augusti temporibus factum.

19. *depulsio erit accusatoris*] Ille enim sic aget, *Injuriam mihi fecisti, cum excitasti me de spectaculis:* respondebit alter, *Non feci injuriam, tu enim artem ludicram exercuisti:* actor, *Non exercui, neque enim productus sum.* Est igitur depulsio illa atque infitiatio in hac specie actoris.

21. *quum essent*] Nescio quam bene dicatur, *Nostra opinio hæc fuit, credere*: et haud paullo melius arbitror, *ut crederem*, quod supra proposui.

23. *Aristoteles*] Categor. c. 4. sqq. quæ quidem divisio non tam ad oratorium usum, quam ad subtiliorem propriamque philosophis disputationem comparata est.

23. *neque sane aliud*] *Existentiam* scholastici dicunt, quoties quæritur, *An sit? Substantia* vocatur deinde s. 38 et 39. *Naturam* potius id esse Ciceroni, quod *substantiam* aut *essentiam* adeo vocant scholastici, inductione exemplorum facile efficitur.

est, *Quam magnum*, et, *Quam multum sit? Ad aliquid*, un-
24 de ductæ *relatio* [d] et *comparatio*. Post hæc *Ubi*, et *Quando*: deinde *Facere*, *Pati*, *Habere*, quod est quasi *armatum esse*, et [e] *vestitum esse*. Novissime, Κεῖσθαι [f], quod est *Compositum esse quodam modo*, ut *sedere* [g], *stare*, *jacere* [h]. Sed ex his omnibus prima quatuor ad status pertinere, cetera
25 ad quosdam locos argumentorum videntur. Alii novem elementa posuerunt, *Personam* [i], qua de animo, corpore, extra [l] positis, quæratur, quod pertinere ad conjecturæ et qualitatis instrumenta video; *Tempus*, quod χρόνον vocant, ex quo quæstio, *An is quem, dum* [m] *addicta est, mater peperit, servus sit natus? Locum* [n], unde controversia videtur, *An fas fuerit Tyrannum in templo occidere? An exulaverit,*
26 *qui domi latuit?* *Tempus* iterum, quod καιρὸν appellant: hanc autem videri volunt speciem illius temporis, ut æstatem, vel hiemem, huic subjicitur *ille in pestilentia comissator* [o]; *Actum*, id est πράξιν, quod eo referunt, *Sciens com-*

[d] translatio *al. nos sequimur Gothanum et scholam Aristotelis.* [e] *om.* G. [f] συγκεῖσθαι G. *Sed* κεῖσθαι *Aristoteles.* [g] calefacere G. Jens. *et plures ap. Burm. quidam etiam* calere. [h] irasci *iid.* [i] in *inf. iid. recte, arbitror.* [l] ex propositis Jens. [m] nondum *idem.* [n] Locus *id.* [o] commessator G. comessator *al.* comisator Voss. 1 et 3 *ap. Burm.*

23. *Quam magnum*] Hanc, nim. *magnitudinem, continuam* quantitatem vocant, alteram vero i. e. *multitudinem, discretam.*

24. *sedere, stare*] Recte ista se habere, non est dubium: Aristoteles utitur exemplis τῷ κεῖσθαι, ἀναπεῖσθαι, καθῆσθαι. Sed mirum tamen, qui factum sit, ut *calefacere* et *irasci* hunc locum in antiquissimis fere libris invaserit. Fabium enim Aristoteleis exemplis usum probat illud proximum, *quod est quasi armatum esse, vestitum esse*, Aristoteli ὑποδεδῖσθαι, ὑπλίσθαι. Supereſt igitur, vel ordinem verborum ipsius Fabii perturbatum, vel exempla a studioso adscripta ad *facere et pati* ab imperito librario huc inculcata: quibus deinde Aristotelea exempla alius substituit. Sed sine libro scilicet antiquo, ista hariolari modo licet. Lectionem, quam proposuimus, bonam præstare possumus; a Quinctiliano esse, præstare non possumus.

25. *dum addicta est*] Vid. nost. ter 5, 10, 60. præsertim 7, 3, 26. sq.

25. *qui domi latuit*] Nimirum, *exilium* non simpliciter loci nomen, sed status. Hinc *exulem* nominabant Tullium, cum jam revocatus esset, et in foro atque curia versaretur, inimici, qui jure revocatum negarent scilicet. Vid. pro Domo c. 27. et ad Q. Fratr. 3, 2.

26. *in pestilentia comissator*] Dubium, utrum illud pestilentiæ tempus, καιρὸς ille, pertineat ad intendendam hominis luxuriosi reprehensionem (quod quidem probabilius) an ad mitigandam? Certe sumtuariarum legum, et quæ ludis donationibusque modum statuunt, exceptionem habere in Saxonia pestilentiam, audire me memini, ejusque rei præclaram, si DIS placet rationem a magno ICto adlatam, *quia in bello omnia licent; pestilentia autem bellum est inter Deum et homines.* Belle!

miserit, an insciens? necessitate, an casu? et talia; *Numerum*, qui cadit in speciem quantitatis, *An Thrasybulo*[p] *triginta præmia debeantur, qui tot tyrannos sustulerit? Caussam*, cui plurimæ subjacent lites, quoties[q] factum 27
non negatur, sed quia justa ratione sit factum, defenditur; Τρόπον, cum id, quod alio modo fieri licet, alio dicitur factum; hinc est *adulter loris cæsus*, vel *fame necatus*; *Occasionem factorum*, quod est apertius, quam ut vel interpretandum, vel exemplo sit demonstrandum: tamen ἀφορμὰς ἔργων vocant. Hi quoque nullam quæstionem extra 28
hæc putant. Quidam detrahunt duas partes, *numerum* et *occasionem*: et pro illo, quem dixi *actu*, subjiciunt *res*, id est πράγματα. Quæ ne præteriisse viderer, satis habui attingere. Ceterum his nec status satis ostendi, nec omnes contineri locos credo: quod apparebit diligentius legentibus, quæ de utraque re dicam. Erunt enim plura multo, quam quæ his elementis comprehenduntur. Apud 29
plures auctores legi, placuisse quibusdam, unum omnino *statum* esse *conjecturalem*. Sed quibus placuerit, neque illi tradiderunt, neque ego usquam reperire potui. Rationem tamen hanc secuti dicuntur, quod res omnis signis colligeretur[r]: quo modo licet[s] qualitatis quoque solum statum faciant: quia ubique qualis sit cujusque rei natura, quæri potest. Sed utrocumque modo sequetur summa confusio. Neque interest, unum quis statum faciat, an nullum, si omnes causæ sint[t] conditionis ejusdem. *Conjectura* dicta est a *conjectu*, id est directione quadam rationis ad veritatem: unde etiam somniorum atque ominum interpretes *conjectores* vocantur[u]. Appellatum tamen est 30
hoc genus varie, sicut in sequentibus apparebit. (VIII.) Fuerunt[x] qui duos status facerent: Archidemus[z] *conjecturalem*, et *finitivum*, excusa *qualitate*, quia sic de ea

[p] Thrasybolo G. [q] consequens G. *ut solet.* [r] colliguntur G. Jens. [s] libet *iid.* [t] sunt G. [u] vocamus G. Jens. [x] Querunt G. Jens. *male.* [z] Archiedemus. G.

27. *adulter loris cæsus*] Quem scilicet ulcisci raphano, mugili, παραπιλισμῷ, castratione, cæde adeo, diversis gentium legibus liceret: non tractare quocumque modo quis vellet. Sed docet tamen Bynkershœkius Obs. 5, 8. p. 39. sq. licuisse Romæ etiam *loris cædere adulterum*; in primis ex l. 22. §. 3. π ad L. Jul. de Adult. et Val. Max. 6, 1, 13. De *fame* autem præcise negat, quia iræ quidem subitæ indulgent leges, non cuicunque supplicio.

27. *tamen ἀφορμὰς*] Vocis *tamen* eam vim esse puto, quasi dicat, ne tamen minus brevis esse videar, illud certe adjiciam.

quæri exiſtimabat, *Quid eſſet iniquum? quid injuſtum? quid dicto audientem non eſſe?* quod vocat, *de eodem et*
31 *alio*. Hinc[a] diverſa ſententia eorum fuit, qui duos quidem ſtatus eſſe voluerunt, ſed unum *infitialem*, alterum *juridicialem*. *Infitialis*, quem nos dicimus *conjecturalem*, cui ab infitiando nomen alii in totum dederunt, alii in partem, quia accuſatorem conjectura, reum infitiatione uti
32 putaverunt. *Juridicialis* eſt qui[b] δικαιολογικὸς Græce[c] dicitur. Sed quemadmodum ab Archidemo[d] qualitas excluſa eſt, ſic ab his repudiata finitio: nam ſubjiciunt eam juridiciali: quærendumque arbitrantur, *Juſtumne ſit, ſacrilegium appellari quod objiciatur, vel furtum, vel amentiam?*
33 qua in opinione Pamphilus fuit: ſed *qualitatem* in plura partitus eſt: plurimi deinceps, mutatis tantum nominibus, *in rem, de qua non conſtet*, et *in rem, de qua conſtet*. Nam[e] eſt verum, nec aliter fieri poteſt, quam ut aut certum ſit factum eſſe quid, aut non ſit. Si non eſt certum,
34 conjectura fit: ſi certum eſt, reliqui ſtatus. Nam idem dicit Apollodorus, quum quæſtionem aut *in rebus* extra poſitis, quibus conjectura explicatur, aut *in noſtris opinionibus* exiſtimat[f] poſitam; quorum illud πραγματικὸν, hoc
35 περὶ ἐννοίας vocat. Idem, qui ἄπορον[g] et προληπτικὸν dicunt, quo[h] *dubium* et *præſumtum* ſignificatur, de quo liquet. Idem[i] Theodorus: qui de eo *An ſit*, et de *accidentibus ei, quod eſſe conſtat*[l], id eſt περὶ ἐσίας καὶ συμβεβηκότων exiſtimat quæri. Nam in his omnibus prius genus *conjecturam* ha-

[a] Huic G. Jenſ. *forte melius.* [b] agere dicitur *ac* δικαιολ. G. *et* Voſſ. 2. [c] Græce *om.* G. *Fuit igitur, puto,* qui a Græcis dicitur δικαιολογικός. [d] Archiedemo G. [e] Non G. *male.* [f] exiſtimet G. Jenſ. [g] ἀπρόληπτον G. [h] i. G. *qua nota ſignatur* id eſt. [i] item G. [l] conſtet Jenſ.

30. *de eodem et alio*] Sæpius hæc appellatio recurrit, ut mox ſ. 36 et 48. it. infra 7, 3, 8. De ea re ſic Cic. Top. 22. ut ad *qualitatem* referat, *Cum quæritur, quale quid ſit, aut ſimpliciter quæritur aut comparate. Comparationum duo genera, unum de eodem et alio,—ut ſi quæratur, quid interſit inter amicum et aſſentatorem, regem et tyrannum*—Deinde c. 23. ubi de definitione, *Atque huic generi finitimum eſt illud, quod appellari de eodem et altero diximus: quod genus forma quædam definitionis eſt. Si enim quæratur, idemne ſit pertinacia et perſeverantia, definitionibus judicandum eſt.* In Partit. c. 19. *Illius generis, in quo quid ſit de quo agitur, quæritur, duo ſunt genera: quorum in altero diſputandum eſt, aliud an idem ſit? ut pertinacia et perſeverantia* &c.

31. *infitialis*] Vid. paullo ante ſ. 15.

32. *vel furtum, vel amentiam*] Non reſpondet ἢ *vel* ad *juſtumne*, ut ponatur pro *an*, ac de uno facto quæratur, quo potiſſimum nomine appellandum ſit? ſed plura exempla unius quæſtionis proferuntur.

bet, ſequens reliqua. Sed hæc reliqua Apollodorus duo vult eſſe, *qualitatem*, et *de nomine*, id eſt finitivam; Theo- 36
dorus, *quid*, *quale*, *quantum*, *ad aliquid*. Sunt et qui *de eodem*, *et de alio*, modo *qualitatem* eſſe, modo *finitionem* velint. In duo et Poſidonius dividit, *vocem* et *res*. In voce quæri putat, *An ſignificet*, *quid*, *quam multa*, *quo modo?* in rebus *conjecturam*, quod κατ' αἴσθησιν vocat; et *qualitatem*; et *finitionem*, cui nomen dat κατ' ἔννοιαν: et *ad aliquid*. Unde et[m] illa diviſio eſt, alia eſſe *ſcripta*, alia *inſcripta*. Celſus Cornelius duos et ipſe fecit ſtatus gene- 37
rales, *An ſit? Quale ſit?* Priori ſubjecit *finitionem*, quia æque quæratur, *An ſit ſacrilegus*, *qui nihil ſe ſuſtuliſſe de templo dicit*, *et qui privatam pecuniam confitetur*[n] *ſuſtuliſſe*. *Qualitatem*, in *rem* et *ſcriptum* dividit. Scripto, quatuor partes legales, excluſa tranſlatione: *quantitatem*[o] et *mentis quæſtionem*, conjecturæ[p] ſubjecit. Eſt etiam alia in duos 38
dividendi ſtatus ratio, quæ docet, aut de *ſubſtantia* controverſiam eſſe, aut de *qualitate*: ipſam porro qualitatem aut in *ſummo genere* conſiſtere, aut in *ſuccedentibus*. De ſubſtantia eſt *conjectura*. Quæſtio enim tractatur *rei*, *An*[q] 39
facta ſit? An fiat? An futura ſit? Interdum etiam *mentis*: idque melius, quam quod iis placuit, qui *ſtatum* eumdem *facti* nominaverunt, tamquam de præterito tantum, et tantum de facto quæreretur. Pars qualitatis, 40
quæ eſt de ſummo genere, raro in judicium venit: quale

[m] unde alia diu Jenſ. [n] ſe *inſ. id.* [o] qualitatem G. *male.* [p] rei *inſerendum puto. V. No.* [q] anne *ter pro* an G.

36. *de eodem*] Vid. ad ſ. 30.

37. *An ſit ſacrilegus*] Nimirum in duplici hac quæſtione reſponſio pendet ex *finitione* ſacrilegii, pertineatne ad illam, ut tum *ex loco ſacro*, tum *res ſacra* auferatur? an ſufficiat alterutra conditio. Vid. ſ. 40.

37. *quatuor partes legales*] Vid. p. p. ſ. 45. it. 54, 60, 65, 87. ſq. Unde quæ *partes*, *ſtatus*, *quæſtiones legales* appellentur, apparet. Cæterum non ferunt nunc rationes noſtræ, ut has rhetorum diſputationes vel interpretando vel emendando (ſunt enim quædam haud dubie corrupta) perſequamur, præſertim cum parum admodum aut nihil adeo ad hodiernam, etiam in quantum vera eſt, eloquentiam conferant. Si quid tamen inter recenſendum in mentem veniat, illud obiter adſcribere non gravabimur.

37. *conjecturæ ſubjecit*] Dividebat Celſus *Qualitatem* in *rem* et *ſcriptum*: de *ſcripto* explicatur: alterum diviſionis membrum in explicatione non jam *res*, ſed *conjectura* appellatur. An legendum, *conjecturæ rei?* Equidem ſic puto. Ultima ſyllaba *conjecturæ* vocabulum *rei* inter dictandum ſcribendumve abſorpſit.

38. *de ſubſtantia*] h. e. ea quam metaphyſici hodie vocant *exiſtentiam*, οὐσίαν h. e. *eſſentiam*, Ariſtoteles. Vid. ad ſ. 23.

eſt, *Id ne ſit honeſtum, quod vulgo laudatur?* Succedentium autem aliæ de communi appellatione, ut, *Sitne ſacrilegus, qui pecuniam privatam ex templo furatus eſt?* Aut de re denominata, ubi et factum eſſe certum eſt, nec [r] dubitatur,
41 quid ſit, quod factum eſt. Cui ſubjacent omnes de *honeſtis, juſtis, utilibus*, quæſtiones. His etiam ceteri ſtatus contineri dicuntur, quia et [s] quantitas modo ad conjecturam referatur, ut, *Majorne ſol, quam terra?* modo ad qualitatem, *Quanta pœna quempiam, quantove præmio, ſit affici juſtum?* et tranſlatio verſetur circa qualitatem: et defini-
42 tio pars ſit tranſlationis; quin et contrariæ leges, et ratiocinativus ſtatus, id eſt ſyllogiſmus, et plerumque ſcripti et voluntatis, æquo nitantur, (niſi quod hic tertius aliquando conjecturam accipit, *Quid* [t] *ſenſerit legis conſtitutor?*) ambiguitatem vero ſemper conjectura explicari neceſſe ſit: quia, cum ſit manifeſtum verborum intellectum
43 eſſe duplicem, de ſola quæritur voluntate. A plurimis tres ſunt facti generales ſtatus, quibus et Cicero in oratore utitur, et omnia, quæ aut in controverſiam, aut in contentionem veniant, contineri putat, *Sitne? Quid ſit? Quale ſit?* quorum nomina apertiora ſunt, quam ut docen-
44 da [u] ſint. Idem Patrocles ſentit. Tres fecit et M. Antonius, his quidem verbis, *Paucæ res ſunt, quibus ex rebus omnes orationes naſcuntur, factum, non factum: jus, injuria: bonum, malum.* Sed quoniam, quod jure dicimur feciſſe, non hunc ſolum intellectum habet, ut lege, ſed illum quoque, ut juſte feciſſe videamur: ſecuti Antonium apertius voluerunt eoſdem ſtatus diſtinguere: itaque dixerunt *conjecturalem, legalem, juridicialem:* qui et Virginio pla-
45 cet. Horum deinde fecerunt [x] ſpecies, ita ut *legali* ſubjicerent *finitionem*, et alios, qui *ex ſcripto* dicuntur; *legum contrariarum* [z], quæ ἀντινομία dicitur; et *ſcripti, et ſententiæ* vel *voluntatis*, id eſt κατὰ ῥητὸν, καὶ διάνοιαν; et μεταλήψιν,

[r] nec—eſt *caſu tantum excidiſſe videtur ex Burm.* [s] *om.* G. [t] quod G. [u] *Sic* G dicenda *rel.* [x] fuerunt G. [z] controverſarum G.

41. *tranſlatio verſ. circa qualit.*] Hoc ita interpretatur Turnebus, quia quæritur, *juſtumne ſit hac de cauſſa rectam litis intentionem eludi.* Vid. ad ſ. 42. et ipſa ſ. 51. itemque ſ. 83. *Quartam conſtitutionem tranſlativam* facit Cic. de Inv. 1, 11.

42. *æquo nitantur*] Ac proinde ad qualitatem referri poſſint.

42. *tertius*] Incipit computare a verbis, *Quin et contrariæ leges.*

43. *Cicero in oratore*] Cap. 14. *Quidquid eſt, quod in controverſia aut in contentione verſetur, in eo aut, ſitne? aut, quid ſit? aut, quale ſit? quæritur.* Similia de Orat. 1, 31, 2, 26. &c.

quam nos varie *tranſlativam*, *tranſſumtivam*, *tranſpoſitivam* vocamus; συλλογισμὸν, quem accipimus *ratiocinativum* [a], vel *collectivum*; *ambiguitatis*, quæ ἀμφιβολία nominatur: quos poſui, quia et ipſi a pleriſque *ſtatus* appellantur: quibuſdam *legales* potius *quæſtiones* eas dici placuit [b]. Quatuor fecit Athenæus, προτρεπτικὴν φάσιν, vel παραινετικὴν [c], id eſt *exhortativum*, qui [d] ſuaſoriæ eſt proprius; συντελικὴν, qua *conjecturam* ſignificari, magis ex his, quæ ſequuntur, quam ex ipſo nomine apparet [e]; ὑπαλλακτικὴν ea *finitio* eſt, mutatione enim nominis conſtat; *juridicialem*, eadem appellatione Græca, qua ceteri, uſus. Nam eſt (ut dixi) multa in nominibus differentia. Sunt qui ὑπαλλακτικὴν *tranſlationem* eſſe [f] exiſtiment, ſecuti [g] hanc mutationis ſignificationem. Fecerunt alii totidem ſtatus, ſed alios, *An ſit? Quid ſit? Quale ſit? Quantum ſit?* ut Cæcilius et Theon. Ariſtoteles in rhetoricis etiam ſic omne opus dividit, in *veritatem*, et *petenda ac fugienda*, quod eſt ſuaſoriæ, et *de* [h] *eodem atque alio*: partiendo tamen ad hoc pervenit, ut [i] *An ſit? Quid* [l], *Quale, Quantum*, et *Quam multum ſit?* quærendum putet [m]. Quodam tamen loco finitionis quoque vim intelligit, quo [n] dicit quædam ſic defendi, *Suſtuli, ſed non furtum feci: Percuſſi, ſed non injuriam feci.* Poſuerat et Cicero in libris rhetoricis, *facti, nominis, generis, actionis*: ut in facto *conjectura*, in nomine *finitio*, in genere *qualitas*, in actione *jus* intelligeretur. Juri ſubjecerat tranſlationem. Verum hic legales quoque quæſtiones alio loco tractat ut [o] ſpecies actionis. Fuerunt qui facerent quinque, *conjecturam, finitionem, qualitatem, quantitatem, ad aliquid.* Theodorus

46 47 48 49 50

[a] rationem G. [b] placuerit G. *non male. Vid. ſ.* 51. *ſed etiam ſ.* 54. [c] παρορμητικὴν G. *et ſic jam voluit Regius.* [d] quia Jenſ. [e] appareat *id.* [f] *om.* id. [g] ſicuti G. [h] de *om.* Burm. [i] ut *om.* G. Jenſ. [l] Quid *om.* G. *et V. C. Almelov. et videtur abeſſe debere, quia ſtatim* finitionis *ſeparata mentio.* [m] putat G. Jenſ. [n] quando *iid.* [o] at Jenſ. *forte* ac.

46. *appellatione Græca*] Δικαιολογικὴ vocatur ſupra ſ. 32.

48. *Ariſtoteles in rhetoricis*] Laudat Turnebus, vel quicunque ſub hoc nomine, Rhet. 1, 3. Sed per ambages e verbis Philoſophi elicit, quæ nemo, credo, præter ipſum ibi quærat.

48. *Suſtuli, ſed non*] Hæc habentur 1, 13, 15. Λαβεῖν μὲν, ἀλλ' οὐ κλέψαι· ἢ παταξαι πρότερον, ἀλλ' ἐχ ἱερίσαι· καὶ συγγενέσθαι μὲν, ἀλλ' οὐ μοιχεῦσαι· ἢ κλέψαι, ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι κ. τ. λ.

49. *Cicero*] De Inv. 1, 8. ubi etiam *tranſlationem* luculenter definit, *cum cauſſa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna, oportet.*

quoque (ut dixi) iisdem generalibus capitibus utitur, *An sit? Quid sit? Quale sit? Quantum sit? Ad aliquid.* Hoc ultimum maxime in comparativo genere versari putat: quoniam melius ac pejus, majus et minus, nisi alio relata
51 non [p] intelliguntur. Sed [q] in illas quoque translativas, ut supra significavi [r], quæstiones incidunt, *An huic jus agendi sit? vel facere aliquid conveniat? An contra hunc? An hoc tempore? An sic?* omnia enim ista referri ad ali-
52 quid necesse est. Alii sex status putant, *conjecturam*, quam γένεσιν vocant; et *qualitatem*; et *proprietatem*, id est ἰδιότητα, quo verbo finitio ostenditur; et *quantitatem*, quam ἀξίαν dicunt; et *comparationem*; et *translationem*, cujus ad hoc novum nomen inventum est μετάστασις: novum inquam [s] in statu, alioqui ab Hermagora inter species juri-
53 diciales [t] usitatum. Aliis septem esse placuit, a quibus nec translatio, nec quantitas, nec comparatio recepta est; sed in horum trium locum subditæ quatuor legales, ad-
54 jectæque tribus illis rationalibus. Alii pervenerunt usque ad octo, *translatione* ad septem superiores adjecta. A quibusdam deinde divisa ratio est, ut *status rationales* appellarent, *quæstiones* (quemadmodum supra dixi) *legales:* in
55 illis *de re*, in his *de scripto* quæreretur. Quidam in diversum hos status esse, illas quæstiones maluerunt. Sed alii rationales tres putaverunt, *An sit? Quid sit? Quale sit?* Hermagoras solus [u] quatuor, *conjecturam, proprietatem, translationem, qualitatem*, quam per accidentia, id est κατὰ συμβεβηκότα vocat [x], hac interpretatione, *An illi accidat viro bono esse, vel malo?* Hanc ita dividit, de appetendis et fugiendis, quæ est pars *deliberativa*; *de persona*, ea ostendi-
56 tur laudativa; *negotialem*, quam πραγματικὴν vocat, in qua de rebus ipsis quæritur, remoto personarum complexu, ut, *Sitne liber, qui est in assertione? An divitiæ superbiam pa-*

[p] nec G. *pulchre.* [q] si in alias quoque G. [r] signavi G. Jens. *et al. recte, puto.* [s] tanquam in st. alio G. Jens. [t] ponitur *inf.* Jens. [u] solum *id.* [x] vocant *id.*

51. *supra significavi*] Minime contemnenda lectio *signavi*. Videtur enim simpliciter ad nomen *quæstiones* respicere, quod translativo etiam statui supra tribuit s. 45.

54. *supra dixi*] Loco quem modo indicavimus, s. 45. Add. infra s. 86. præsertim 88.

55. *hac interpretatione*] æc ipsa verba interprete indigent. Sensum hunc puto; Quid sibi velit appellatio κατὰ συμβεβηκότα, intelligitur hoc exemplo, *An illi* &c.

56. *qui est in assertione*] De cujus proinde libertate cum maxime quæritur, *asserente* uno, et vindicias pro eo secundum libertatem postulante, contradicente alio.

riant[z] *? An juſtum ſit quid, an bonum ſit? Juridicialem*, in qua fere eadem, ſed certis deſtinatiſque perſonis quærantur: *An ille juſte hoc fecerit, vel bene?* Nec me fallit, 57
in primo Ciceronis rhetorico aliam eſſe loci negotialis interpretationem, cum ita ſcriptum ſit, *Negotialis eſt, in qua, quid juris ex civili more et æquitate ſit, conſideratur: cui diligentiæ præeſſe apud nos juriſconſulti exiſtimantur.* Sed quod ipſius de his libris judicium fuerit, ſupra dixi. 58
Sunt enim velut regeſtæ[a] in hos commentarios, quas[b] adoleſcens deduxerat, ſcholæ[c]; et ſi qua eſt in his culpa, tradentis eſt; ſive eum movit, quod Hermagoras prima in hoc loco[d] poſuit exempla ex quæſtionibus juris, ſive, quod Græci πραγματικὰς vocant juris interpretes. Sed 59
Cicero quidem his pulcherrimos illos de oratore ſubſtituit, ideoque culpari, tamquam falſa præcipiat, non poteſt. Nos ad Hermagoram. *Tranſlationem* hic primus omnium tradidit, quamquam femina ejus quædam citra nomen ipſum apud Ariſtotelem reperiuntur. Legales autem quæſtiones has fecit, *ſcripti* et *voluntatis*, (quam ipſe vocat κατὰ ῥητὸν, καὶ ὑπεξαίρεσιν, id eſt *dictum*, et *exceptionem*: quorum prius ei cum omnibus commune eſt, exceptionis nomen minus uſitatum) *ratiocinativum*, *ambiguitatis*, *legum*

[z] patiantur Jenſ. [a] res geſtæ G. res regeſtæ *quidam libri apud Burm.* regeſtæ ſcholæ *eſſe in vetuſto ſuo codice teſtatur Regius. Burmannus conjicit*, Sunt enim velut res digeſtæ in hos commentarios, quos adoleſcens deduxerat ſchola. [b] quos G. Jenſ. [c] ſchola *iid.* [d] libro G.

57. *in primo Cic. rhet.*] De Invent. 1, 11.

58. *ſupra dixi*] Vid. 2, 15, 5.

58. *regeſtæ—ſcholæ*] Vid. quæ diximus ad 2, 11, 7. Scilicet non audemus damnare verbum, quod duobus in locis Fabio tribuunt Codices optimi, quod poſteriori ætate fuit frequentiſſimum, quod tranſlatum non ſine elegantia videtur ab agricultura ad rem literarum. *Regeritur humus*, cum bipalio mota, vel diſcuſſa ligonibus, denuo collocatur, laxius quidem quam antea, et ad ſemina accipienda accommodatius. Quidni *regeri* a Fabio dicantur *ſcholæ*, h. e. diſputationes magiſtri, cum ex illius quaſi ſolo erutæ in commentarios paullo ordinatiores ex pugillaribus, in quibus tumultuaria opera exceptæ fuerant, referuntur, et ſoli quaſi exponuntur. Poſterior ætas *regeſtum* ad ſumma deinde capita retulit et indices rerum præ cæteris eminentium, ut *radices regeri* jubet Columella 3, 11, 4. *Deduxerat* verbum elegans, quo in operibus non popularium modo artium, ſed ingenii etiam, frequenter utuntur, ut in proœmio metamorphoſeon Ovidius.

60. *dictum, et exceptionem*] Qui enim ex *ſcripto* vel *dicto* legis agit, ei interdum *exceptio* opponitur *voluntatis* et conſilii, quod legiſlator habuit, quæ quaſi anima legis eſt.

60. *ratiocinativum*] Scilicet non ad *quæſtionem* refertur, ſed ad *ſtatum*: ita jam mox, *In legalibus quoque quæſtionibus nullum putat eſſe, qui dicatur ratiocinativus.*

61 *contrariarum.* Albutius eadem diviſione uſus, detrahit tranſlationem, ſubjiciens eam juridiciali. In legalibus quoque quæſtionibus nullum putat eſſe, qui dicatur *ratiocinativus* [c]. Scio plura inventuros adhuc, qui legere antiquos ſtudioſius volent: ſed ne hæc quoque exceſſerint
62 modum, vereor. Ipſe me paullum in alia, quam prius habuerim, opinione nunc eſſe confiteor. Et fortaſſe tutiſſimum erat famæ modo ſtudenti [f], nihil ex eo mutare, quod multis annis non ſenſiſſem modo, verum etiam ap-
63 probaſſem [g]. Sed non ſuſtineo eſſe conſcius mihi diſſimulati [h], in eo præſertim opere, quod ad bonorum juvenum aliquam utilitatem componimus, in ulla parte judicii mei. Nam et Hippocrates clarus arte medicinæ, videtur honeſtiſſime feciſſe, qui quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt. Et M. Tullius non dubitavit aliquos [i] jam editos libros aliis poſtea ſcriptis ipſe damnare, ſicut Catulum atque Lucullum, et hos ipſos, de quibus
64 modo ſum locutus, artis Rhetoricæ. Etenim SUPERVACUUS foret in ſtudiis longior labor, ſi nihil liceret melius invenire præteritis. Neque tamen quidquam ex his, quæ tum præcepi, ſupervacuum fuit: ad eaſdem enim particulas hæc quoque, quæ nunc præcipiam, revertentur: ita neminem didiciſſe pœniteat: colligere tantum eadem, ac diſponere paullo ſignificantius conor. Omnibus autem ſatisfactum volo, non me hæc ſerius demonſtrare aliis,
65 quam mihi ipſe perſuaſerim. Secundum plurimos auctores ſervabam tres [l] rationales ſtatus, *conjecturam, qualitatem, finitionem,* unum *legalem.* Hi mihi ſtatus generales erant. Legalem in quinque ſpecies partiebar, *ſcripti et voluntatis, legum contrariarum, collectivum, ambiguitatis,*

[c] rationativus G. [f] ſtudentem G. Jenſ. [g] probaſſem G. [h] *Sic* G. diſſimulanti *pleræque editt. quod non damnaverim.* [i] aliquos ſuos libros jam editos G. Jenſ. [l] tris Jenſ.

63. *Hippocrates*] Nobilis eſt illa Hippocratis retractatio, Celſo etiam laudata 8, 4, ubi *magni hominis hunc morem fiduciamque magnarum rerum habentis* notat; quem locum commentatione peculiari de erroris confeſſione elegantia viri digna proſecutus eſt I. H. Kromayerus. Verba Hippocratis Epidem. 5, 14, ſunt iſta, cum narraſſet Autonomum quemdam ex vulnere capitis mortuum; Τοῦτο παρέλαθόν με διόμενον κρισθῆναι· ἔκλιψαν δέ μου τὴν γνώμην αἱ ῥαφαὶ ἴσχουσαι ἐν σφίσιν ἑωυτῇσι τῷ βίλτος τὸ σῖνος.

63. *Catulum atque Lucullum*] Jam hic laudarunt interpretes ipſum Cic. ad Att. 13, 12. it. 13 et 16 et 19. exſtatque hodie Lucullus, h. e. Academicorum (primæ editionis) liber ſecundus; quemadmodum de repetitæ prælectionis opere liber primus non integer hodie legitur.

tranſlationis. Nunc quartum ex generalibus intelligo 66
poſſe removeri: ſufficit enim prima diviſio, qua diximus alios rationales, alios legales eſſe: ita non erit ſtatus, ſed quæſtionum genus: alioqui et rationalis ſtatus eſſet. Ex 67
his etiam, quos ſpeciales vocabam, removi *tranſlationem:* frequenter quidem (ſicut omnes, qui me ſecuti ſunt, meminiſſe poſſunt [m]) teſtatus [n], et in ipſis etiam illis ſermonibus, me nolente vulgatis, hoc tamen complexus, vix in ulla controverſia tranſlationis ſtatum poſſe reperiri, ut non et alius in eadem recte dici videretur: ideoque a quibuſdam eum excluſum. Neque ignoro multa transferri; cum in 68
omnibus fere cauſſis, in quibus cecidiſſe quis formula dicitur, hæ ſint quæſtiones, *An huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere?* et ſi qua ſunt talia. Sed perſonæ, tempora, actiones, ceteraque propter 69
aliquam cauſſam transferuntur: ita non eſt in tranſlatione quæſtio, ſed in eo, propter quod transferuntur. *Non debes apud Prætorem petere fidei commiſſum, ſed apud conſules: major enim prætoria cognitione ſumma eſt:* quæritur, *An major ſumma ſit?* facti controverſia eſt. *Non licet tibi* 70
agere mecum: cognitor enim fieri non potuiſti: judicatio eſt, *An potuerit? Non debuiſti interdicere, ſed petere: An recte*

[m] ſint Jenſ. [n] teſtatus *om.* G.

66. *non erit ſtatus, ſ. q. genus*] Non eſt unus aliquis *ſtatus legalis*; genus eſt, idea, ut hodie loquuntur, latius patens, plures ſub ſe complexa: quemadmodum non eſt unus aliquis *ſtatus rationalis*, ſed hoc generale nomen eſt, pluribus ſtatibus commune: itaque *rationale genus* appellat p. p. ſ. 77.

69. *major enim prætoria*] Diſcimus igitur ex hoc etiam loco, definitam fuiſſe legibus pecuniæ ſummam, intra quam Prætoria cognitio conſiſteret, qua ſi major eſſet in controverſia, ad conſules, vel ad principem adeo, eundum erat: ut nimirum hodie non tantum conſtituuntur *ſummæ*, ut loquuntur noſtri Accurſiani, *appellabiles:* ſed etiam generatim, *quarum quantitas intra juriſdictionem judicantis ſit.* Vid. Bynkerſh. Obſ. Jur. Rom. 5, 4. ubi more ſuo, h. e. eruditiſſime ad hunc ipſum locum, de hoc argumento commentatur.

70. *cognitor*] Cognitorem eſſe alienæ litis ſuſceptorem Gronovius præter alios docuit Pecun. Vet. 4, 3.

70. *interdicere*] Uti *damnare* non *judices* modo dicuntur, ſed *actores* quoque: ſic *interdicere*, quod prætoris eſt, hic et alias etiam actor. Significat igitur hic interdicto prætoris contra reum uti, et quidem illo nobiliſſimo interdicto, *Uti poſſidetis*, cujus formula e Feſto v. *Poſſeſſio* nota eſt; *Uti nunc poſſidetis, eum fundum* Q. D. A. *quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero poſſidetis, ita poſſideatis, adverſus ea vim fieri veto.* Quæ cum ita ſint, in hodierno foro ita adverſarium rejiciat, puto, reus, *Non debuiſti in poſſeſſorio agere, ſed in petitorio.* Firmat interpretationem noſtram ipſe Fabius 7, 5, 3.

interdictum sit? ambigitur. Quæ omnia succedunt legi-
71 timis quæstionibus. An non præscriptiones, etiam in quibus maxime videtur manifesta translatio, easdem omnes species habent, quas eæ leges, quibus agitur, ut aut de nomine, aut [o] scripto et sententia, vel ratiocinatione quæratur, deinde status ex quæstione oriatur? Translatio non habet quæstionem, de qua contendit orator, sed propter
72 quam contendit. Hoc apertius: *Occidisti hominem*; *Non occidi:* quæstio, *An occiderit?* status, conjectura. Non est tale, *Habeo jus actionis*; *Non habes:* ut sit quæstio, *An habeat?* et inde status. Accipiat enim actionem, necne, ad eventum pertinet, non ad causam: et ad id, quod
73 pronuntiat judex, non [p] id, propter quod pronuntiat. Hoc illi simile est, *Puniendus es*; *Non sum:* videbit judex, *an puniendus sit?* sed non hic erit quæstio, nec hic status. Ubi ergo? *Puniendus es, hominem occidisti: Non occidi: An occiderit? Honorandus sum*; *non* [q] *es:* num statum habet? non, ut puto. *Honorandus sum, quia tyrannum occi-*
74 *di*; *Non occidisti:* quæstio, et status, *An* [r] *occiderit?* Similiter, *Non recte agis*; *Recte ago*, non habet statum: ubi est ergo? *Non recte agis, ignominiosus:* quæritur, *An ignominiosus sit?* aut, *An agere ignominioso liceat?* et quæstio est [s], et status. Ergo translativum genus causæ est [t],
75 ut comparativum, et mutuæ accusationis. At enim simile est illi [u], *Habeo jus*; *Non habes: Occidisti*; *Recte occidi.* Non nego: sed nec res hæc statum facit: non enim sunt

[o] de *inf.* G. [p] ad *inf.* G. [q] non es—sum *om.* Jens. [r] An occiderit? *sola agnoscit editio Ven.* 1502. f. *Ruscon. In Gothano lacuna fuit inter utramque clausulam*, An occiderit? [s] quæstiones et G. Jens. [t] causæ et comp. G. [u] illius Jens.

71. *præscriptiones*] *Præscriptionem* interdum ICtis esse *exceptionem*, (Gr. παραγραφὴν) ad titulum libelli Tertullianei *de præscriptionibus* observatum est; et manifeste docet ipse Quinctilianus 7, 5, 2; et exemplum, quod hic auctor laudat, *Habeo jus actionis* &c. manifeste ad exceptionem pertinet. Sed videndus omnino Pe. Fab. Semestr. 1, 21. qui dedit πάντα περὶ πάντων.

73. *et status, An occid.*] Jam restitueram duo verba, quibus carere sententia non potest, cum vidi legi ea quoque in libro supra laudato; eo magis miror, potuisse tot oculatissimos homines hoc prætervidere.

74. *genus causæ est, ut compar.*] Hoc vult, similes sunt inter se et ejusdem generis *translatio, comparatio, mutua accusatio:* ut posteriora non faciunt statum peculiarem, ita nec translatio. Ita, puto, cadent, quæ hic verbose disputantur ab aliis.

75. *non enim sunt*] Sunt omnino *propositiones* Logicæ, ut hodie vocant. Sed non sunt propositiones integræ litigantium, de quibus certatur.

hæ [x] propositiones; alioqui causa non explicabitur: sed cum suis rationibus. *Scelus commisit Horatius, sororem enim occidit: Non commisit; debuit enim occidere eam, quæ hostis morte [z] mœrebat:* quæstio, *An hæc justa causa?* ita qualitas. Ac similiter in translatione, *Non habes jus abdi-* 76
candi, quia ignominioso non est actio: Habeo jus, quia abdicatio actio non est: quæritur, *Quid sit actio?* siniemus; *Non [a] licet abdicare [b]?* syllogismus. Item cetera per omnes et rationales, et legales status. Nec ignoro fuisse 77
quosdam, qui translationem in rationali quoque genere ponerent hoc modo, *Hominem occidi jussus ab imperatore. Dona templi cogenti tyranno dedi. Deserui, tempestatibus, fluminibus, valetudine [c] impeditus,* id est, non per me stetit, sed per illa. A quibus etiam liberius dissentio. Non 78
enim actio transfertur, sed causa facti: quod accidit pene in omni defensione. Deinde is, qui tali utitur patrocinio, non recedit a forma qualitatis: dicit enim se culpa vacare, ut magis qualitatis duplex ratio facienda sit, altera, qua et factum defenditur: altera, qua tantum reus. Credendum est igitur iis, quorum auctoritatem secutus 79
est Cicero, tria esse, quæ in omni disputatione quærantur, *an sit, quid sit, quale sit?* quod ipsa nobis etiam natura præscribit. Nam primum oportet subesse aliquid, de quo ambigitur: quod, quid sit, et quale sit, certe non potest æstimari, nisi prius esse constiterit: ideoque ea prima quæstio. Sed non statim, quod esse manifestum est, etiam, quid sit, apparet. Hoc quoque constituto, noviss̃ima 80
qualitas supereſt: nec his exploratis aliud est ultra. His infinitæ quæstiones, his finitæ continentur: horum aliqua in demonstrativa, deliberativa, judiciali materia utique tractantur. Hæc rursus judiciales [d] causas et rationali 81
parte et legali continent [e]. Nec enim ulla juris disceptatio, nisi finitione, qualitate, conjectura potest explicari. Sed instituentibus rudes, non erit inutilis latius primo 82
fusa ratio, et, si non statim rectissima linea tensa, facilior

[x] *om. id.* [z] *om.* G. Hostis, *puto, intellexit quarto casu.* [a] *Legendum puto,* Num. [b] filium *inf.* G. [c] valitud. G. Jens. [d] juridiciales *iid.* [e] *Sic* G. continet *al.*

76. *Non licet abdicare?*] Omnino legendum, uti monuimus, *Num licet abdicare?* ut fiat quæstio cæteris similis. Si enim ita quæratur, Syllogismus adhibebitur h. m. *Qui actionem non habet, ille nec jus abdicandi habet, quod majus est.*

79. *Cicero*] Vid. supra ad 3, 6, 43.

82. *linea tensa*] Ea rectissima via est qua *linea* h. e. funiculus tenditur. Dedimus operam in no-

tamen et apertior via. Diſcant igitur ante omnia, quadripertitam in omnibus cauſſis eſſe rationem, quam pri-
83 mam intueri debeat, qui acturus eſt. Nam, ut a defenſore potiſſimum incipiam, longe fortiſſima tuendi ſe ratio eſt, *ſi, quod objicitur, negari poteſt:* proxima, *ſi non id, quod objicitur, factum eſſe dicitur:* tertia honeſtiſſima, *qua recte factum defenditur.* Quibus ſi deficiamur, ultima quidem, ſed jam ſola ſupereſt ſalus, aliquo juris adjutorio elabendi ex crimine, quod neque negari, neque defendi poteſt; ut
84 non videatur *jure actio intendi.* Hinc illæ quæſtiones, ſive actionis, ſive tranſlationis. Sunt enim quædam non [f] laudabilia natura, ſed jure conceſſa, ut in XII tabulis, debitoris corpus inter creditores dividi licuit: quam legem mos publicus repudiavit: et aliquid æquum, ſed prohibitum
85 jure, ut libertas teſtamentorum. Accuſatori nihilo plura intuenda ſunt, quam ut probet *factum eſſe, hoc eſſe factum, non recte factum, jure ſe intendere.* Ita [g] circa ſpecies eaſdem lis omnis verſabitur, tranſlatis tantum aliquando partibus: ut in cauſſis, in quibus de præmio agitur,
86 recte factum petitor probat. Hæc quatuor velut propoſita formæque actionis, quæ tum generales ſtatus vocabam, in duo (ut oſtendi) genera diſcedunt, *rationale, et legale.* Rationale ſimplicius eſt, quia ipſius tantum naturæ contemplatione conſtat. Itaque in eo ſatis eſt oſtendiſſe
87 *conjecturam, finitionem, qualitatem.* Legalium plures ſint ſpecies neceſſe eſt, propterea quod multæ ſunt leges, et varias habent formas. Alia eſt cujus verbis nitimur, alia cujus voluntate: alias nobis, cum ipſi nullam habemus, adjungimus: alias inter ſe comparamus: alias in diver-
88 ſum interpretamur. Sic naſcuntur hæc velut ſimulacra ex illis tribus, interim ſimplicia, interim et mixta, propriam tamen faciem oſtendentia, ut *ſcripti et voluntatis,* quæ ſine dubio aut *qualitate* aut *conjectura* continentur; et *ſyllogiſmus,* qui eſt maxime *qualitatis*; et *leges* [h] *contrariæ,* quæ iiſdem, quibus *ſcriptum et voluntas,* conſtant; et ἀμφιβολία,
89 quæ ſemper *conjectura* explicatur. *Finitio* quoque utrique generi, quodque rerum, quodque ſcripti contemplatione conſtat, communis eſt. Hæc omnia, etiam [i] ſi in illos tres

[f] non *om.* Jenſ. *male.* [g] *om.* G. [h] legis—conſtat G. Jenſ. [i] etſi G.

viſſima Fabriani theſauri editione, ut ille *lineæ* intellectus appareret, et cæteris illius vocis rationibus præberet fundamentum.

86. *ut oſtendi*] Vid. ſupra ſ. 65. et 66.

ſtatus veniunt, tamen, quia (ut dixi) habent aliquid velut proprium, videntur demonſtranda diſcentibus: et permittendum ea dicere vel *ſtatus legales*, vel *quæſtiones*, vel *capita* quædam *minora*: dum ſciant, nihil ne in his quidem præter tria, quæ prædiximus, quæri. At *Quantum?* et *Quam* 90
multum? et *Ad aliquid*, et (ut nonnulli putaverunt) *comparativus*[l], non eamdem rationem habent: ſunt enim hæc non ad varietatem juris, ſed ad ſolam rationem referenda: ideoque ſemper in parte aut conjecturæ aut qualitatis ponenda ſunt, ut [m], *Qua mente?* et *Quo tempore?* et *Quo loco?* Sed de ſingulis dicemus quæſtionibus, cum 91
tractare præcepta *Diviſionis* cœperimus. Hoc inter omnes convenit, in cauſſis ſimplicibus ſingulos ſtatus eſſe cauſſarum, quæſtionum autem, quæ velut ſubjacentes ad illud, quo judicium continetur, referuntur, ſæpe in unam cadere plures poſſe. Etiam credo aliquando dubitari, quo ſtatu 92
ſit utendum, cum adverſus unam intentionem plura opponuntur: et ſicut in colore dicitur narrationis, eum eſſe optimum, quem actor optime tueatur; ita hic quoque poſſe dici, eum ſtatum eſſe faciendum, in quo tuendo plurimum adhibere virium poſſit orator: ideoque pro Milo- 93
ne, aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cum exercitationis gratia componeret orationem; *cum ille jure tamquam inſidiatorem occiſum*, et tamen non Milonis conſilio, dixerit; *hic etiam gloriatus ſit occiſo malo cive:* in con- 94
junctis vero poſſe duos vel tres inveniri, vel diverſos: ut [n] ſi quis aliud ſe non feciſſe, aliud recte feciſſe defendat; vel generis ejuſdem, ut ſi quis duo crimina vel omnia neget. Quod accidit, [o] etiam ſi de una re quæratur aliqua, 95
ſed eam plures petant, vel eodem jure, ut proximitatis, vel diverſo, ut cum hic teſtamento, ille proximitate nitatur. Quoties autem aliud alii petitori opponitur, diſſimiles eſſe ſtatus neceſſe eſt, ut in illa controverſia. *Teſtamenta legi-* 96
bus facta rata ſint. Inteſtatorum parentum liberi hæredes ſint. Abdicatus ne quid de bonis patris capiat. Nothus, ante legitimum natus, legitimus filius ſit: poſt legitimum natus, tantum civis. In adoptionem dare liceat. In [p] *adoptionem dato redire in familiam liceat, ſi pater naturalis ſine li-*

[l] comparativos—habere G. Jenſ. etiamſi *al.* [m] in G. [n] vel G. [o] accidit, [p] in—liceat *om.* G.

93. *etiam gloriatus ſit*] Tractat eundem locum tamen etiam Tullius c. 27. Sed utrum in ipſa actione tantum auſus ſit, dubites merito.

97 *beris deceſſerit.* Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicaverat, ſuſtulit nothum: inſtituto hærede abdicato deceſſit [q]. Omnes tres de bonis contendunt. (Νόθον, qui non ſit legitimus, Græci vocant: Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam teſtatus eſt, non habemus, ideoque utimur pere-
98 grino. Sed ad propoſitum.) Hæredi ſcripto opponitur lex, *Abdicatus ne quid de bonis patris capiat:* ſit ſtatus ſcripti et voluntatis, *An ullo modo capere poſſit? an ex voluntate patris? an hæres ſcriptus?* Notho duplex ſit quæſtio, quod poſt legitimos [r] natus ſit, et quod non ſit ante
99 legitimum natus. Prior ſyllogiſmum habet, *An pro non natis ſint habendi, qui a familia ſunt* [s] *alienati?* Altera ſcripti et voluntatis. Non enim eſſe hunc natum ante legitimum, convenit: ſed voluntate legis ſe tuebitur, quam [t]
100 dicet talem fuiſſe, ut legitimus eſſet nothus tum natus, cum alius legitimus in domo non eſſet. Scriptum quoque legis excludet, dicens, *Non utique, ſi poſtea legitimus natus non ſit, notho nocere:* uteturque hoc argumento, *Finge ſolum natum nothum, cujus conditionis erit? tantum civis? atqui non erit poſt legitimum natus: filius? atqui non erit ante legitimos natus: quare ſi verbis legis ſtari non po-*
101 *teſt, voluntate ſtandum eſt.* Nec quemquam turbet, quod ex una lege duo ſtatus fiant: duplex eſt, ita vim duarum habet. Redire in familiam volenti dicitur ab altero, Primum, *Ut tibi redire liceat, hæres ſum:* idem ſtatus, qui in petitione abdicati: quæritur enim, *An poſſit eſſe hæres ab-*
102 *dicatus* [u]*?* Adjicitur communiter a duobus, *Redire tibi in familiam non licet, non enim pater ſine liberis deceſſit.* Sed in hoc propria quiſque eorum quæſtione nitetur [x]: alter enim dicet, abdicatum quoque inter liberos eſſe, et argumentum ducet ex ipſa, qua repellitur, lege: ſupervacuum enim fuiſſe prohiberi patris bonis abdicatum, ſi eſſet numero alienorum: nunc quia filii jure futurus fuerit inteſtati hæres, oppoſitam eſſe legem, quæ ta-
103 men non id efficiat, ne filius ſit, ſed ne hæres ſit. Status finitivus, *Quid* [y] *ſit filius?* Rurſus nothus eiſdem colligit

[q] diſceſſit Jenſ. [r] legitimus G. *a manu ſec. male.* [s] ſint G. [t] quia G. Jenſ. [u] *Legendum* adoptatus: *vid. no.* [x] nititur G. [y] *Vid. leg.* quis.

101. *quæritur—abdicatus*] Hoc jam non quæritur: quærebatur paullo ante ſ. 98. Modo illud agitur, *An poſſit eſſe hæres adoptatus?* Niſi ita ſcripſit Quinctilianus, at certe debuit; at *abdicatus* illi, ut ſolet, excidit ex proximo, cum *adoptatum* deberet et vellet.

argumentis, non ſine liberis patrem deceſſiſſe, quibus in petitione uſus eſt, ut probaret eſſe ſe filium, niſi forte et hic finitionem movet, *An liberi ſint etiam non legitimi?* Cadent igitur in unam [z] controverſiam, vel ſpecialiter duo legitimi ſtatus, *ſcripti et voluntatis*, et *ſyllogiſmus*, et præterea *finitio*: vel tres illi, qui natura ſoli ſunt, *conjectura in ſcripto et voluntate, qualitas in ſyllogiſmo*, et, quæ per ſe eſt aperta, *finitio*. *Cauſſa* quoque, et *judicatio* et *continens* 104
eſt in omni genere cauſſarum. Nihil enim dicitur, cui non inſit ratio, et quo judicium referatur, et quod rem maxime contineat. Sed quia magis hæc variantur in litibus, et fere tradita ſunt ab iis, qui de judicialibus cauſſis aliqua compoſuerunt, in illam partem differantur. Nunc quia in tria genera cauſſas diviſi, ordinem ſequar.

VII. (IX.) Ac potiſſimum incipiam ab ea [a], quæ conſtat *laude* ac *vituperatione*. Quod genus videtur Ariſtoteles, atque eum ſecutus Theophraſtus, a parte negotiali, hoc eſt πραγματικῆς [b], removiſſe, totamque ad ſolos auditores relegaſſe: et id ejus nominis, quod ab oſtentatione ducitur, proprium eſt. Sed mos Romanus etiam [c] negotiis 2
hoc munus inſeruit [d]. Nam et funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex ſenatuſconſulto magiſtratibus ſæpe mandantur: et laudare teſtem, vel contra, pertinet ad momentum judiciorum: et ipſis etiam reis dare laudatores licet: et editi in competitores, in *L. Piſonem*, in [e] *Clodium* et *Curionem* libri, vituperationem continent, et tamen in Senatu loco ſunt habiti ſententiæ. Neque infitias eo, quaſdam eſſe ex hoc 3
genere materias [f], ad ſolam compoſitas oſtentationem, ut laudes deorum, virorumque, quos priora tempora tulerunt. Quo ſolvitur quæſtio ſupra tractata: manifeſtumque eſt [g] errare eos, qui numquam oratorem dicturum, niſi de re dubia, putaverunt. An laudes Capitolini Jovis, 4
perpetua ſacri certaminis materia, vel dubiæ ſunt, vel non oratorio genere tractantur? Ut deſiderat autem laus, quæ

[z] vanam G. [a] *Debebat* eo, quod. *Sed poteſt intellexiſſe* partem. [b] πραγματικῶν G. *vid. Heuſinger. ad Fechneri Hellenolex. p.* 392. [c] in *inſ.* G. [d] inſtruit G. [e] et G. [f] maſculinas Jenſ. *abſurde*. [g] *om.* G.

VII, 1. *Ariſtoteles*] Vid. ſupra ad 3, 4, 1.

4. *Capitolini Jovis*] Laudat de Capitolino agone Burmannus Scalig. Auſo. lect. c, 10. et Falconer. ad Inſcr. Athlet. p. 64. Vid. omnino Viri docti ad Sueto. Domit. 4. ubi etiam de h. l. diſputatur, an ſolæ Jovis laudes materia illius certaminis fuerint.

negotiis adhibetur[h], probationem: ſic etiam illa, quæ oſtentationi componitur, habet interim aliquam ſpeciem
5 probationis: ut qui Romulum Martis filium, educatumque a lupa dicat, in argumentum cæleſtis ortus utatur his, quod abjectus in profluentem, non potuerit extingui; quod[i] omnia ſic[i] egerit, ut genitum præſide bellorum deo, incredibile non eſſet; quod ipſum quoque cœlo receptum
6 temporis ejus homines non dubitaverint. Quædam vero etiam in defenſionis ſpeciem cadent: ut ſi in laude Herculis, permutatum cum regina Lydiæ habitum, et imperata (ut traditur) penſa orator excuſet. Sed proprium laudis eſt, res *amplificare*, et *ornare*. Quæ materia præcipue quidem[m] in deos et homines cadit: eſt tamen et
7 aliorum animalium, et carentium anima. Verum in deis generaliter primum majeſtatem ipſius eorum naturæ venerabimur, deinde propriam vim cujuſque, et inventa, quæ utile aliquid hominibus attulerint[n]. Vis oſtenditur,
8 ut in Jove, regendorum[o] omnium: in Marte, belli; in Neptuno, maris: inventa, ut artium, in Minerva; [p] Mercurio, literarum; medicinæ, Apolline; Cerere, frugum; Libero, vini. Tum ſi qua ab his acta vetuſtas tradidit, commemoranda. Addunt etiam diis honorem parentes, ut ſi quis ſit filius Jovis: addit antiquitas, ut iis, qui ſunt ex Chao; progenies quoque, ut Apollo ac Diana Latonæ.
9 Laudandum in quibuſdam, quod geniti immortales: in quibuſdam, quod immortalitatem virtute ſunt conſecuti: quod pietas principis noſtri, præſentium quoque tempo-
10 rum decus fecit. Magis eſt varia laus hominum. Nam primum dividitur *in tempora*, quodque ante eos fuit, quoque[q] ipſi vixerunt: in iis autem, qui fato ſunt functi, etiam quod eſt inſecutum. Ante[r] hominem[s], *patria* ac *parentes*, *majoreſque* erunt, quorum duplex tractatus eſt: aut enim reſpondiſſe nobilitati, pulchrum erit; aut humi-
11 lius genus illuſtraſſe factis. Illa quoque interim ex eo, quod ante ipſum fuit, tempore trahentur, quæ reſponſis

[h] adhibet Jenſ. [i] qui G. Jenſ. *bene*. [l] ſi G. *male*. [m] *om.* G. [n] attulerunt G. Jenſ. [o] regundorum hominum G. Jenſ. [p] in *inſ.* G. [q] quodque Jenſ. [r] Aliquando *id.* [s] homines G.

7. *deinde propriam vim*] *Proprie* ex MS. Bernate legi jubet Burm. ad Quinctil. Declam. 12, 3. p. 243.

9. *pietas principis noſtri*] Recte ex *pietatis* nomine colligit Burmannus, reſpici ad Flaviæ gentis templum, quod patri et fratri, novis diis conſecravit Domitianus: de quo laudat Sueto. c. 1, 15, 17. et Stat. Silv. 1, 240.

vel auguriis futuram claritatem promiserint[t]: ut[u] eum, qui ex Thetide natus esset, majorem patre suo futurum 12
cecinisse dicuntur oracula. Ipsius vero laus hominis, ex
animo, et corpore et extra positis peti debet. Et corporis[x]
quidem fortuitorumque cum levior, tum non uno modo
tractanda est. Nam et pulchritudinem interim roburque
prosequimur[z] honore verborum, ut Homerus in Aga-
memnone atque Achille. Interim confert admirationi
multum etiam infirmitas, ut cum idem Tydea parvum,
sed bellatorem dicit fuisse. Fortuna vero, cum dignita- 13
tem affert, ut in regibus principibusque (namque est hæc
materia ostendendæ virtutis uberior) tum quo minores
opes fuerunt, eo majorem benefactis gloriam parit. Sed
omnia, quæ extra nos bona[a] sunt, quæque hominibus
forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis
ea, sed quod his honeste sit usus. Nam divitiæ, et poten- 14
tia, et gratia, cum plurimum virium dent, in utramque
partem certissimum faciunt morum experimentum: aut
enim meliores propter hæc, aut pejores sumus. Animi 15
semper vera laus: sed non una per[b] hoc opus via ducitur.
Namque alias ætatis gradus, gestarumque rerum ordinem
sequi speciosius fuit, ut in primis annis laudaretur indo-
les, tum disciplinæ, post hoc operum, id est factorum dic-
torumque contextus: alias in species virtutum dividere
laudem, *fortitudinis*, *justitiæ*, *continentiæ*, ceterarumque, ac
singulis assignare, quæ secundum quamque earum gesta
erunt. Utra sit autem harum via utilior, cum materia 16
deliberabimus: dum sciamus gratiora esse audientibus,
quæ solus quis, aut primus, aut certe cum paucis feciisse
dicetur: si quid præterea supra[c] spem aut exspectationem,
præcipue quod aliena potius causa, quam sua. Tempus, 17

[t] promiserunt G. [u] sicut G. Jens. [x] corporum G. [z] persequ. Jens. [a] dona G. [b] propter G. [c] præter G.

11. *majorem patre suo*] Hinc Prometheus in Caucaso Æschyli sub finem fabulæ obscure quidem minatur Jovi futurum, ut a suo ipse filio opibus exuatur; sed nec minis per Mercurium denunciatis, nec ipso intentato fulmine exprimi a se liquidum verum patitur. Haud paullo mollior est apud Lucianum, fatigatus nimirum cruciatibus totius temporis, quod inter utrumque scriptorem intercessit; hic enim indicat Jovi totam rem, et pretium oraculi libertatem recipit.

15. *gesta erunt*] Vereor, ut futurum hoc bene cohæreat præterito, *speciosius fuit*. Igitur vel hic *fuerunt* legendum videtur, vel in hoc membro deesse verbum *licebit* aut simile quoddam futuri temporis, ad quod illud *erunt* respondeat.

quod finem hominis insequitur, non semper tractare contingit: non solum, quod viventes aliquando laudamus,
12 sed quod rara hæc occasio est, ut referri possint divini ho-
18 nores, et decreta, ut publice statuæ constitutæ. Inter quæ numeraverim[d] ingeniorum monumenta, quæ seculis probarentur. Nam quidam, sicut Menander, justiora posterorum, quam suæ ætatis, judicia sunt consecuti. Afferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus, leges
13 latoribus, artes inventoribus, necnon instituta quoque auctoribus, ut a Numa traditum deos colere, et[e] a Publi-
19 cola fasces populo submittere. Qui omnis etiam in vituperatione ordo constabit tantum in diversum. Nam et turpitudo generis opprobrio multis fuit; et quosdam claritas ipsa notiores circa vitia, et invisos magis fecit; et in quibusdam, ut in Paride traditum est, prædicta pernicies;
14 et corporis ac fortunæ quibusdam mala contemtum, ut[f] Thersitæ atque[g] Iro; quibusdam bona vitiis corrupta odium attulerunt; ut Nirea[h] imbellem, Plisthenem im-
15 20 pudicum, a poetis accepimus. Et animi totidem vitia, quot virtutes sunt: nec minus quam in laudibus, duplici ratione tractantur. Et post mortem adjecta[i] quibusdam ignominia est; ut Melio, cujus domus solo æquata; Marcoque Manlio, cujus prænomen a familia in posterum ex-
21 emtum est. Et parentes malorum odimus. Et est conditoribus urbium infame, contraxisse aliquam pernicioſam ceteris gentem, qualis est primus Judaicæ superstitionis

[d] enum. G. Jens. [e] *om. iid.* [f] in Thersite *iid.* [g] at vero *iid.*
[h] verea Jens. [i] objecta Jens.

18. *Menander*] A Philemone sæpe victus, vid. 10, 1, 72. sed ipsi prælatus Aristophani, a Plutarcho, quem Frischlinus refutavit.

18. *fasces populo subm.*] Liv. 2, 7. *Vocato ad concilium populo, submissis fascibus in concionem ascendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam, populi quam consulis majestatem vimque majorem esse.*

19. *Plisthenem*] Certatim viri docti, et ipse etiam Burmannus *Clisthenem* reponi volunt, notæ mollitiei hominem, ab Aristophane aliquoties notatum: et utitur sane hoc toto capite Fabius exemplis notissimis, cum de Plisthenis alicujus impudicitia nihil meminerint viri multiscii.

20. *cujus prænomen*] De hoc aliisque Prænominibus in certa familia damnatis suo more Ill. Spanhemius de Præst. et Usu Numis. diss. 10. p. 33. sq.

21. *Judaicæ superstitionis*] Dubium nullum est, sed luculenter a viris doctis cum alias, tum ubi de Chresto Suetonii agunt, demonstratum, Judæorum nomen prodente Quinctiliano Christianis etiam solitum tribui: cum tamen *primum auctorem* nominet Fabius, qui ignorare non poterat vel ex Horatio, aut Cicerone adeo suo, anti-

auctor: et Gracchorum leges inviſæ: et ſi quod eſt exemplum deforme poſteris traditum, quale libidinis vir Perſes in muliere Samia inſtituere auſus dicitur primus. Sed in viventibus quoque judicia hominum, velut argu- 22
menta ſunt morum; et honos aut ignominia veram eſſe laudem vel vituperationem probat. Intereſſe tamen Ari- 23
ſtoteles putat, ubi quidque [l] laudetur, aut vituperetur. Nam plurimum refert, qui ſint audientium mores, quæ publice recepta [m] perſuaſio: ut illa maxime, quæ probant, eſſe in eo, qui laudabitur, credant; aut in eo, contra quem dicemus, ea, quæ oderint [n]. Ita non dubium erit judicium, quod orationem præceſſerit. Ipſorum etiam [o] 24
permiſcenda laus ſemper: nam id benevolos facit: quoties autem fieri poterit, cum materiæ utilitate jungenda. Minus Lacedæmone ſtudia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur [p]: plus patientia, fortitudo. Rapto vivere quibuſdam honeſtum, aliis cura legum. Frugalitas apud Sybaritas forſitan odio foret, veteribus Romanis ſum-

[l] quidquid G. [m] percepta G. *a prima manu.* [n] oderunt Jenſ. [o] judicum *inſ. quidam editi. Sed om.* G. Jenſ. *cum al.* [p] merebantur G.

quiores longe Judæos; qui paullo ante per Judaici tumultus et Hieroſolymitani excidii occaſionem, eadem procul dubio audivit, legit, quæ paullo poſt in hiſtoriam ſuam retulit de Judaicis originibus diſcipulus ipſius Tacitus: hæc, inquam, cum ita ſe habeant, malim equidem Moſen hic quam Jeſum, ſalutis noſtræ auctorem, intelligere.

21. *libidinis vir Perſes*] Nihil dum certi de hoc loco extricatum eſt. Hariolatur quædam Cælius Rhodig. Lect. ant. 18, 18. Nobis in mentem veniebant quædam de luxurioſis Polycratis apud Samios inſtitutis, de quibus Athenæus 12, 19. Sed lateat nobis non invitis hic quidem ſententia Fabii.

23. *Ariſtoteles*] V. G. Rhetor. 1, 9, 41. Σκοπεῖν δὲ καὶ παρ' οἷς ὁ ἔπαινος· ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίοις ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν. Δεῖ δὲ τὸ παρ' ἑκάστοις τίμιον ὑπολέγειν, ὡς ὑπάρχον· οἷον ἐν Σκύθαις, ἢ Λάκωσιν, ἢ φιλοσόφοις. Add. ſ. 35.

24. *Ipſorum etiam permiſcenda*] Quam vocem Pinus et Burmannus jam damnaverant, eam auctoritatibus, quas dixi expulſam nemo, ſpero, indignabitur. Scilicet *judicum* importuna hic mentio, ubi de ἐπιδεικτικῷ genere agitur, ubi de Ariſtotelis ſententia κριτῇ locus non eſt, ſed θεωρῷ Rhet. 1, 3, 2. Nam quod deinde ſ. 25. de *judice* dicit, ad amplificationem modo pertinet. *Audientium* mores obſervari modo juſſit Fabius; de horum nunc admiſcenda laude agit. Sed non permiſceri modo jubet laudem, verum etiam cum materiæ utilitate jungi, hoc eſt, non undecunque arripi laudis materiem, ſed ea in auditoribus laudari, quæ cum argumento, in quo verſamur cum maxime, conjuncta ſunt. Ut ſi laudes Cynicum Diogenem apud Lacedæmonios, dicere licebit, quantum Lacedæmoniorum victus moderatus luxuriem aliorum ſuperet, tantum a Diogenis frugalitate vinci Ariſtippi aliorumque delicias.

mum luxuria[q] crimen. Eadem in singulis differentia.
25 Maxime favet judex, qui sibi dicentem assentiri[r] putat. Idem præcipit illud quoque, (quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit) quia sit quædam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus: quæ eadem etiam contra valent. Quod quidem orator, id est vir bonus, numquam[s] faciet,
26 nisi forte communi utilitate ducatur[t]. Laudantur autem urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor; et multum auctoritatis affert vetustas, ut iis, qui terra dicuntur orti; et virtutes ac vitia circa res gestas[u], eadem quæ in singulis: illa propria, quæ ex loci positione

q luxuriæ Jens. r assentari *id.* s unquam G. t ducetur G. duceretur Jens. u gestas, eademque *alii quod sciam omnes.*

25. *Idem præcipit*] Aristot. 1, 9, 37. Ἀπτέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπαρχουσιν, ὡς ταυτὰ ὄντα· οἷον πρὸς ἐπαινον καὶ πρὸς ψόγον· οὐτε γὰρ εἰλαζὼν καὶ εὔψυχος, οὐτε δειλὸν καὶ ἐπίβουλον, κ. τ. λ. sunt enim plura. Cæterum laboratur hic circa lectionem et interpretationem. Neque enim facile est intelligere, quomodo ἐπίβουλος h. e. insidiator, sit vicinus τῷ εὐψύχῳ, quem fortem et animosum esse, vel Thucydidis usus satis docet. Quæ alii excogitarint apud Schraderum videre est. Nobis videbatur Aristoteles sibi et veritati constare, si legas pro ἐπίβουλον, παράβολον. Ita enim vicina sicut εἰλαζὼν et δειλὸς, ita εὔψυχος et παράβολος.

25. *proxima derivatione verborum*] Hoc vult, utendum est verbis, quæ non multum recedunt a significatione ea, quam effugere volumus. Sic deinde 3, 8, 32. *Quæ tantum inter se pugnant, plerumque nominibus deflecti solent. Derivationem* igitur hic intelligo illam, quæ aquas a sede sua atque alveo in alium commodiorem locum traducit, quæ cum propria significatio atque prima sit, non nimis tamen hodie scribentibus vulgaris est. Igitur Columella meus 2, 8, 3. *Ut omnem humorem—extra segetes derivemus.* et 2, 17, 5. *Si palus in aliqua parte subsidens restagnat, sulcis derivanda est.* Hinc tracta metaphora Cic. in Verr. 1, 53. extr. *L. Domitius de Chelidone reticuit quoad potuit; alio responsionem suam derivavit:* cum nempe *omnia potius responderet, quam Chelidonem nominaret.* Est igitur Fabio, ut ad hunc redeamus, *derivatio verborum* ille ὑποχορισμὸς, qui vicinarum virtutum nomina vitiis, vel contra, tribuit, de quo multa apud optimos scriptores mentio. Quæ mihi vehementer placuerunt loca indicabo, si quis humanissima voluptate et ipse animum pascere velit. Fontem quasi Plato aperuit de Rep. 5. p. 466. Læmar. unde repetit Plutarchus de Discr. Amici p. 97. Henr. Steph. Inter Latinos Lucret. 4, 1149. seqq. Ovid. Art. 2, 657. et Am. 2, 4, 33. ac de Rem. Am. 327. Atque hæc omnia de amatoria illa derivatione verborum: quam ad amicitias transferri optat Horat. Sat. 1, 3, 44. sqq. Politicam copiosissime describit, et exemplis plurimis declarat Thucydides 3, 82.

26. *eadem quæ in singulis*] Illa altera lectio, quæ libros omnes, uti dictum est, obsedit, locum haberet, si ab urbium laudibus transiret Fabius ad hominum singulorum: sed

ac [x] munitione ſunt. [z] Cives illis, ut hominibus liberi [a], 27
decori. Eſt [b] laus et [c] operum, in quibus *honor*, *utilitas*, *pulchritudo*, [d] *auctor* ſpectari [e] ſolet. *Honor*, ut in templis; *utilitas*, ut in muris; *pulchritudo* vel *auctor*, utrobique. Eſt et locorum, qualis Siciliæ apud Ciceronem: in quibus ſimiliter *ſpeciem* et *utilitatem* intuemur: *ſpeciem*, maritimis, planis, amœnis; *utilitatem*, ſalubribus, fertilibus. Erit etiam dictorum [f] factorumque laus generalis. Erit et re- 28
rum omnis modi. Nam et ſomni et mortis ſcriptæ laudes, et quorumdam a medicis ciborum. Itaque ut non conſenſi hoc laudativum genus circa ſolam verſari honeſti quæſtionem, ſic qualitate maxime contineri puto: quamquam omnes tres ſtatus cadere in hoc opus poſſint, hiſque [g] uſum C. Cæſarem in vituperando Catone, notaverit Cicero. Totum autem habet aliquid ſimile ſuaſoriis: quia plerumque eadem illic ſuaderi, hic laudari ſolent.

VIII. (X.) Deliberativas quoque miror a quibuſdam ſola utilitate finitas [a]. Ac, ſi quid in his unum ſequi oporteret, potior fuiſſet apud me Ciceronis ſententia, qui hoc materiæ genus dignitate maxime contineri putat. Nec dubito, quin hi, qui ſunt in illa priore ſententia, ſecundum opinionem pulcherrimam, ne utile quidem, niſi

[x] aut G. Jenſ. *et al. ap. Burm.* [z] Sicut *inf.* G. [a] liberis Jenſ. *male.* [b] Et G. [c] magnitudo *inf.* G. Jenſ. [d] vel *inf.* G. [e] ſpectari—auctor *om.* G. [f] honeſtorum *inf.* G. Jenſ. *et al.* [g] his quoque *iid.* [a] definitas. At Jenſ.

cum contra ſe res habeat, apparet, eum velle *eadem* hic obſervari, *quæ in ſingulis*. Audaciam non excuſo, cum nihil mihi ſumſerim, quod non propter licentiam librariorum circa diphthongos, et jungendarum ſeparandarumque vocum negligentiam, unicuique in unoquoque libro debeat licere.

27. *apud Ciceronem*] In Verr. 2, 1. ſq. et alias in Verrinis paſſim.

28. *quorumd. ciborum*] Ex Plin. 20, 9. obſervat hic Turnebus Catonem et Chryſippum integros dicaſſe libros braſſicæ.

28. *notaverit Cicero*] Top. 24. *Aut negari poteſt id factum, quod laudetur; aut non eo nomine officiendum, quo laudator offecerit, aut omnino non eſſe laudabile, quod non recte, non jure factum ſit. Quibus omnibus generibus uſus eſt nimis impudenter Cæſar contra Catonem meum.*

28. *eadem illic ſuaderi*] Ariſtot. Rhet. 1, 9, 53. Ἔχει κοινὸν εἶδος ἡ ἔπαινος, ᾧ αἱ συμβουλαί· ἃ γὰρ ἂν τῷ συμβουλεύειν ὑπόδικα ἂν, ταῦτα μεταθέντα τῷ λέξει ἐγκώμια γίνεται κ. τ. λ.

VIII, 1. *Ciceronis ſententia*] De Orat. 2, 82. *In ſuadendo nihil eſt optabilius, quam dignitas: nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit ſuaſor, ſed quid interdum magis ſequatur, videt &c.*

1. *ne utile quidem, niſi quod hon.*] Ut Cicero l. c. Quin Ariſtoteles etiam 1, 6. cum materiam ſuaſionis faciat τὸ ἀγαθόν, virtutes quoque et ipſum καλὸν ea appellatione a ſe comprehendi diſerte oſtendit.

2 quod honeſtum eſſet, exiſtimarint. Et eſt hæc ratio veriſſima, ſi conſilium [b] contingat ſemper bonorum atque ſapientum. Verum apud imperitos, apud quos frequenter dicenda ſententia eſt, populumque præcipue, qui ex pluribus conſtat indoctis, diſcernenda ſunt hæc, et ſecundum
3 communes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi, qui etiam, quæ credunt *honeſta*, non tamen ſatis eadem *utilia* quoque exiſtiment; quæ turpia eſſe dubitare non poſſunt, utilitatis ſpecie ducti probent, ut *fœdus Numantinum*, *jugumque Caudinum*. Ne qualitatis quidem
4 ſtatu, in quo et honeſtorum et utilium quæſtio eſt, complecti eas ſatis eſt. Nam frequenter in his etiam conjecturæ locus eſt, nonnumquam [c] tractatur aliqua finitio: aliquando etiam legales poſſunt incidere tractatus, in privata maxime conſilia, ſi quando ambigitur, *An liceat*.
5 De conjectura paullo poſt pluribus. Interim, eſtne [d] finitio [e] apud Demoſthenem, *Det Halonneſum Philippus, an reddat?* apud Ciceronem in Philippicis, *Quid ſit tumultus?* Quid? non illa ſimilis judicialium quæſtio, *De ſtatua Servii Sulpicii*, an iis demum ponenda ſit, qui in legatione
6 ferro ſunt interemti? Ergo pars deliberativa (quæ eadem ſuaſoria dicitur) de tempore futuro conſultans [f], quærit etiam de præterito. Officiis conſtat duobus, *ſuadendi*, ac *diſſuadendi*. Procemio, quale eſt in judicialibus, non ubique [g] eget, quia conciliatus eſt ei quiſque, quem [h] conſulit. Initium tamen quodcumque debet habere aliquam procemii ſpeciem: nec enim abrupte, nec unde libuit, incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter
7 primum. In ſenatu, et [i] utique in concionibus, eadem ratio, quæ apud judices, acquirendæ ſibi plerumque eorum, apud quos dicendum ſit, benevolentiæ [l]. Nec mirum, cum etiam in Panegyricis petatur audientium favor, ubi emolumentum non in [m] utilitate aliqua, ſed in ſola

[b] concilium *malim*. [c] etiam *inſ.* G. Jenſ. [d] eſt G. [e] diffinitio Jenſ. [f] conſultat *id.* [g] utique G. *pulchre*. [h] qui G. [i] itaque G. [l] benivol. G. Jenſ. [m] *om. iid.*

5. *Det Halonneſum*] Nimirum volebat juſte poſſidere Philippus urbem latronibus a ſe ereptam, condonare autem Athenienſibus: Athenienſes, ut ſuam, a latronibus injuſte interceptam, a quocunque poſſeſſore repetebant. Demoſthenes, vel quiſquis auctor eſt, dubitatur enim: Τί ἂν αὐτῷ διαφέρει μὴ τῷ δικαίῳ ὀνόματι χρησάμενον ἀποδοῦναι ὑμῖν, ἀλλὰ δωρεὰν δεδωκέναι, τῷ ἀδίκῳ.

5. *in Philippicis*] Præſertim 8, 1. De ſtatua autem Servio Sulpicio in legatione mortuo decernenda agit tota Philippica nona.

laude confiſtit. Ariſtoteles quidem, nec ſine cauſſa, putat 8
et a noſtra, et ab ejus, qui diſſentiet, perſona, duci frequenter in conſiliis exordium, quaſi mutuantibus hoc[n] nobis a judiciali genere; nonnumquam etiam, ut minor res majorve videatur: in demonſtrativis vero procœmia eſſe maxime libera exiſtimat. Nam et longe a materia duci, 9
ut in Helenes laude Iſocrates fecerit: et ex aliqua rei vicinia, ut idem in Panegyrico conqueritur[p] *plus bonoris corporum, quam animorum virtutibus dari:* et Gorgias in Olympico laudans eos, qui primi tales inſtituerunt conventus. Quos ſecutus videlicet Criſpus[q] Salluſtius, in bello Jugurthino et Catilinario[r] nihil ad hiſtoriam pertinentibus principiis orſus eſt. Sed nunc ad ſuaſoriam, in 10
qua etiam, quum procœmio utemur, breviore tamen, et velut quodam capite tantum et initio, debebimus[s] eſſe contenti. Narrationem vero numquam exiget privata deliberatio, ejus duntaxat rei, de qua dicenda ſententia eſt: quia nemo ignorat id, de quo conſulit. Extrinſecus 11
poſſunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus ſæpe eſt etiam illa, quæ ordinem rei docet, neceſſaria. [t] Affectus, ut quæ[u] maxime, poſtulat[x]. Nam 12
et concitanda et lenienda frequenter eſt ira, et ad metum, cupiditatem, odium, conciliationem, impellendi animi. Nonnumquam etiam movenda miſeratio eſt, ſive, ut auxilium obſeſſis feratur, ſuadere oportebit, ſive ſociæ civitatis everſionem deflebimus. Valet autem in conſiliis auctoritas plurimum. Nam et prudentiſſimus eſſe haberique, 13
et[z] optimus is debet, qui ſententiæ ſuæ de utilibus atque honeſtis credere omnes velit. In judiciis enim vulgo fas habetur indulgere aliquid ſtudio ſuo: conſilia, nemo eſt, qui neget, ſecundum mores dari. Græcorum quidem 14
plurimi omne hoc officium concionale eſſe judicaverunt, et in ſola reipublicæ adminiſtratione poſuerunt. Quin et Cicero in hac maxime parte verſatur. Ideoque ſuaſuris *de pace, bello, copiis, operibus*[a], *vectigalibus*, hæc duo præcipue nota eſſe voluit, *vires civitatis*, et *mores*: ut ex natura

[n] hæc *iid.* [p] cum queritur G. Jenſ. [q] Caius *iid.* [r] Catilinæ G. Jenſ. [s] debemus G. [t] At Jenſ. [u] quæque G. Jenſ. [x] poſtulabit *iid.* [z] et *atque* is *om. iid.* [a] opibus *iid.*

8. *Ariſtoteles*] Rhet. 3, 14. de procœmiis trium generum cauſarum præcipit: de deliberativo quidem 1. 41. ſq. de demonſtrativo autem ſ. 3. ſq.

14. *Cicero*] Vid. de Orat. 2, 16.

eum ipſarum rerum, tum audientium, ratio ſuadendi du-
15 ceretur. Nobis major in re videtur varietas: nam et *conſultantium* et *conſiliorum* plurima ſunt genera. Quare in ſuadendo et diſſuadendo tria primum ſpectanda [b] erunt, *Quid ſit, de quo* deliberetur, *Qui ſint, qui* deliberent, *Qui* [c] *ſit, qui ſuadeat.* Rem, de qua deliberatur, aut certum eſt
16 poſſe fieri, aut incertum. Si incertum, hæc erit quæſtio ſola, aut potentiſſima. Sæpe enim accidet, ut prius dicamus, ne ſi poſſit quidem fieri, eſſe faciendum: deinde, fieri non poſſe. Cum autem de hoc quæritur, conjectura eſt, *An Iſthmos intercidi, an ſiccari palus Pomptina* [d], *an portus fieri Hoſtiæ poſſit? An Alexander terras ultra Oceanum*
17 *ſit inventurus.* Sed in iis quoque, quæ conſtabit poſſe fieri, conjectura aliquando erit: ut ſi quæratur, *An utique futurum ſit, ut Carthaginem ſuperent Romani: ut redeat Hannibal, ſi Scipio exercitum in Africam tranſtulerit: ut ſervent fidem Samnites, ſi Romani arma depoſuerint?* Quædam et fieri poſſe, et futura eſſe, credibile eſt; ſed aut *alio tem-*
18 *pore*, aut *alio loco*, aut *alio modo*. Ubi conjecturæ non erit locus, alia ſunt intuenda. Et primum, aut propter ipſam rem, de qua ſententiæ rogantur, conſultabitur: aut propter alias intervenientes extrinſecus cauſſas. Propter ipſam deliberant Patres conſcripti, *An ſtipendium militi conſtitu-*
19 *ant?* Hæc materia ſimplex erit. Accedunt cauſſæ aut faciendi, ut deliberant P. C. *An Fabios dedant Gallis bellum minitantibus?* aut non faciendi, ut [e] deliberat C. Cæſar, *An perſeveret in Germaniam ire, cum milites paſſim teſta-*
20 *menta facerent?* Hæ ſuaſoriæ duplices ſunt. Nam et illic cauſſa deliberandi eſt, quod bellum Galli minitentur: eſſe tamen quæſtio poteſt, *Dedendine fuerint, etiam citra hanc denunciationem, qui* [f] *contra fas, cum legati miſſi eſſent, prælium inierint, regemque, ad quem mandata acceperant, truci-*
21 *darint?* Et hic nihil Cæſar fine dubio deliberet, niſi prop-

[b] conſideranda G. [c] quis G. [d] Pontina G. Jenſ. [e] *om. iid.* [f] quia Jenſ.

16. *Iſthmos intercidi*] Quod ſæpe tentatum: vid. diſputatio quæ inter Luciani opuſcula habetur: it. Joſephi Scaligeri Gallicus de eo argumento commentariolus inter Opuſcula viri varia ante hac inedita. Multa de hoc et reliquis operibus hic memoratis Suetonius, et ad illum viri docti.

17. *ut redeat Hannibal*] Quod haud vanus promiſſor Scipio polliceretur in oratione, quam retulit vel finxit Liv. 28, 40. De Samnitibus et alias et 9, 45.

18. *An ſtipendium*] Vid. Liv. 4, 59. ſq. De Fabiis 5, 35. ſq. De Cæſaris deliberatione ipſe Gall. 1, 39.

ter hanc militum perturbationem : est tamen locus quærendi, *An citra* [g] *hunc quoque casum penetrandum in Germaniam fuerit?* Semper autem de eo prius loquemur [h], de quo deliberari, etiam detractis sequentibus, posset. Partes suadendi quidam putaverunt *honestum, utile, necessarium.* Ego non invenio huic tertiæ locum. Quantalibet enim vis ingruat, aliquid fortasse pati necesse sit, nihil facere: de faciendo autem deliberatur. Quod si hanc vocant *necessitatem*, in quam [i] homines graviorum metu coguntur, *utilitatis* erit quæstio : ut *si obsessi, et impares, et aqua ciboque defecti, de facienda ad hostem deditione deliberent*, et dicatur, *Necesse est:* nempe sequitur, ut hoc subjiciatur, *Alioqui pereundum est:* ita propter id ipsum non est necesse, quia perire potius licet. Denique non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergina circumventi. Igitur in his quoque cautis aut de *sola utilitate* ambigetur, aut quæstio inter *utile* atque *honestum* consistet. At enim, si quis liberos procreare volet, necesse habeat uxorem ducere. Quis dubitat? sed [l] ei, qui pater vult fieri, liqueat necesse est, uxorem esse ducendam. Itaque mihi ne consilium quidem videtur, ubi necessitas est : non magis quam ubi constat, quid fieri omnino non posse. Omnis enim deliberatio de dubiis est. Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod nostri *possibile* nominant, quæ ut dura videatur appellatio, tamen sola est. Quas partes non omnes in omnem cadere suasoriam manifestius est, quam ut docendum sit. Tamen apud plerosque earum numerus augetur, a quibus ponuntur ut partes, quæ species sunt partium. Nam *fas, justum, pium, æquum,* [m] *mansuetum* quoque (sic enim sunt interpretati τὸ ἥμερον) et [n] si qua adhuc adjicere quis ejusdem generis velit, subjici possunt *honestati.* An sit autem *facile, magnum, jucundum, sine periculo?* ad quæstionem pertinet *utilitatis.* Qui loci oriuntur ex contradictione, *Est quidem utile, sed difficile, parvum,* [o] *injucundum, periculosum.* Tamen quibusdam videtur esse nonnumquam de jucunditate sola consultatio, ut si de ædificando theatro, instituendis

[g] circa G. [h] loquamur G. [i] qua Jens. *bene.* [l] si *id.* [m] *om.* G. [n] *om.* G. [o] et *inf.* Jens.

23. *in rate Opitergina*] Cujus vectores mille juvenes mutuis ictibus concidere quam hostibus Pompeianis dedere se maluerunt Flor. 4, 2, 33. De Saguntinis notum cum alias, tum ex Liv. 21, 14.

ludis, deliberetur. Sed neminem[p] adeo ſolutum luxu puto, ut nihil in cauſſa ſuadendi ſequatur præter voluptatem. Præcedat enim ſemper aliquid neceſſe eſt, ut in ludis, honor Deorum; in theatro, non inutilis laborum remiſſio, deformis et incommoda turbæ, ſi id[q] non ſit, conflictatio; et nihilominus eadem illa religio, cum theatrum veluti quoddam illius ſacri templum vocabimus. Sæpe vero et utilitatem deſpiciendam eſſe dicimus, ut honeſta faciamus: ut cum illis Opiterginis[r] damus[s] conſilium, ne ſe hoſtibus dedant, quamquam perituri ſint, niſi fecerint. Et utilia honeſtis præferimus: ut cum ſuademus, ut bello Punico ſervi armentur. Sed tamen neque hic plane concedendum eſt, eſſe id inhoneſtum; liberos enim natura omnes, et eiſdem conſtare elementis, et fortaſſe antiquis etiam nobilibus ortos, dici poteſt: et illic, ubi manifeſtum periculum eſt, opponenda alia, ut crudelius etiam perituros affirmemus, ſi ſe dediderint, ſive hoſtis non ſervaverit fidem, ſive Cæſar vicerit, quod eſt vero ſimilius. Hæc autem, quæ tantum inter ſe pugnant, plerumque nominibus deflecti ſolent. Nam et utilitas ipſa expugnatur ab iis, qui dicunt, non ſolum potiora eſſe honeſta, quam utilia, ſed ne utilia quidem eſſe, quæ non ſint[t] honeſta: et contra, quod nos honeſtum, illi vanum, ambitioſum, ſtolidum, verbis, quam re, probabilius vocant. Nec tantum[u] inutilibus comparantur utilia, ſed inter ſe quoque ipſa: ut ſi ex duobus eligamus, in altero, quid ſit magis, in altero, quid ſit minus. Creſcit hoc adhuc. Nam interim triplices etiam ſuaſoriæ incidunt: ut cum Pompeius deliberavit, *Parthos an Africam, an Ægyptum peteret*. Ita non tantum, utrum ſit melius, ſed quid ſit optimum, quæritur. Itemque[x] contra. Nec umquam incidet in hoc genere materiæ dubitatio rei, quæ undique ſecundum nos ſit. Nam ubi contradictioni locus non eſt,

[p] nemini G. [q] ibi G. Jenſ. *male*. [r] Opterg. G. [s] demus Jenſ. [t] ſint G. Jenſ. [u] enim G. [x] item G.

29. *et nihilominus*] Intell. quam in ipſis ludis: eſt igitur hic connectendi modo, non removendæ objectionis formula.

30. *illis Opiterginis*] De quibus modo ſ. 23.

30. *ſervi armentur*] Liv. 22, 57. Flor. 2, 6, 23.

32. *nomin. deflecti*] Vid. quæ ad 3, 7, 25. de *nominum derivatione* diſputavimus.

33. *Pompeius*] Poſt Pharſalicam aciem. Vide deliberationem illam, magnam declamatori materiam, apud Lucanum 8, 276; de Plutarcho ne quid dicam.

quæ poteſt eſſe cauſſa [z] dubitandi? Ita [a] fere omnis ſuaſoria nihil eſt aliud, quam comparatio: videndumque, *quid conſecuturi ſimus* [b], et *per* [c] *quid?* ut æſtimari poſſit, *plus in eo, quod petimus, ſit commodi, an vero in eo, per quod petimus, incommodi?* Eſt utilitatis et in tempore quæſtio, *Expedit, ſed non nunc*; et in [d] loco, *Non hic*; et in perſona, *Non nobis, non contra hos*; et in genere agendi, *Non ſic*; et in modo, *Non in tantum*. Sed perſonam ſæpius decoris gratia intuemur, quæ et in nobis, et in iis, qui deliberant, ſpectanda eſt. Itaque [e] quamvis exempla plurimum in conſiliis poſſunt, quia facillime ad conſentiendum homines ducuntur experimentis: refert tamen, quorum auctoritas, et quibus adhibeatur. Diverſi ſunt enim deliberantium animi, duplex conditio. Nam conſultant aut plures, aut ſinguli: ſed in utriſque differentia: quia et in pluribus multum intereſt, *Senatus ſit*, an *populus*; *Romani*, an *Fidenates*; *Græci*, an *Barbari*; et in ſingulis, *Catoni petendos honores ſuadeamus*, an *C. Mario*; *de ratione belli Scipio prior*, an *Fabius deliberet* [f]. Proinde [g] intuenda *ſexus, dignitas, ætas*. Sed mores præcipue diſcrimen dabunt. Et honeſta quidem honeſtis ſuadere facillimum eſt: ſi vero apud turpes recta [h] obtinere conabimur, ne videamur exprobrare diverſam vitæ ſectam, cavendum eſt. Et animus deliberantis, non ipſa honeſti natura, quam ille non reſpicit, permovendus; laude, vulgi opinione, et, ſi parum proficiet hæc vanitas, ſecutura [i] ex his utilitate; aliquanto vero magis objiciendo aliquos, ſi diverſa fecerint, metus. Nam præter id, quod his leviſſimi cujuſque animus facillime terretur, neſcio an etiam naturaliter apud plurimos plus valeat malorum timor, quam ſpes bonorum: ſicut facilior eiſdem turpium, quam [l] honeſtorum, intellectus eſt. Aliquando bonis quoque ſuadentur parum

35 36 37 38 39 40 41

[z] deliberandi *inf.* G. *ſed puncta ſubjecit manus poſterior.* [a] item Jenſ.
[b] ſumus G. Jenſ. [c] propter *id. et al.* [d] alio *inf.* G. *male.* [e] ita Jenſ. [f] deliberent Jenſ. [g] *Forte legendum* Perinde. [h] recte G. *male.*
[i] ſecuturam ex his utilitatem G. *ſcilicet refert ad ſequens* objiciendo. [l] et G.

35. *in nobis*] Qui ſuademus. Utile eſt aliquid, ſed non poteſt conſervata dignitate ejus, qui conſulitur, ſuaderi. Reus, ut hoc utar, rerum capitalium, conſilium rogat eum, qui magiſtratum gerit: ſuadebitne hic fugam, quam impedire muneris illum ratio jubet? vid. ſ. 48. ſq.

37. *Scipio prior*] Perpetuam Fabii Cunctatoris cum Scipione Majore de bello Punico fuiſſe contentionem conſtat, v. g. illa de trajectu in Africam diſputatione, quam tangebat noſter ſ. 17.

decora: dantur parum bonis consilia, in quibus ipsorum, qui consulunt, spectatur utilitas. Nec me fallit, quæ statim cogitatio subire possit legentem. Hoc ergo præci-
42 pis? et hoc fas putas? Poterat me liberare M. Cicero, qui ita scribit ad Brutum, *Propositis plurimis, quæ honeste suaderi Cæsari possent, simne* [m] *bonus vir, si hæc suadeam? Minime. Suasoris enim finis est utilitas ejus, cui quisque suadet. At recta sunt: quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus.* Sed quia est altior quæstio, nec tantum ad suasorias pertinet, destinatus est mihi hic locus duode-
43 cimo (qui summus futurus est) libro. Nec ego quidquam fieri turpiter velim. Verum interim hæc vel ad scholarum exercitationes pertinere credantur: nam et ini-
44 quorum ratio noscenda est, ut melius æqua tueamur. Interim si quis bono inhonesta suadebit, meminerit non suadere tamquam inhonesta, ut quidam declamatores Sextum Pompeium ad piraticam, propter hoc ipsum, quod turpis et crudelis sit, impellunt: sed dandus illis deformibus color, idque etiam apud malos. Nec enim est quisquam
45 tam malus, ut malus [n] videri velit. Sic Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione videatur audere. Sic Atreus apud Varium:

Jam fero [o] (inquit) *infandissima, jam facere cogor.*

46 Quanto magis eis, quibus cura famæ fuit, conservandus est hic vel [p] ambitus? Quare et cum Ciceroni dabimus

[m] sumne G. [n] *om.* G. Jens. *acute.* [o] *Quid si legamus* ferre? [p] velut *conj. Francius apud Burm.*

42. *ad Brutum*] Obscuraverat hoc fragmentum typographorum, credo, perversa sedulitas, ita ut agnosci non posset, Ciceronis verba pertinere usque ad illa, *in suadendo locus*. Apparet, quæstionem positam a Cicerone, *An possit honestate conservata ea suadere Cæsari, quæ reipublicæ essent utilia, licet inimica ipsi consilium roganti Cæsari?* Hoc posito facilia sunt omnia: et fragmentum hoc ita sumserunt, h. e. totum Ciceroni tribuerunt Patricius et Sigonius.

45. *hic vel ambitus*] *Ambitus* pro ambitione et gloriæ quodam studio ponitur, ut infra 12, 10, 3. *proprium quemdam intelligendi ambitum* dixit. Si qui etiam non honesti sint, si mala audeant; conservandus tamen est etiam ille ambitus, serviendum studio illi bene audiendi.

46. *Ciceroni consilium*] Tractat illam declamandi materiem Seneca Suasoria 6. ubi *deliberat Cicero, an Antonium deprecetur*; et in fine, *Solent*, inquit, *scholastici declamatores ponere: Deliberat Cicero, an promittente salutem Antonio, orationes suas comburat* idque ipsum proximæ suasoriæ argumentum facit.

consilium, ut *Antonium roget*, vel etiam ut *Philippicas* (ita vitam pollicente eo) *exurat*, non cupiditatem lucis allegabimus, (hæc enim si valet in animo ejus, tacentibus[q] quoque nobis valet) sed, ut se reipublicæ servet, hortabimur. Hac illi opus est occasione, ne eum talium precum 47
pudeat. Et Caio Cæsari suadentes regnum, affirmabimus, stare jam rempublicam, nisi uno regente, non posse. Nam qui de re nefaria deliberat, id solum quærit, quo modo quam minimum peccare videatur. Multum refert etiam, quæ 48
sit persona suadentis: quia anteacta vita, si illustris fuit, aut clarius genus, aut ætas, aut fortuna, affert exspectationem, providendum[r] est, ne, quæ dicuntur, ab eo, qui dicit, dissentiant. At his contraria submissiorem quemdam modum postulant. Nam quæ in aliis *libertas* est, in aliis *licentia* vocatur: et quibusdam sufficit *auctoritas*; quosdam *ratio* ipsa ægre tuetur. Ideoque longe mihi dif- 49
ficillimæ videntur prosopopœiæ, in quibus ad reliquum suasoriæ laborem accedit etiam personæ difficultas. Namque idem illud aliter *Cæsar*, aliter *Cicero*, aliter *Cato* suadere debebit. Utilissima vero hæc exercitatio, vel quod duplicis est operis, vel quod poetis quoque aut historiarum futuris scriptoribus plurimum confert[s], verum et oratoribus necessaria. Nam sunt multæ a Græcis Latinisque com- 50
positæ orationes, quibus alii uterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda, quæ dicebantur, fuerunt. An eodem modo cogitavit, aut eamdem personam induit[t] Cicero, cum scriberet Cn. Pompeio, et cum C. Appio[u],

[q] tacentibus—valet *om.* G. [r] providendumque *vel* providendum igitur *legendum videtur.* [s] conferre G. [t] inducit G. Jens. *sed* induit *melius.* [u] Domitio Jens. *et convenit cum Cic. ad Att.* 13, 37 *et* 48. Domitio Cæsarive *MSS. ap. Burm.*

47. *occasione*] Ἀφορμήν, credo, dicit, locum, quo nixus ὁρμᾶσθαι inde et ad factum alias pudendum, gradum facere possit. Perfugium esse Græcis ἀταξίαν, et ad omnia vivendi agendique præsidia referri, constat. Vel hanc dicamus esse hujus membri sententiam: hac sola occasione non pudere debet Ciceronem talium precum.

50. *quibus alii uterentur*] Ut Socrati orationem *attulit Lysias, quam, si ita videretur, edisceret, et pro sua in judicio uteretur.* Vid. noster 2, 15, 30. et 11, 1, 11.

50. *eamdem perso. induit*] Hoc prætuli, quia non de aliena persona sermo est, quam *inducit* et quasi in scenam prodire jubet orator, sed de ea, quam ipse interim sibi sumit, atque non minus quam scenicus actor tergum leonis Herculei, vel crocotam Helenæ, *induit*. Exemplorum affatim dant Lexica, et ipse noster alias ita, e. g. 6, 2, 36.

50. *C. Appio*] *Domitio* non esse ejiciendum, censet Burmannus, qui hic copiose docet, quibus Cicero et

ceteriſve; ac non uniuſcujuſque eorum [x] fortunam, dignitatem, res geſtas intuitus, omnium, quibus vocem dabat, etiam imaginem expreſſit? ut melius quidem, ſed
51 tamen ipſi dicere viderentur. Neque enim [z] minus vitioſa eſt oratio, ſi ab homine, quam ſi a re, cui accommodari debuit [a], diſſidet: ideoque Lyſias optime videtur in iis, quæ ſcribebat indoctis, ſervaſſe veritatis fidem. Enimvero præcipue declamatoribus conſiderandum eſt [b], quid cuique perſonæ conveniat? qui pauciſſimas controverſias ita dicunt, ut advocati; plerumque filii, patres, divites, ſenes, aſperi, lenes, avari, denique ſuperſtitioſi, timidi, deriſores, fiunt: ut vix comœdiarum actoribus plures habitus in pronuntiando concipiendi ſint, quam his in dicen-
52 do. Quæ omnia videri poſſunt *proſopopœiæ*; quas [c] ego ſuaſoriis ſubjeci, quia nullo alio ab his, quam perſona, diſtant. Quamquam hæc [d] aliquando etiam in controverſias ducitur, quæ ex hiſtoriis compoſitæ, certis agentium
53 nominibus continentur. Neque enim ignoro, plerumque exercitationis gratia poni et poeticas et [e] hiſtoricas, ut *Priami verba* apud Achillem, aut [f] *Syllæ dictaturam deponentis* in concione. Sed hæc in partes cedunt trium generum, in quæ cauſſas diviſimus. Nam et rogare, indicare [g], rationem reddere, et alia, de quibus ſupra dictum eſt [h], varie, atque ut res vult, in materia *judiciali*, *delibera-*
54 *tiva*, *demonſtrativa*, [ſubjicere [i]] ſolemus. Frequentiſſime vero in his utimur fictа perſonarum, quas ipſi ſubſtituimus, oratione, ut apud Ciceronem pro Cœlio [m], Clodiam

[x] *om.* G. [z] *om.* Jenſ. [a] debet G. [b] *om.* G. [c] quam G. Jenſ. [d] hoc Jenſ. [e] poeticas hiſtorias Jenſ. *male.* [f] ut G. [g] vindicare G. vendicare Voſſ. 2. [h] *om.* G. [i] *om.* G. Jenſ. *et plures. Ac turbare videtur ſententiam.* [m] in *inſ.* G. Jenſ. *male.*

alii orationes ſcripſerint, ac de contemtis Græcorum λογογράφοις laudat Creſoll. Theatr. Rhet. 3, 2.

51. *Lyſias optime vid.*] Quod igitur vitio illi datur ſiccitas quædam et humilitas, id potius a perſonis eſt, quibus orationem accommodavit.

53. *Priami verba*] Cum filii ſui Hectoris corpus ſuppliciter ab illo repetit. Formam præivit Poeta Ω. 486. ſqq.

53. [*ſubjicere*] Huc non pertinere hoc verbum confirmare auſim. Sed unde, quoque titulo, pedem huc intulerit, non comminiſcor, niſi forte ad ſuperiora infinita pertinet, *rogare*, *indicare*, *rationem reddere*; et ſignificat objectionem vel interrogationem quamcunque proponere atque ad eam reſpondere, quæ ὑποφορὰ ſ. *ſubjectio* rhetorum eſt.

54. *Cic. pro Cœlio*] Cap. 14. et 15. Priore loco Appius Cæcus graviter et ſevere Clodiam caſtigat; altero frater ſororem ineptiarum poſtulat, quæ ob nugas amatorias tantos tumultus moveat. Quo modo

et cæcus Appius, et Clodius frater, ille in caſtigationem, hic in rationem [n] amorum compoſitus alloquitur. Solent 55
in ſcholis fingi materiæ ad deliberandum ſimiliores controverſiis, et ex utroque genere commixtæ: ut cum apud C. Cæſarem conſultatio de pœna Theodoti ponitur. Conſtat enim accuſatione et defenſione cauſſæ, quod eſt judicialium proprium. Permixta autem eſt et utilitatis ratio, 56
An pro [o] *Cæſare fuerit occidi Pompeium? An timendum a rege bellum, ſi Theodotus ſit occiſus? An id minime opportunum hoc tempore, et periculoſum, et certe longum ſit futurum?* Quæritur et de honeſto, *Deceatne Cæſarem ullio Pompeii?* 57
An ſit verendum, ne pejorem faciat ſuarum partium cauſſam, ſi Pompeium indignum morte fateatur? Quod genus acci- 58
dere etiam veritati poteſt. Non ſimplex autem circa ſuaſorias error in pleriſque declamatoribus fuit, qui dicendi genus in his diverſum, atque in totum illi judiciali contrarium eſſe exiſtimarunt. Nam et principia abrupta, et concitatam ſemper orationem, et in verbis effuſiorem (ut ipſi vocant) cultum affectaverunt, et earum breviores utique commentarios, quam judicialis [p] materiæ, facere elaborarunt. Ego porro ut proœmio video non utique opus 59
eſſe ſuaſoriis, propter quas dixi ſupra cauſſas, ita cur initio [q] furioſo ſit exclamandum, non intelligo: cum propoſita conſultatione [r] rogatus ſententiam, ſi modo eſt ſanus, non quiritet [s], ſed quam maxime poteſt civili et humano ingreſſu mereri aſſenſum deliberantis velit. Cur autem [t] 60
torrens, et utique [u] æqualiter concitata ſit in ea dicentis

[n] hortationem morum G. morum *etiam* Jenſ. orationem morum *al. Quid ſi* curationem? [o] Cæſari profuerit G. [p] legalis G. Jenſ. *et libri plerique ap. Burm.* judicialis *videtur eſſe a Regio.* [q] inſcio G. initium Jenſ. [r] conſalutatione G. [s] quæritet G. Jenſ. *et al.* [t] igitur G. Jenſ. [u] ubique *conj. Burmanni et Walkeri ad Cic. de N. D.* 3, 40.

hic frater *in rationem amorum compoſitus* dici poſſit, obſcuriuſculum eſt. Forte hoc vult, fratris orationem ita eſſe comparatam, ut *rationis amorum*, et quid ſolenne ſit amantibus, ſororem admoneat. Sed lucidus, candidus, clarus eſſe ſolet Fabius. Illud apparet, hoc agi a minore fratre Clodiæ, ut ægrum et faucium amore Cœlii animum ſororis ab cogitationibus violentis et furioſis revocet, verbo *curet*. Igitur ſuſpicatus ſum, legi debere, *in curationem amorum compoſitus*: ita utriuſque orationis finis exprimeretur, nec obſcurus mihi eſſet Fabius. Qui legerit totam illam proſopopœiam, non male, ſpero, de iſta conjectura exiſtimabit.

55. *de pœna Theodoti*] Qui Ptolemæum, pupillum ſuum, ad cædem Pompeii M. impulerat.

58. *veritati*] Veræ cauſæ hoc poteſt evenire, ut in ea tum de utilitate tum de honeſtate quæratur.

oratio, cum vel præcipue moderationem rationemque consilia desiderent? Neque ego negaverim, sæpius subsidere in controversiis impetum dicendi proœmio, narratione, argumentis: quæ [x] si detrahas, id fere supererit, quo suasoriæ constant: verum id quoque æqualius erit, non tu-
61 multuosius atque turbidius. Verborum autem magnificentia non validius [z] est affectanda suasorias declamantibus; sed contingit magis. Nam et personæ fere magnæ fingentibus placent, *regum*, *principum*, *populi*, *senatus*, et res ampliores: ita cum verba rebus aptentur, ipso mate-
62 riæ nitore clarescunt. Alia veris consiliis ratio est: ideoque Theophrastus quam maxime remotum ab omni affectatione [a] in deliberativo genere voluit esse sermonem, secutus in hoc auctoritatem præceptoris sui, quamquam dis-
63 sentire ab eo non timide solet. Namque Aristoteles idoneam maxime ad scribendum *demonstrativam*, proximamque ab ea *judicialem* putavit: videlicet quoniam prior illa tota esset ostentationis, hæc secunda egeret artis, vel ad fallendum, si ita popposciffet utilitas; consilia fide prudentia-
64 que constarent. Quibus in demonstrativa consentio; nam et omnes alii scriptores [b] idem tradiderunt: in judiciis autem consiliisque secundum conditionem ipsius, quæ tractabitur, rei accommodandam dicendi credo rationem [c].
65 Nam et Philippicas Demosthenis eisdem, quibus habitas

[x] quem G. [z] avidius G. [a] Affectione Jens. *et libri plur. ap. Burm.* affectatione *videtur esse a conjectura Regii.* [b] præceptores G. *et* Voss. 2. [c] orationem Jens. *male.*

62. *ab omni affectatione*] Parum aberat, quin alterum *Affectione* præferrem, nomen rhetoribus non infrequens, et huic rei aptissimum. πάθος enim est, quod ex Tullianis finitionibus apparet. De Inv. 1, 25. Affectio *est animi aut corporis ex tempore* (h. e. pro diversa ratione temporis) *aliqua de causa commutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, et alia, quæ genere in eodem reperiuntur.* Latius etiam definit de Inv. 2, 58. Affectio *est quædam ex tempore, aut ex negotiorum eventu, aut administratione, aut hominum studio, commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitæ sint, aut plerumque haberi soleant, habendæ videantur esse* &c. Add. nostr 11, 3, 181. *Affectiones* igitur et perturbationes animi, quæ vero maxime officiunt, removendæ sunt in deliberatione, ubi verum quæritur unice. *Affectatio* omnis ubique cavenda. Sic initio cogitatabam: nec nunc falsa puto, si rem ipsam spectes. Sed valuit deinde ratio verior, ut nunc videtur, qua de *affectando* minime verborum ornatu et magnificentia hic quidem agi, ex tota orationis serie mihi liquebat.

65. *Philippicas Demosthenis*] Quidni? qui enim populo suadet, qui verum videre non potest; illi adhibendæ sunt machinæ omnes artis. Par fere *sententiarum* in Sena-

INSTITUTO DE ESTUDIOS RIOJANOS
BIBLIOTECA

in judiciis orationes, video eminere virtutibus: et Ciceronis ſententiæ et conciones non minus clarum, quam eſt in accuſationibus ac defenſionibus, eloquentiæ lumen oſtendunt. Dicit tamen idem de ſuaſoria, hoc modo, *Tota autem oratio, ſimplex et gravis, et ſententiis debet ornatior eſſe, quam verbis.* Uſum exemplorum [d] nulli materiæ ma- 66
gis convenire merito fere omnes conſentiunt, cum plerumque videantur reſpondere futura præteritis, habeaturque experimentum velut quoddam rationis teſtimonium. Brevitas quoque aut copia non genere materiæ, ſed modo, 67
conſtant. Nam ut in conſiliis plerumque ſimplicior quæſtio eſt, ita ſæpe in cauſſis minor. Quæ omnia vera eſſe ſciet, ſi quis non orationes modo, ſed hiſtorias etiam (namque in his conciones atque ſententiæ plerumque ſuadendi ac diſſuadendi funguntur officio) legere maluerit, quam in commentariis rhetorum conſeneſcere. Inveniet 68
enim, nec in conſiliis abrupta initia, et concitatius ſæpe [e] in judiciis dictum, et verba aptata rebus in utroque genere, et breviores aliquanto cauſſarum orationes, quam ſententiarum. Ne illa quidem in his vitia deprehendet, 69
quibus quidam declamatores laborant, quod et contra ſentientibus inhumane conviciantur, et ita plerumque dicunt [f], tamquam ab iis, qui deliberant, utique diſſentiant: ideoque objurgantibus ſimiliores ſunt, quam ſuadentibus. Hæc adoleſcentes ſibi ſcripta ſciant, ne aliter 70
quam dicturi ſint, exerceri velint, et in [g] deſueſcendis [h] morentur. Ceterum cum advocari cœperint in conſilia amicorum, dicere ſententiam in ſenatu, ſuadere, ſi quid

[d] non *inſ.* Jenſ. *Forte fuit* non ulli. [e] *Quid ſi inferamus* quam? [f] debent G. *male.* [g] *om.* G. [h] diſſueſc. G. diſſuad. Jenſ. *utrumque male.*

tu CCCC amplius hominum ratio: de *concionibus* apud populum, multorum adeo capitum beluam, plane mirum non eſt. Nimirum aliud eſt ſuadere, deliberare inter paucos, nulla perturbatione occupatos; aliud in multitudine ac turba.

68. *concitatius ſæpe in jud.*] *Concitatius in judiciis dici*, peculiare nihil eſt, aut ſub exceptionis formula hic proponendum: ſicut illud non opus eſt admoneri, carere conſilia procemiis, cauſſarum orationes eſſe fere longiores. Sed quem ad modum incidit materiæ diverſitate nonnunquam, ut non ſint abrupta conſiliorum initia, ut brevius cauſa dici quam ſententia poſſit: ſic *concitatius ſæpe dictum in conſiliis* QUAM *in judiciis.* Illud *quam* igitur excidiſſe arbitror, auctoritate libri forte aliquando reponendum.

70. *præceptis*] De his loquitur præceptis Fabius, quæ a declamatorum vulgarium rationibus aliquantum diſtant, et minus ſplendoris atque tumultus habent, atque ob id ipſum minus forte fidei apud turgidos adoleſcentes inveniunt.

consulet princeps, quod præceptis fortasse non credunt, usu docebuntur.

IX. (XI.) Nunc de judiciali genere: quod est præcipue multiplex, sed officiis constat duobus, *intentionis* ac *depulsionis:* cujus partes, ut plurimis auctoribus placuit, quinque sunt, *proœmium, narratio, probatio, refutatio, peroratio.* His adjecerunt quidam *partitionem, propositionem,* 2 *excessum:* quarum priores duæ probationi succedunt. Nam proponere quidem, quæ sis probaturus, necesse est; sed et concludere: cur igitur, si illa pars [l] causæ est, non et hæc sit? *Partitio* vero dispositionis est species, ipsa *dispositio* pars rhetorices, et per omnes materias totumque ea- 3 rum corpus æqualiter susa, sicut *inventio* et *elocutio.* Ideoque eam non orationis totius partem unam esse credendum est, sed quæstionum etiam singularum [l]. Quæ namque est quæstio, in qua non promittere possit orator, quid primo, quid secundo, quid tertio sit loco dicturus? quod est proprium *partitionis.* Quam ergo ridiculum est, *quæstionem* quidem speciem esse probationis; *partitionem* autem [m], quæ sit species quæstionis, partem totius orationis 4 vocari? *Egressio* vero, vel (quod usitatius esse cœpit) *excessus,* sive est extra causam, non potest esse pars causæ: sive est in causa, adjutorium vel ornamentum partium est earum, ex quibus egreditur. Nam si, quidquid in causa est, pars causæ vocabitur: cur non *argumentum, similitudo, locus communis, affectus, exempla,* partes vocentur [n]? 5 Tamen nec iis assentior, qui detrahunt *refutationem,* tamquam probationi subjectam, ut Aristoteles: hæc enim est, quæ constituat; illa, quæ destruat. Hoc quoque idem aliquatenus novat, quod proœmio non *narrationem* subjungit, sed *propositionem.* Verum id facit, quia *propositio* genus, *narratio* species videtur: et hac non semper, illa 6 vero [o] semper et ubique credit opus esse. Verum ex his, quas constitui, partibus, non ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandum est: sed ante omnia intueri oportet, *Quod sit genus causæ? Quid in ea quæratur? Quæ prosint? Quæ* [p] *noceant?* deinde, *Quid confirmandum* sit, 7 ac *refellendum?* tum, *Quo modo narrandum? Expositio* e-

[l] par Jens. *sphalma. Sic contra* par *pro* pars 3, 10, 4, d. [l] singularium G. Jens. [m] quidem G. Jens. [n] vocemus G. [o] *om.* G. Jens. [p] quid noceat G.

IX, 1. *probationi succedunt*] Sub ea, ut sub toto partes, continentur. Sic fere 1, 5, 45. et apertissime mox 3, 10, 4.

nim probationum eſt præparatio: nec eſſe utilis poteſt, niſi prius conſtiterit[r], quid debeat de probatione promittere. [s]Poſtremo intuendum, quemadmodum judex ſit conciliandus. Neque enim, niſi totis cauſſæ partibus diligenter inſpectis, ſcire poſſumus, qualem nobis facere animum cognoſcentis expediat, ſeverum, an mitem, concitatum, an remiſſum, adverſum gratiæ, an obnoxium. Ne- 8
que ideo tamen eos probaverim, qui ſcribendum quoque procœmium noviſſime putant. Nam ut conferri materiam omnem oportet[s], et, quid quoque loco[t] ſit opus, conſtare debet, antequam dicere aut ſcribere ordiamur: ita incipiendum ab iis, quæ prima ſunt. Nam nec pingere quiſ- 9
quam aut fingere cœpit a pedibus: nec denique ars ulla[u] conſummatur ibi[x], unde ordiendum eſt. Quid fiet alioqui, ſi ſpatium componendi orationem ſtilo non fuerit? nonne nos hæc inverſa conſuetudo deceperit? Inſpicienda igitur materia eſt, quo præcipimus ordine; ſcribenda, quo dicimus.

X. (XII.) Ceterum cauſſa omnis, in qua pars altera *agentis* eſt, altera *recuſantis*, aut unius rei controverſia conſtat, aut plurium. Illa[z] *ſimplex* dicitur; hæc[a] *conjuncta*. Una controverſia eſt per ſe *furti*, per ſe *adulterii*. Plures aut ejuſdem generis, ut *in pecuniis repetundis*: aut diverſi, ut *ſi quis ſacrilegii ſimul et homicidii* accuſetur. Quod nunc in publicis judiciis non accidit, quoniam prætor certa lege ſortitur: principum autem et ſenatus cognitionibus frequens eſt: et populi fuit. Privata quoque 2
judicia ſæpe unum judicem habere multis et diverſis formulis ſolent: nec aliæ ſpecies erunt, etiam ſi unus a duobus duntaxat eamdem rem, atque ex eadem cauſſa petet; aut duo ab uno; aut plures a pluribus; quod accidere in hæreditariis litibus interim ſcimus: quia, quamvis in multis perſonis, cauſſa tamen una eſt, niſi ſi[b] conditio per-

[r] conſtituerit G. Jenſ. [s] *om.* G. Jenſ. [t] *om. iidem.* [u] illa Jenſ. [x] inde G. [z] Hæc G. Jenſ. [a] illa *iidem, et plures ap. Burm. nec inſoleus permutari loca horum prænominum.* [b] ſi *om.* G. Jenſ. *ſed alterum elegantius.*

9. *præcipimus—dicimus*] Obſcuritatis aliquid contrahere hic locus poteſt, quod duo verba ejuſdem generis ad diverſa ſubjecta referuntur. *Præcipimus* ad ipſum Fabium pertinet, *dicimus* etiam ad futuros oratores.

X, 1. *in pecun. repet.*] Neque enim propter unum furtum fur aliquis aut injuſtus eſſe incipit. Igitur in repetundarum cauſa plura fere unius generis crimina, plures controverſiæ concurrunt.

3 ſonarum quæſtiones variaverit. Diverſum his tertium genus, quod dicitur *comparativum*: cujus rei tractatus in parte cauſſæ frequens eſt: ut cum apud centumviros poſt alia quæritur et hoc, *Uter dignior hæreditate ſit?* Rarum eſt autem, ut in foro judicia propter id ſolum conſtituantur, ſicut *divinationes*, quæ fiunt de accuſatore conſtituendo, et nonnumquam inter delatores, *Uter præmium meruerit?* 4 Adjecerunt quidam numero *mutuam accuſationem*, quæ ἀντικατηγορία vocatur: aliis videlicet ſuccedere hanc quoque comparativo generi exiſtimantibus: cui ſimilis erit petitionum invicem diverſarum: quod accidit vel frequentiſſime. Id ſi et ipſum vocari debet ἀντικατηγορία, (nam proprio caret nomine) duo [c] erunt genera ejus, alterum, quo litigatores idem crimen invicem intentant; alterum, quo aliud atque aliud. Cui et petitionum con- 5 ditio par [d] eſt. Cum apparuerit genus cauſſæ, tum intuebimur, negeturne factum, quod intenditur? an defendatur? an alio nomine appelletur? an a genere actionis repellatur [e]? unde ſunt ſtatus.

XI. (XIII.) His inventis, intuendum deinceps Hermagoræ videtur, quid ſit *quæſtio*, *ratio*, *judicatio*, *continens*, id eſt συνέχον, vel, ut alii vocant, *firmamentum*. *Quæſtio* la- tius intelligitur omnis, de qua in utramque partem, vel in 2 plures dici credibiliter poteſt. In judiciali autem materia dupliciter accipienda eſt: altero modo, quo dicimus multas quæſtiones habere controverſiam, quo etiam minores omnes complectimur: altero, quo ſignificamus ſummam illam, in qua cauſſa vertitur: de hac nunc loquor, ex qua naſcitur ſtatus, *An factum* ſit? *Quid* [f] *factum* ſit? *An recte* 3 *factum* ſit? Has Hermagoras, et Apollodorus, et alii plurimi ſcriptores proprie *quæſtiones* vocant; Theodorus (ut dixi) *capita generalia*, ſicut illas minores, aut ex illis pendentes, *ſpecialia*. Nam et quæſtionem ex quæſtione naſci, 4 et ſpeciem in ſpecies dividi convenit. Hanc igitur quæſtionem veluti principalem vocant ζήτημα. *Ratio* autem eſt, qua id, quod factum eſſe conſtat, defenditur. Et cur non utamur eodem, quo ſunt uſi fere omnes, exemplo? *Oreſtes matrem occidit*: hoc conſtat: dicit *ſe juſte feciſſe*: ſtatus erit qualitatis: quæſtio, *An juſte fecerit?* ratio, *quod Clytæmneſtra maritum ſuum, patrem Oreſtis, occidit*: hoc αἴτιον dicitur: κρινόμενον autem *judicatio*, *An oportuerit vel* 5 *nocentem matrem a filio occidi?* Quidam diviſerunt αἴτιον et

[c] ergo *inſ.* Jenſ. [d] pars Jenſ. [e] *om.* Jenſ. [f] quid f. f. *om.* G.

αἰτίαν, ut esset altera, propter quam *judicium* constitutum est, ut *occisa Clytæmnestra*; altera, qua *factum* defenditur, ut *occisus Agamemnon*. Sed tanta est circa verba dissensio, ut alii αἰτίαν caussam judicii, αἴτιον autem facti vocent, alii eadem[g] in contrarium vertant. Latinorum quidam hæc *initium* et *rationem* vocaverunt: quidam utrumque eodem nomine appellant. Caussa quoque ex caussa, 6
id est αἴτιον ἐξ αἰτίε[h] nasci videtur: quale est, *Occidit Agamemnonem Clytæmnestra, quia ille filiam communem immolaverat, et captivam pellicem adducebat.* Iidem putant, et sub una quæstione plures esse rationes: ut *si Orestes et alteram afferat matris necatæ caussam, quod responsis sit impulsus:* quot autem caussas faciendi, totidem judicationes: nam et hæc erit judicatio, *An responsis parere debuerit?* 7
Sed et una caussa plures habere quæstiones et judicationes (ut ego arbitror) potest: ut in eo, qui, cum adulteram deprehensam occidisset, adulterum, qui tum effugerat, postea in foro occidit. Caussa enim est una, *Adulter fuit:* quæstiones et judicationes, *An illo tempore, an illo loco licuerit occidere?* Sed sicut, cum sint plures quæstio- 8
nes, omnesque suos status habeant, caussæ tamen status unus sit[i], ad quem referuntur omnia: ita judicatio maxime propria, de qua pronuntiatur. Συνέχον autem (quod, 9
ut dixi) *continens* alii, *firmamentum* alii putant, Cicero *firmissimam argumentationem defensoris, et appositissimam ad judicationem*) quibusdam id videtur esse, post quod nihil quæritur: quibusdam id, quod ad judicationem firmissimum affertur. Caussa facti non in omnes controversias 10
cadit. Nam quæ fuerit caussa faciendi, ubi factum negatur? At[l] ubi caussa tractatur, negant eodem loco esse judicationem, quo quæstionem. Idque et in Rhetoricis Cicero et in Partitionibus dicit. Nam[m] in conjectura est 11
quæstio ex illo, *Factum*; *non factum*; *an factum sit?* Ibi ergo judicatio, ubi quæstio: quia in eadem re prima quæstio, et extrema disceptatio. At in qualitate, *Matrem Orestes occidit: recte*[n]; *non recte*; *An recte occiderit?* quæstio, nec statim judicatio. Quando ergo? *Illa patrem*

[g] eandem Jens. [h] αἰτίαν G. [i] *forte* est. [l] Aut G. Jens. [m] et *inf.* Jens. [n] *om.* G.

7. *adulterum—in foro occidit*] Tractat hanc speciem Bynkersh. observatt. 5, 8. p. 42.

10. *Cicero*] in Rhetoricis s. de Inv. 1, 13, et 14. in Partit. c. 29, et 30.

meum occiderat; Sed non ideo tu matrem debuisti occidere;
12 *An debuerit?* hic judicatio. Firmamentum autem verbis ipsius ponam, si velit Orestes dicere, *Ejusmodi animum matris suæ in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis ac familiæ, ut merito* [o] *ab ea pœnas liberi*
13 *sui potissimum petere debuerint.* Utuntur alii et talibus exemplis, *Qui bona paterna consumserit, ne concionetur: in opera publica consumsit:* quæstio, *An, quisquis consumserit,*
14 *prohibendus sit?* judicatio, *An qui sic?* Vel, ut in causa militis Mariani [p], qui C. Lusium tribunum, vim sibi inferentem, interfecit, quæstio, *An jure fecerit?* ratio, *quod is vim afferebat:* judicatio, *An indemnatum, an Tribunum a milite occidi oportuerit* [q]*?* Alterius etiam status quæstionem,
15 alterius judicationem putant. Quæstio qualitatis, *An recte Clodium Milo occiderit?* Judicatio conjecturalis, *An*
16 *Clodius insidias fecerit?* Ponunt et illud, sæpe causam in aliquam rem dimitti, quæ non sit propria quæstionis, et de ea judicari: a quibus multum dissentio. Nam et illa quæstio, *An omnes, qui paterna bona consumserint* [r], *concione sint prohibendi?* habeat oportet suam judicationem. Ergo non alia quæstio, alia judicatio erit [s]; sed plures quæstio-
17 nes, et plures judicationes. Quid? non in causa Milonis ipsa conjectura refertur [t] ad qualitatem? nam si est insidiatus Clodius, sequitur, ut recte sit occisus. Cum vero in aliquam rem missa causa est, et [u] recessum [x] a quæstione, quæ erat constituta: hic quæstio, ubi judicatio est.
18 Paullum in his secum etiam Cicero dissentit. Nam in Rhetoricis (quemadmodum supra dixi) Hermagoram est secutus; in Topicis, ex statu effectam contentionem κρινόμενον existimat: idque Trebatio, qui juris erat consultus,

[o] *om.* G. [p] Arunci, qui Lus. G. Jens. *Mire hic variatur in MSS. apud Burm.* [q] libuerit *iid.* [r] consumserunt G. [s] *om.* G. [t] referatur G. Jens. [u] *om.* G. Jens. [x] est *inf. iid.*

12. *verbis ipsius*] Tullii puta de Inv. 1, 14.

14. *militis Mariani*] Declamationis 111 inter Quinctilianeas argumentum.

18. *in Topicis*] c. 25. Verba, quibus *alludit* Trebatio, h. e. cum illo jocatur, hæc sunt. *Quæ ex statu contentio efficitur, eam Græci* κρινόμενον *vocant. Mihi* PLACET (nota formulam ICtorum) *id, quoniam quidem ad te scribo,* qua de re agitur, *vocari.* Ad nauseam nempe repetebant illud suum *qua de re agitur* ICti: quod ipsum ridet pro Mure. c. 13. *Neque tamen quidquam tam anguste scriptum est, quo ego non possim* QUA DE RE AGITUR *addere.* Sed alias tamen sic quoque laudat M. Calidium: QUA DE RE AGITUR *autem illud, quod multis locis in ICtorum includitur formulis, et ubi esset, videbat.*

alludens, *qua de re agitur* appellat: quibus id continea- 19
tur, *continentia*, quasi firmamenta defensionis, quibus sub-
latis defensio nulla sit. At in Partitionibus oratoriis *fir-*
mamentum, quod opponitur defensioni: quia *continens*,
quod primum sit, ab accusatore dicatur: *ratio*, a reo; ex
rationis et firmamenti quæstione, *disceptatio* sit *judicatio-*
num. Verius igitur et brevius, qui statum et continens et
judicationem idem esse voluerunt: *continens* autem id esse, 20
quo sublato lis esse non possit. Hi[z] mihi videntur utram-
que caussam complexi, et *quod Orestes matrem*, et *quod Cly-*
tæmnestra Agamemnonem occiderit. Iidem judicationem et
statum consentire semper existimarunt[a]. Nec enim aliud 21
eorum rationi conveniens fuisset. Verum hæc affectata
subtilitas circa nomina rerum ambitiose laboret, a nobis
in hoc[b] assumta solum, ne parum diligenter inquisisse de
opere, quod aggressi sumus, videremur: simplicius autem
instituenti non est necesse per tam minutas rerum particu-
las rationem docendi[c] concidere: quo vitio multi quidem 22
laborarunt, præcipue tamen Hermagoras, vir alioqui sub-
tilis, et in plurimis admirandus, tantum diligentiæ nimi-
um solicitæ, ut ipsa ejus reprehensio laude aliqua non in-
digna sit. Hæc autem brevior, et vel ideo lucidior multo 23
via, neque discentem per ambages fatigabit, nec corpus
orationis in parva momenta diducendo consumet. Nam
qui viderit, quid sit, quod in controversiam veniat? quid
in eo, et per quæ velit efficere pars diversa? quid nostra?
quod in primis est intuendum: nihil eorum ignorare, de
quibus supra diximus, poterit. Nec est fere quisquam, 24
modo non stultus, atque ab omni prorsus usu dicendi re-
motus, quin sciat, et quid litem faciat, (quod ab illis
caussa vel *continens* dicitur) et quæ sit inter litigantes
quæstio, et de quo judicari oporteat: quæ omnia idem
sunt. Nam et de eo quæstio est, quod in controversiam
venit: et de eo judicatur, de quo quæstio est. Sed non 25
perpetuo intendimus in hæc animum, et cupiditate laudis
utcumque acquirendæ, vel dicendi voluptate evagamur,
quando uberior semper extra caussam materia est, quia in
controversia pauca sunt, extra[d] omnia: et hic dicitur de
iis, quæ accepimus; illic, de quibus volumus. Nec tam 26
hoc præcipiendum est, ut quæstionem, continens, judica-
tionem inveniamus, (nam id quidem facile est) quam ut

[z] Hoc mihi videtur G. Jens. [a] existimant *iid.* [b] hæc Jens. [c] di-
cendi G. Jens. *et plures ap. Bur.* [d] exempla G.

intueamur [e] ſemper, aut certe, ſi digreſſi fuerimus, ſaltem reſpiciamus, ne plauſum affectantibus arma excidant.
27 Theodori ſchola (ut dixi) omnia refert ad *capita*. His plura intelliguntur: uno modo ſumma quæſtio, item ut ſtatus; altero ceteræ, quæ ad ſummam referuntur [f]: tertio propoſitio cum affirmatione; ut dicimus, *Caput rei eſt apud Menandrum*, κεφάλαιόν ἐστιν. In univerſum autem, quidquid probandum eſt, erit *caput*: ſed id majus, aut
28 minus. Et quoniam, quæ de his erant a ſcriptoribus artium tradita, verboſius etiam, quam neceſſe erat, expoſuimus: præterea, quæ partes eſſent judicialium cauſarum, ſupra [g] dictum eſt: proximus liber procœmia [h], id eſt exordia, concipiet.

[e] intuamur Jenſ. [f] referantur *id.* [g] *om. id.* [h] prima *id. et al.*

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER QUARTUS.

PROŒMIUM.

PERFECTO, Marcelle Victori, operis tibi dedicati tertio libro et jam quarta fere laboris parte transacta, novæ insuper mihi diligentiæ causſa, et altior solicitudo, quale judicium hominum emererer, accessit. Adhuc enim velut studia inter nos conferebamus: et, si parum nostra institutio probaretur a ceteris, contenti fore domestico usu videbamur, ut tui meique filii formare disciplinam satis
2 putaremus. Cum vero mihi Domitianus Augustus sororis suæ nepotum delegaverit curam, non satis honorem judiciorum cælestium intelligam [a], nisi ex hoc quoque
3 oneris magnitudinem metiar. Quis enim mihi aut mores excolendi sit modus, ut eos non immerito probaverit sanctissimus censor? aut studia, ne fefelliſſe [b] in his videar

[a] intelligebam G. [b] refelliſſe G. *non male.*

2. *sororis suæ nepotum*] Nepotum Domitiani ipsius ex sorore sua, quam Flavio Clementi, fratri suo patrueli desponderat. Hos sororis suæ filios successores palam destinaverat sibi Domitianus ap. Suet. c. 15. Vid. Dodwelli Ann. Quinc. c. 34.

2. *judiciorum cælestium*] Quæ ab eo profecta essent, qui se *Dominum Deumque* Romanorum palam ferret. Passim invehuntur in illam impudentiam, cui Martialis, et ipse hic Fabius noster, lenocinati sunt, severiores, Plinius præsertim in panegyrico. In Domitiano nempe detestata est posterior ætas, quod deinde Constantinopolitani multo solennius usurparunt, hiscere audente nemine.

3. *sanctissimus censor*] De *sanctissimo* concedendum est homini beneficiis et metu devincto: PERPETUUM CENSOREM hodieque celebrant nummi complures.

principem, ut in omnibus, ita in eloquentia quoque, eminentiſſimum? Quod ſi nemo miratur poetas maximos ſæpe feciſſe, ut non ſolum initiis operum ſuorum Muſas invocarent, ſed provecti quoque longius, cum ad aliquem graviorem veniſſent locum, repeterent vota, et velut nova precatione uterentur: mihi quoque profecto poterit ignoſci, ſi, quod initio, quum primum hanc materiam inchoavi, non fecerim [c], nunc omnes in auxilium deos, ipſumque in primis, quo neque præſentius aliud, neque ſtudiis magis propitium [d] numen eſt, invocem: ut, quantum nobis exſpectationis adjecit, tantum ingenii adſpiret, dexterque ac volens adſit, et me, qualem eſſe credidit, faciat. Cujus mihi religionis non hæc ſola ratio, quæ maxima, eſt; ſed alia [e], qua ſic procedit ipſum opus, ut majora præteritis ac magis ardua ſint, quæ ingredior. Sequitur enim, ut *judicialium cauſſarum*, quæ ſunt maxime variæ ac multiplices, ordo explicetur: quod *proœmii* ſit officium; quæ *ratio narrandi*; quæ *probationum* ſit *fides*, ſeu *propoſita* confirmamus, ſeu *contra dicta* diſſolvimus; quanta vis in *perorando*, ſeu reficienda brevi repetitione rerum memoria eſt judicis, ſive affectus (quod eſt longe potentiſſimum) commovendi. De quibus partibus ſingulis quidam ſeparatim ſcribere maluerunt, velut onus totius corporis veriti, et ſic quoque complures de unaquaque earum libros ediderunt: quas ego omnes auſus contexere, prope infinitum mihi laborem proſpicio, et ipſa cogitatione ſuſcepti muneris fatigor. Sed durandum eſt, quia cœpimus: et, ſi viribus deficiemur [f], animo tamen perſeverandum.

I. Quod *principium* Latine vel *exordium* dicitur, majore quadam ratione Græci videntur προοίμιον nominaſſe: quia a noſtris initium modo ſignificatur, illi ſatis clare partem hanc eſſe ante ingreſſum rei, de qua dicendum ſit, oſtendunt. Nam ſive propterea, quod ὠιδὴ *cantus* eſt, et citharœdi pauca illa, quæ, antequam legitimum certamen [g]

[c] feceram G. *recte, puto. Bene, arbitror, Obr.* alia, quia. [d] proprium G. [e] alioqui G. alioquin Jenſ. [f] deficiemus G. *et plures ap. Bur.* [g] carmen *conj. Burm.*

4. *repeterent vota*] Quod a Patre ſuo didicerunt, Homero, qui ante Bœotiam, ſ. catalogum navium ſecundo Iliados ſubjunctam, prope adulatorie Muſas compellat. Imitatus deinde Virgilius 7, 641, &c.

I, 2. *legitimum certamen*] Ipſum agona, in quo de fama artis certant et contendunt. De muſicis certaminibus plena omnia. Vid. v. g. Sueton. Nero. c. 12, item 22 et 23, &c. Et *certamen*, ἀγὼν, di-

inchoent, emerendi favoris gratia canunt, *proœmium* cognominaverunt: oratores quoque ea, quæ, prius quam cauſſam exordiantur, ad conciliandos ſibi judicum animos
3 præloquuntur, eadem appellatione ſignarunt: ſive, quod ὁδὸν iidem Græci *viam* appellant, id, quod ante ingreſſum
5 rei ponitur, ſic vocare eſt inſtitutum: certe *proœmium* eſt, quod apud judicem, prius quam cauſſam cognoverit, profit: vitioſeque in ſcholis facimus, quod exordio ſemper
4 ſic utimur, quaſi cauſſam judex jam noverit. Cujus rei licentia ex hoc eſt, quod ante declamationem illa velut imago litis exponitur. Sed in foro quoque contingere
6 iſtud principiorum genus ſecundis actionibus poteſt; primis quidem raro; numquam [h], niſi forte apud eum, cui
5 res aliunde jam nota ſit, dicimus. Cauſſa principii nulla eſt alia, quam ut auditorem, quo ſit nobis in ceteris partibus accommodatior, præparemus. Id fieri tribus maxime rebus, inter auctores plurimos conſtat, ſi *benevolum*, *attentum*, *docilem* fecerimus: non quia iſta non [i] per totam actionem ſint cuſtodienda, ſed quia initiis præcipue [k] neceſſaria, per quæ in animum judicis, ut procedere ultra poſſi-
6 mus, admittimur [l]. *Benevolentiam* aut a perſonis ducimus, aut a cauſſis accipimus. Sed *perſonarum* non eſt (ut
7 plerique crediderunt [m]) triplex tantum [n] ratio, *ex* [o] *litigatore, et adverſario, et judice.* Nam exordium duci nonnumquam etiam [p] ab actore cauſſæ ſolet. Quamquam enim pauciora de ſe ipſo dicit, et parcius, plurimum tamen ad omnia momenti eſt in hoc poſitum, ſi *vir bonus* creditur. Sic enim continget, ut non ſtudium advocati videatur afferre, ſed pene teſtis fidem. Quare in primis exiſtimetur veniſſe ad agendum, ductus officio vel cognationis, vel amicitiæ, maximeque, ſi fieri poterit [q], reipublicæ, aut ali-
8 cujus certe non mediocris exempli. Quod ſine dubio multo magis ipſis litigatoribus faciendum eſt, ut ad agen-

[h] *Sic* G. *et* Jenſ. *atque* Regius. raro umquam, niſi *al.* [i] iſta per totam actionem non G. Jenſ. [k] maxime *iid.* [l] admittitur G. admittamur Jenſ. *quod probo.* [m] crediderint Jenſ. *ſignificatione potentiali.* [n] *om.* G. Jenſ. [o] a G. [p] *om.* G. [q] poteſt G. Jenſ.

cunt, quoties de fama dimicant, etiam ſoli et æmulo jam non præſente. Vid. ad 10, 1, 31.

4. *ſecundis actionibus*] Cum major cauſa vel ab eodem iterum agitur, vel inter plures diviſa eſt. Ita *ſecundæ in Verrem actionis libros* habemus.

7. *alicujus—exempli*] Oſtendat v. g. patronus, ab aliis magnis et bonis viris cauſas id genus ſuſceptas. Erat, cum ſuſpicarer, pro *exempli*, legi debere *emolumenti*: quibus nominibus permutandis com-

dum magna atque honeſta ratione, aut etiam neceſſitate acceſſiſſe videantur. Sed ut [r] præcipua in hoc dicentis auctoritas [s], ſi omnis in ſubeundo negotio ſuſpicio ſordium, aut odiorum, aut ambitionis abfuerit: ita quædam in his quoque commendatio tacita, ſi nos infirmos et impares ingeniis [t] contra agentium dixerimus [u], qualia ſunt pleraque Meſſalæ procemia. Eſt enim naturalis favor pro laborantibus: et judex religioſus libentiſſime patronum audit, quem juſtitiæ [x] ſuæ minime timet. Inde illa veterum circa occultandam eloquentiam ſimulatio, multum ab hac noſtrorum temporum jactatione diverſa. Vitandum etiam, ne *contumelioſi*, *maligni*, *ſuperbi*, *maledici* in quemquam hominem ordinemve *videamur*, præcipueque [z] eorum, qui lædi, niſi averſa [a] judicum voluntate, non poſſunt. Nam in judicem ne quid dicatur, non modo palam, ſed quod omnino intelligi poſſit, ſtultum erat monere, niſi fieret. Etiam partis adverſæ patronus dabit exordio materiam: interim cum honore, ſi eloquentiam ejus ac gratiam nos timere fingendo, ut ea ſuſpecta ſint judici, fecerimus: interim per contumeliam, ſed hoc perquam raro, ut Aſinius pro Urbiniæ hæredibus Labienum adverſarii patronum inter argumenta malæ cauſſæ poſuit. Negat hæc eſſe procemia Cornelius Celſus, quia ſint extra litem. Sed ego cum auctoritate ſummorum [b] oratorum magis ducor, tum pertinere ad cauſſam puto, quidquid ad dicentem pertinet: cum ſit naturale, ut judices iis, quos libentius audiunt, facilius etiam credant. Ipſius autem litigatoris perſona tractanda varie eſt. Nam tum [c] dignitas ejus allegatur, tum commendatur infirmitas. Nonnumquam contingit relatio meritorum: de quibus verecundius dicendum erit ſua, quam aliena, laudanti. Multum agit ſexus, ætas, conditio, [d] in feminis, ſenibus, pupillis, liberos, parentes, conjuges allegantibus. Nam ſola rectum quoque judicem inclinat miſeratio. Deguſtanda tamen hæc procemio, non conſumenda. Adverſarii vero perſona prope iiſdem omnibus, ſed a contrario ductis, impugnari ſolet. Nam et potentes ſequitur invidia, et humiles abjectoſque contemtio, et turpes ac no-

[r] *om.* G. [s] ſit *inſ.* Jenſ. [t] e *inſ.* Jenſ. *et al.* [u] duxerimus G. [x] juſtitia ſua Jenſ. *et al.* [z] præcipue G. [a] adverſa G. Jenſ. [b] majorum G. [c] cum G. [d] ut *inſ.* G. Jenſ.

pendiorum ſcribendi vicinia occaſionem dediſſe potuit. Sed eam ſuſpicionem ultro jam damno, cum honeſta hic magis quam utilia ſpectentur.

centes odium: quæ tria ſunt ad alienandos judicum ani-
15 mos potentiſſima. Neque hæc dicere ſatis eſt, quod da-
tur etiam imperitis, pleraque augenda, aut minuenda, ut
16 expediet. Hoc enim oratoris eſt, illud cauſſæ. Judicem
conciliabimus nobis, non tantum laudando eum, (quod
et fieri cum modo debet, et eſt tamen parti utrique com-
mune) ſed ſi laudem ejus ad utilitatem noſtræ cauſſæ con-
junxerimus, ut allegemus *pro honeſtis* dignitatem illi ſuam,
pro humilibus juſtitiam, *pro infelicibus* miſericordiam, *pro*
17 *læſis* ſeveritatem, et ſimiliter cetera. Mores quoque (ſi
fieri poteſt) judicis velim noſſe. Nam prout *aſperi, lenes* [e],
jucundi, graves, duri, remiſſi erunt, aut aſſumere in cauſ-
ſam naturas eorum, qua competent, aut mitigare, qua re-
18 pugnabunt, oportebit. Accidit autem interim hoc quo-
que, ut aut nobis *inimicus*, aut adverſario ſit *amicus*, qui
judicat: quæ res utrique parti tractanda eſt, ac neſcio, an
ei magis, in quam [f] videtur propenſior. Eſt enim non-
numquam pravis judicibus hic ambitus, adverſus amicos,
aut pro his, quibuſcum ſimultates gerant, pronuntiandi,
faciendique injuſte, ne feciſſe videantur. Fuerunt etiam
19 quidam rerum ſuarum judices. Nam et in libris obſerva-
tionum, a Septimio [g] editis, adfuiſſe Ciceronem tali cauſ-
ſæ invenio: et ego pro Regina Berenice apud eam [h] ipſam
dixi. Similis hic quoque ſuperioribus ratio eſt. Adver-
ſarius enim fiduciam partis ſuæ jactat, patronus timet
20 cognoſcentis verecundiam. Præterea detrahenda vel con-
firmanda opinio, ſi quam præcipue domo videbitur judex
attuliſſe. Metus etiam nonnumquam eſt amovendus, ut
Cicero pro Milone, ne arma Pompeii contra ſe diſpoſita
putarent [i], laboravit: nonnumquam adhibendus, ut idem
21 in Verrem facit. Sed adhibendi modus alter ille fre-

[e] leves Jenſ. [f] quem Jenſ. *Non male. Eſſe enim poteſt σύνεσις.* [g] Septimno G. [h] apud ipſam cauſam dixi G. Jenſ. eam et eam *permutata.* [i] *Sic* Jenſ. *et multi ap. Burm.* putaret *al.*

18. *faciendique injuſte*] Simili ambitu tenuibus favent quidam in cauſa mala contra potentes: quod antiquiſſimum eorum, qui res judicant, vitium fuiſſe, vel inde appareat, quod peculiari lege Deus illud inter Judæos repreſſit Ex. 23, 3.

18. *rerum ſuarum judices*] Ut hodie ſæpe ſunt principes noſtri, qui interdum homagii, ut loquuntur, religione ſolvunt ſuos conſiliarios, per quos tales cauſas judicant.

19. *Berenice*] Agrippæ, qui ſub Claudio diem ſuum obiit, filia; Agrippæ, ſub quo Hieroſolyma capta, ſoror; Titi Veſpaſiani amica, vel uxor adeo. Vid. qui temporum præſertim rationes accurate excutit, Dodwellus Ann. Quinctil. c. 18.

20. *in Verrem*] Procœmio actionis primæ in Verrem, quam ego

quens est et favorabilis, *Ne male sentiat populus Romanus, Ne judicia transferantur*; alter autem asper et rarus, quo minatur corruptis accusationem: et id quidem [l] in concilio ampliore utcumque [m] tutius; nam et mali inhibentur, et boni gaudent: apud singulos vero numquam suaserim, nisi defecerint omnia. Quod si necessitas exigit, non erit 22
jam ex arte oratoria: non magis quam appellare, etiamsi id quoque sæpe utile est; aut, antequam pronuntiet, reum facere: nam et minari et deferre etiam non orator potest. Si caussa conciliandi nobis judicis materiam dabit, ex hac 23
potissimum aliqua in usum principii, quæ maxime favorabilia videbuntur, decerpi oportebit: quo in loco Virginius fallitur, qui Theodoro placere tradit, ut ex singulis quæstionibus singuli sensus in procœmium conferantur. Nam 24
ille non hoc dicit, sed ad potentissimas quæstiones judicem præparandum: in quo vitii nihil erat [n], nisi in universum id præciperet: quod nec omnis actio patitur, nec omnis caussa desiderat. Nam protinus a petitore primo loco, dum ignota judici lis est, quo modo ex quæstionibus ducemus sententias? nimirum res erunt indicandæ prius. Demus aliquas, (nam id exigit ratio nonnumquam) etiamne potentissimas omnes, id est totam caussam? sic erit in procœmio peracta narratio. Quid vero? si (ut frequen- 25
ter accidit) paullo est durior caussa; non benevolentia judicis petenda ex aliis partibus erit, sed non ante conciliato ejus animo nuda quæstionum committetur asperitas? Quæ si recte semper initio dicendi tractarentur, nihil procœmio opus esset. Aliqua ergo nonnumquam, quæ erunt 26
ad conciliandum nobis judicem potentissima, non inutiliter interim ex quæstionibus in exordio locabuntur. Quæ sint porro in caussis favorabilia, enumerare non est necesse, quoniam [o] et manifesta erunt, cognita cujusque controversiæ conditione, et omnia colligi in tanta litium varietate non possunt. Ut autem hæc [p] *invenire* et *augere*, 27

[l] quod G. [m] utrumque G. [n] erit G. [o] quæ G. [p] hoc G. Jens.

orationem vel principem vel inter principes ponere soleo, toto quidem, illum *frequentem* et *favorabilem* metum ostendit, illum *asperum* et *rarum* autem præsertim c. 12 et 13. it. c. 17. Qui hic primus adscripsit Verr. 5, 71, non cogitavit, Fabium de procœmio hic agere, locum autem illum esse ex peroratione: cujus quidem eadem fere sunt munia.

24. *a petitore*] Hoc est, caussam cum agimus petitoris s. actoris. Illud *a* itaque vim τῆς *pro* habet.

ita quod lædit, aut omnino *repellere*, aut certe *minuere*, ex cauſſa eſt. Miſeratio quoque aliquando ex eadem ve-
28 nit, ſive quid paſſi ſumus grave, ſive paſſuri. Nec enim ſum in hac opinione, qua quidam, ut eo diſtare proœmium ab epilogo credam, quod in hoc præterita, in illo futura dicantur: ſed quod in ingreſſu parcius et modeſtius prætentanda eſt judicis miſericordia; in epilogo vero liceat totos effundere affectus, et fictam orationem induere perſonis, et defunctos excitare, et pignora eorum pro-
29 ducere: quæ minus exordiis ſunt uſitata. Sed hæc, quæ ſupra dixi, non movere tantum, verum ex diverſo amoliri quoque proœmio opus eſt. Ut autem noſtrum miſerabilem, ſi vincamur, exitum: ita adverſariorum ſuperbum, ſi
30 vicerint, utile eſt credi. Sed ex iis quoque, quæ non ſunt perſonarum nec cauſſarum, verum adjuncta perſonis et cauſſis, duci proœmia ſolent. Perſonis applicantur non *pignora* modo, de quibus ſupra dixi, ſed *propinquitates*, *amicitiæ*; interim *regiones* etiam, *civitateſque*, et ſi quid
31 aliud ejus, quem defendimus, cauſſa dici[r] poteſt. Ad cauſſam extra pertinet *Tempus*, unde principium pro Cœlio; *Locus*, unde pro Deiotaro; *Habitus*, unde pro Milone; *Opinio*, unde in Verrem: deinceps, ne omnia enumerentur, *Fama judiciorum*, *Exſpectatio vulgi*: nihil enim[s]
32 horum in cauſſa eſt, ad cauſſam tamen pertinet. Adjicit[t] Theophraſtus ab actione[u] principium, quale videtur eſſe Demoſthenis pro Cteſiphonte, ut ſibi[x] dicere ſuo potius arbitrio liceat rogantis, quam eo modo, quem accuſator
33 actione præſcripſerat. Fiducia ipſa ſolet opinione arrogantiæ laborare: faciunt favorem et illa pene communia, non tamen omittenda, vel ideo, ne occupentur, *optare*, *abominari*, *rogare*, *ſolicitum agere*: quia plerumque attentum quoque judicem facit[z], ſi res agi videtur nova, magna, atrox, pertinens ad exemplum: præcipue tamen, ſi judex, aut ſua vice, aut reipublicæ commovetur, cujus animus ſpe, metu, admonitione, precibus, vanitate[a] deni-

[r] duci Jenſ. *Multum hic variatur.* [s] autem G. [t] Abducit G. [u] oratione G. Jenſ. [x] ſi G. [z] faciunt G. Jenſ. [a] varietate *conj.* Almel. novitate *quidam libri. Ego nihil muto.*

30. *de quibus ſupra dixi*] Reſpicit, puto, ad ſ. 13.

33. *Fiducia ipſa ſolet*] Vid. infra ſ. 55. Cæterum ad hanc propoſitionem, tanquam ἐπεξήγησιν adjecta puto, et non nimis divellenda proinde, quæ ſequuntur de *optando*, *abominando*, *rogando*, et reliquis, quæ omnia indicant, abeſſe fiduciam cauſæ nimiam.

que, si id profuturum credemus, agitandus est. Sunt et 34
illa excitandis ad audiendum non inutilia, si nos neque diu moraturos, neque extra causam dicturos existiment. Docilem sine dubio et hæc ipsa præstat attentio: sed et illud, si breviter et dilucide summam rei, de qua cognoscere debeat, indicaverimus: quod Homerus atque Virgilius operum suorum principiis faciunt. Nam istius rei 35
modus est, ut propositioni [b] similior sit, quam expositioni: nec quo modo quidque [c] sit actum, sed de quibus dicturus sit orator, ostendat. Nec video, quod hujus rei possit apud oratores reperiri melius exemplum, quam Ciceronis pro A. [d] Cluentio. *Animadverti, judices, omnem accusato-* 36
ris orationem in duas divisam esse partes: quarum altera mihi niti et magnopere confidere videbatur, invidia jam inveterata judicii Juniani; altera tantummodo consuetudinis causa timide et diffidenter attingere rationem veneficii criminum, qua de re lege est hæc quæstio constituta. Id tamen totum respondenti facilius est, quam proponenti: quia hic admonendus judex, illic docendus est. Nec me, quam- 37
quam magni auctores, in hoc duxerint, ut non semper facere attentum ac docilem judicem velim: non quia nesciam id, quod ab illis dicitur, esse pro mala causa, qualis ea sit non intelligi: verum quia istud non negligentia judicis contingit, sed errore. Dixit enim adversarius, et 38
fortasse persuasit: nobis opus est ejus diversa opinione: quæ mutari non potest, nisi illum fecerimus ad ea, quæ dicemus, docilem et attentum. Quid [e] ergo? Imminuenda quædam et elevanda, et quasi contemnenda esse consentio, ad remittendam intentionem judicis, quam ad-

[b] præpos. G. Jens. [c] quidquam *iid.* [d] *om. iid.* [e] quid ergo est? minuenda quædam et lev. G.

33. *vanitate—agitandus est*] Implendus superbia quadam, ut suum honorem agi in causæ nostræ victoria putet.

36. *hic admonendus judex, illic*] Respicit hoc etiam loco *hic* ad remotius, et *illic* ad propinquius. *Proponens* enim actor est; huic docendus est judex, ubi ita brevibus defungi non licet: *Respondens* s. reus satis habet admonere judicem.

37. *esse pro mala causa*] Ut ille Bias monuit nautas et vectores vota in naufragii metu facientes, *Tacerent, ne Dii ipsos hic esse animadverterent:* ita pro mala causa est, si ea qualis est non intelligatur, &c. Et sane Aristoteles vel plane non vel frustra hic a Fabio reprehenditur, certe si respicimus locum 3, 14, 25. Quemadmodum enim τὸ εὖνουν ποιῆσαι et τὸ ὀργίσαι non respectu eorundem intelligitur, ita nec τὸ προσεκτικὸν et τὸναντίον. Nempe *contrarium* hoc ad adversarium refertur, cui non attendere nimis judicem, pro nobis est: διὸ πολλοὶ εἰς γέλωτα πείθουσι προάγειν.

39 versario præstat: ut fecit pro Ligario Cicero. Quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Cæsar minus se in rem, tamquam non novam, intenderet? Quid pro Cœlio, quam ut res exspectatione minor videretur? Verum ex iis, quæ proposui, aliud in alio genere causæ desiderari
40 palam est. Genera porro causarum plurimi quinque fecerunt, *honestum*, *humile*, *dubium* vel *anceps*, *admirabile*, *obscurum*: id est, ἔνδοξον [f], ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον. Sunt, quibus recte videatur adjici *turpe*,
41 quod alii *humili*, alii *admirabili* subjiciunt. *Admirabile* autem vocant, quod est præter opinionem hominum constitutum. In *ancipiti* maxime benevolum judicem, in *obscuro* docilem, in *humili* attentum parare debemus. Nam *honestum* quidem ad conciliationem satis per se valet: in
42 *admirabili et turpi*, remediis opus est. Et eo quidam [g] exordium in duas dividunt [h] partes, *principium*, *et insinuationem*: ut sit in principiis recta benevolentiæ et attentionis postulatio: quæ quia esse in turpi causæ genere non possit, insinuatio surrepat animis, maxime ubi frons causæ non satis honesta est, vel quia res sit improba, vel quia hominibus parum probetur: aut si facie quoque ipsa premitur, vel invidia [i] consistentis ex diverso patroni, aut pa-
43 tris, vel miserabilis senis, cæci, infantis. Et quidem [k] quibus adversus hæc modis sit medendum, verbosius tradunt, materiasque ipsi sibi fingunt, et ad morem actionum prosequuntur [m]: sed hæ, cum oriantur ex causis, quarum species consequi omnes non possumus, nisi generaliter com-
44 prehendantur, in infinitum sunt extrahendæ. Quare singulis consilium ex propria ratione nascetur. Illud in universum præceptum sit, ut ab iis, quæ lædunt, ad ea, quæ

[f] *om.* G. [g] quidem G. [h] dividitur G. [i] invidiosa G. Jens.
[k] quidam G. [m] consequuntur Jens. perseq. G.

39. *tamquam non novam*] Incipit enim, *Novum crimen, Cæsar, atque ante hunc diem inauditum &c.* Sic pro Cœlio non multum abest, quin ludat tam operosum et severum judicium in re tantilla, *Adolescentem illustri ingenio, industria, gratia, accusari ab ejus filio, quem ipse in judicium et vocet et vocarit: oppugnari autem opibus meretriciis.* Nihil poterat dici ad minuendam admirationem atque attentionem accommodatius.

40. *Genera causarum quinque*] Enarrantur etiam et explicantur a Cicerone de Inv. 1, 15. quem totum locum contulisse cum Fabii de exordio doctrina utile fuerit.

42. *facie quoque ipsa*] Manet in metaphora. *Frontem* dixerat, i. e. quod primum omnium in oculos et animum incurrit: *facies* itaque erit plus aliquantum, et ipsa totius causæ ratio atque constitutio. *Frons* primum emergit, *facies* agnoscitur.

prosunt, refugiamus. Si caussa laborabimus, persona subveniat; si persona, caussa: si nihil, quod nos adjuvet, erit, quæramus, quid adversarium lædat: nam ut optabile est, plus favoris mereri: sic proximum, odii minus. In 45
iis, quæ negari non poterunt, elaborandum, ut aut minora, quam dictum est, aut alia mente facta, aut nihil ad præsentem quæstionem pertinere, aut emendari posse pœnitentia, aut satis jam punita, videantur. Ideoque agere advocato, quam litigatori, facilius: quia et laudat sine arrogantiæ crimine, et aliquando utiliter etiam reprehendere potest. Nam se quoque moveri interim finget, ut 46
pro Rabirio Postumo Cicero, dum aditum sibi ad aures faciat, et auctoritatem induat[n] vera sentientis, quo magis credatur vel defendenti eadem, vel neganti. Ideoque hoc primum intuemur, litigatoris an advocati persona sit utendum, quoties utrumque fieri potest: nam id[o] in schola liberum est: in foro rarum, ut sit idoneus rei suæ quisque † defensor. Declamaturus autem maxime positas in 47
affectibus caussas propriis personis debet induere. Hi sunt enim, qui mandari non possunt: nec eadem vi perferuntur alieni animi, qua sui, motus. His etiam de caus- 48
sis infinuatione videtur opus esse, si adversarii actio judicum animos occupaverit, vel si dicendum apud fatigatos est: quorum alterum promittendo nostras probationes, et adversas eludendo[p], vitabimus; alterum et spe brevitatis, et iis, quibus attentum fieri judicem docuimus. Et ur- 49
banitas opportuna reficit animos, et undecumque petita judicis voluptas levat tædium. Non inutilis etiam est ratio occupandi, quæ videntur obstare: ut Cicero dicit, *Scire*[q] *se mirari quosdam, quod is, qui per tot annos defenderit multos, læserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit:* deinde ostendit, hanc ipsam sociorum defensio-

[n] induit G. Jens. [o] illud *iid.* † *Nonne aptius* quisquam? *Si enim rarum, quo modo* quisque? [p] eluendo G. Jens. [q] *om.* G.

46. *pro Rabirio*] Ubi illa in primis præclara c. 1. *Sed tamen si quis est, qui illam Postumi sive inanem spem, sive inconsultam rationem, sive (gravissimo verbo utar) temeritatem, vituperandam putet, ego ejus opinioni non repugno: illud tamen deprecor, ut, cum ab ipsa fortuna crudelissime videat hujus consilia esse multata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppressus est, addendum acerbitatis putet.*

48. *eludendo, vitabimus*] Quod dixi, in Gothano libro esse *eluendo*, illud forte non temere est; sed *eluere* positum ut *diluere*. Interim *eludendo* bonum esse non nego.

49. *Cicero dicit*] Principio Divinationis in Cæcilium.

50 nem *; quod ſchema προλήψις dicitur. Id cum ſit utile aliquando, nunc a declamatoribus quibuſdam pene ſemper aſſumitur, qui fas non putant, niſi a contrario incipere. Negant, Apollodorum ſecuti, tres[r] eſſe (de quibus diximus) præparandi judicis partes: ſed multas ſpecies enumerant, ut *ex moribus judicis, ex opinionibus ad cauſſam extra pertinentibus, ex opinione de ipſa cauſſa*, quæ ſunt prope infinitæ: tum iis, ex quibus omnes controverſiæ conſtant, *perſonis, factis, dictis, cauſſis, temporibus, locis, occaſionibus*
51 *ceteris*. Quas veras eſſe fateor[s], ſed in hæc tria genera recidere. Nam ſi *judicem benevolum, attentum, docilem* habeo, quid amplius debeam optare, non reperio: cum metus ipſe, qui maxime videtur eſſe extra hæc, et attenſ-
52 tum judicem faciat, et ab adverſo favore deterreat. Verum quoniam non eſt ſatis demonſtrare diſcentibus, quæ ſint in ratione procœmii, ſed dicendum etiam, quo modo perfici facillime poſſint: hoc adjicio, ut dicturus intueatur, *Quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum ſtatu, qua vulgi fama* dicendum ſit? *Quid judicem ſentire credibile* ſit, antequam incipiamus? tum, *Quid aut deſideremus, aut deprecemur?* Ipſa illum
53 natura eo ducet, ut ſciat, quid primum dicendum ſit. At nunc omne, quod cœperint, procœmium putant, et, ut quidque ſuccurrerit, utique ſi aliqua ſententia blanditur, exordium. Multa autem ſine dubio[t] ex aliis partibus ſunt, aut aliis partibus cauſſæ communia: nihil tamen in quaque melius dicitur, quam quod æque bene dici alibi
54 non poſſit. Multum gratiæ exordio eſt, quod ab actione diverſæ partis materiam trahit; hoc ipſo, quod non compoſitum domi, ſed ibi atque e re natum, et facilitate famam ingenii auget, et facie ſimplicis ſumtique e proximo ſermonis fidem quoque acquirit: adeo ut, etiamſi reliqua ſcripta atque elaborata ſint, tamen plerumque videatur tota extemporalis oratio, cujus initium nihil præparatum
55 habuiſſe manifeſtum eſt. Frequentiſſime vero procœmium decebit et ſententiarum, et compoſitionis, et vocis, et vultus modeſtia: adeo ut in genere cauſſæ, etiam indubitabili, fiducia ſe ipſa nimium exerere[u] non debeat. Odit enim judex fere litigantis ſecuritatem: cumque jus ſuum
56 intelligat, tacitus reverentiam poſtulat. Nec minus[x] diligenter, ne ſuſpecti ſimus illa parte, vitandum: propter

* *Videtur deſiderari hic, certe intelligi debet*, eſſe. [r] tris G. [s] reor G.
[t] ac *inf.* G. [u] exercere G. [x] mitius G. *male.*

quod minime oſtentari debet in principiis cura [z], quia videtur ars omnis dicentis contra judicem adhiberi. Sed 57
ipſum iſtud evitare, ſummæ artis eſt. Nam id ſine dubio ab omnibus, et quidem optime præceptum eſt: verum aliquatenus temporum conditione mutatur: quia [a] quibuſdam in judiciis, maximeque capitalibus, et [b] apud centumviros, ipſi judices exigunt ſolicitas et accuratas actiones, contemnique ſe, niſi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt: nec doceri tantum, ſed etiam delectari volunt. Et eſt difficilis hujus rei moderatio: quæ tamen ita 58
temperari poteſt, ut videamur accurate, non callide, dicere. Illud ex præceptis veteribus manet, *Ne quod inſolens verbum, ne audacius tranſlatum, ne aut ab obſoleta vetuſtate, aut a poetica licentia ſumtum*, in principio deprehendatur. Nondum enim recepti ſumus, et cuſtodit nos recens audi- 59
entium intentio: magis conciliatis animis, et jam calentibus, hæc libertas feretur, maximeque cum in locos fuerimus ingreſſi, quorum naturalis ubertas [c] licentiam verbi notari circumfuſo nitore non patitur. Nec argumentis 60
autem, nec locis, nec narrationi ſimilis eſſe in proœmio debet oratio, neque tamen deducta ſemper, atque circumlata, ſed ſæpe ſimplici atque illaboratæ [d] ſimilis, nec verbis vultuque nimia promittens. Diſſimulata enim, et, ut Græci dicunt, ἀνεπίφατος actio, melius ſæpe ſurrepit. Sed hæc, prout formari animos judicum expediet. Turbari 61
memoria, vel continuandi verba facultate [e] deſtitui, nuſ-

[z] cum G. [a] jam *inſ.* G. Jenſ. [b] ut *iid.* [c] libertas G. Jenſ.
[d] inelabor. *iid.* [e] facilitate G.

56. *minime oſtentari debet cura*] Quod Cicero etiam præcipit de Invent. 1, 18. ubi *ſuſpicionem apparationis atque artificioſæ diligentiæ* vitari jubet, quæ *maxime orationi fidem, oratori adimat auctoritatem.*

57. *capitalibus, et apud centumviros*] Hæc lectio tuenda eſt, vel certe altera *ut et*; ne in opinionem veniamus, apud Centumviros etiam capitalia judicia, cauſas capitales, eſſe actas, cujus erroris Rævardum Protribun. c. 20. hic poſtulat Burmannus. Monuerat idem Torrent. ad Sueto. Veſpaſ. c. 10. Et confici res videtur vel uno Ciceronis loco de Orat. 1, 38. ubi recenſum agit cauſarum centumviralium. Add. Plinius ſequens 2, 14, 1. Cæterum de illa ratione judicum, delectationem ex orationibus petentium, videndus etiam noſter 4, 2, 122.

60. *deducta, atque circumlata*] Uno verbo *periodica* ſ. per periodos decurrens. *Deducere* ad artis opera pertinet formantium aliquid inter manus et fingentium, atque ad dictionem inde refertur, in primis a poetis, quorum congeſta loca vid. a Burm. ad Ovid. Met. 1, 4. *Circumlata* manifeſte ad circuitum illum et ambitum atque orbem orationis pertinet, quam *periodum* vulgo dicimus.

quam turpius: cum vitiosum proœmium possit videri cicatricosa facies: et pessimus certe gubernator, qui navem,
62 dum portum egreditur, impegit. Modus autem principii, pro caussa. Nam brevius simplices, longius perplexæ, suspectæque et infames desiderant. Ridendi vero, qui velut leges proœmiis omnibus dederunt, ut intra quatuor sensus terminarentur. Nec minus evitanda est immodica ejus longitudo, ne in caput excrevisse videatur, et, quo
63 præparare debet, fatiget. Sermonem a persona judicis aversum, quæ ἀποστροφὴ dicitur, quidam in totum a proœmio submovent; nonnulla quidem in hanc persuasionem ratione ducti. Nam prorsus esse hoc magis secundum naturam confitendum est, ut eos alloquamur potissi-
64 mum, quos conciliare nobis studemus. Interim tamen et est hic [proœmio [f]] necessarius sensus aliquis, et is acrior fit atque vehementior ad personam directus alterius. Quod si accidat, quo jure, aut qua tanta superstitione prohibe-
65 mur dare per hanc figuram sententiæ vires? Nec enim istud scriptores Artium, quia non liceat, sed quia non putent utile, vetant. Ita si vincet utilitas, propter eamdem
66 caussam facere debebimus, propter quam vetamur. Et Demosthenes ad Æschinem orationem in proœmio convertit, et Marcus Tullius, cum pro aliis quibusdam, ad
67 quos ei visum est, tum pro Ligario ad Tuberonem: nam erat multo futura languidior, si esset aliter figurata: quod facilius cognoscet, si quis illam totam partem vehementissimam [g], cujus hæc forma est, *Habes igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum*, et cetera, convertat ad judicem: tum enim [h] vere aversa [i] videatur oratio, et languescat vis omnis, dicentibus nobis, *Habet igitur Tubero,*
68 *quod est accusatori maxime optandum.* Illo enim modo presssit atque instítit; hoc tantum indicasset. Quod idem in Demosthene, si flexum illi mutaveris, accidet. Quid?

[f] proœmio *glossam puto pronominis* hic: *et abest a libris quibusdam ap. Burm.* [g] leget *inf.* G. *male.* [h] *om.* G. [i] adversa G.

64. *sensus aliquis*] *Sensum* intelligo motum quendam acutiorem, qui exprimatur vividius oratione ad adversarium directa. *Sensum* poni pro sententia aliquantum exstante atque eminente, intelligimus ex 8, 5, 14. ubi *minutos corruptosque sensiculos* ridet. *Sensus* autem *sublimes variosque* laudat 12, 10, 36. Nempe generatim *sensus* vocare *mente concepta*, Quinctiliano prodente consuetudo tenuerat. Vid. 8, 5, 2.

67. *vere aversa*] Ludit in voce. Sublata apostrophe demum *aversa*, non a judice ad adversarium, ut 9, 2, 38. sed ab ratione, et musis, et vero, erit oratio.

non Salluſtius directo ad Ciceronem, in quem ipſum dicebat, uſus eſt principio, et quidem protinus? *Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, Marce Tulli:* ſicut et Cicero fecerat in Catilinam, *Quouſque tandem abutere patientia* [l] *noſtra?* Ac, ne quis apoſtrophen miretur, idem 69
Cicero pro Scauro ambitus reo, quæ cauſſa eſt in commentariis, (nam bis eumdem defendit) *proſopopœia* loquentis pro reo utitur; pro Rabirio vero Poſtumo, eodemque Scauro reo repetundarum, etiam *exemplis*; pro Cluentio (ut modo oſtendi) *partitione*. Non tamen hæc, 70
quia poſſunt bene aliquando fieri, paſſim facienda ſunt; ſed quoties [m] præceptum vicerit ratio: quo modo et ſimilitudine, dum brevi, et tranſlatione, atque aliis tropis (quæ omnia cauti illi ac diligentes prohibent) utemur interim: niſi [n] ſi cui divina illa pro Ligario ironia, de qua paullo ante dixeram, diſplicet. Alia exordiorum vitia ve- 71
rius tradiderunt. Quod in plures cauſſas accommodari poteſt, *vulgare* dicitur: id minus favorabile, aliquando tamen non inutiliter aſſumimus [o]: magnis ſæpe oratoribus non evitatum: quo et adverſarius uti poteſt, *commune* appellatur: quod adverſarius in ſuam utilitatem deflectere poteſt, *commutabile:* quod cauſſæ non cohæret, *ſeparatum:* quod aliunde trahitur, *tranſlatum:* præterea quod *longum*, quod *contra præcepta* eſt. Quorum pleraque non principii modo ſunt vitia, ſed totius orationis. Hæc *de proœmio*, 72
quoties erit ejus uſus: non ſemper autem eſt: nam et ſupervacuum aliquando eſt [p], ſi ſit præparatus ſatis etiam fine hoc judex, aut ſi res præparatione non egeat. Ariſto-

[l] pat. noſtra *om.* G. [m] conſequens *illud abſurdum hic et p. p. ingerit* G. [n] *om.* G. [o] a *inſ.* G. *et plures apud Burm.* [p] et *inſ.* G.

68. *Salluſtius--ad Ciceronem*] Exſtat hodie et cum Salluſtii reliquis editur oratio in Ciceronem, quam ex hoc loco, et altero 9, 3, 89. Criſpo quidam ita vindicari putant, ut, qui contra dicat, nihil dicat. Quinctilianum hac in re falſum, neque ipſe auſim dicere. Quid ſi igitur exſtitiſſe dicamus Fabii ætate ipſius orationem Salluſtii; declamatorem autem aliquem juniorem ab his apud Fabium fragmentis formandæ ejus quam hodie habemus declamationis occaſionem arripuiſſe?

69. *in commentariis*] Exſtitit igitur opus, Fabio prodente, in quo non juſtas elaboratasque orationes retulerat Cicero, ſed ea tantum, quæ, ante quam ageret, memoriæ cauſa, ſcripſerat. Vel, hoc nomine veniunt, quæ ipſo dicente exceperunt notarii; qua de re vid. ad 4, 3, 17. Utrum horum cunque fuerit, idem opus laudare videtur etiam Diomedes libro 1. p. 365. extr. Putſch. his verbis, *Cicero cauſſarum XIII.*

70. *paullo ante*] ſ. 39.

72. *Ariſtoteles*] Rhet. 3, 14, 3.

teles quidem in totum id neceſſarium apud bonos judices negat. Aliquando tamen uti, nec ſi velimus, eo licet, cum judex occupatus, cum anguſta ſunt tempora, cum major
73 poteſtas ab ipſa re cogit incipere. Contraque eſt interim proœmii vis etiam non [q] exordio. Nam judices, et in narratione nonnumquam, et in argumentis, ut attendant, et ut faveant, rogamus: quo Prodicus [r] velut dormitan-
74 tes eos excitari putabat: quale eſt Ciceronis [s], *Tum C. Varenus, is* [t] *qui a familia Anchariana occiſus eſt. Hoc, quæſo, judices, diligenter attendite.* Utique ſi multiplex cauſſa eſt, ſua quibuſque partibus danda præfatio eſt: ut,
75 *Audite nunc reliqua*; et, *Tranſeo nunc illuc.* Sed in ipſis etiam probationibus multa funguntur proœmii vice, ut facit Cicero pro Cluentio, dicturus contra cenſores; pro
76 Muræna, cum Servio ſe excuſat. Verum id frequentius eſt, quam ut exemplis confirmandum ſit. Quoties autem proœmio fuerimus uſi, tum ſive ad expoſitionem tranſibimus, ſive protinus ad probationem, id debebit in principio poſtremum eſſe, cui commodiſſime jungi initium conſe-
77 quentium [u] poterit. Illa vero frigida et puerilis eſt in ſcholis affectatio, ut ipſe tranſitus efficiat aliquam utique ſententiam, et hujus velut [x] præſtigiæ plauſum petat: ut

[q] in *inf.* G. Jenſ. [r] Prodigus G. [s] *om.* G. Jenſ. [t] *om. iid.* [u] ſequentium *iid.* [x] *om. iid.*

Δεῖ δὲ μὴ λαυθάνειν, ὅτι πάντα ἔξω τῦ λόγυ τὰ τοιαῦτα πρὸς φαῦλον τὸν ἀκροατὴν—ὑπὲ ἂν μὴ τοιῦτος ᾖ, ὑδὲν δεῖ προοιμίων.

72. *major poteſtas*] Qualis erat Areopagitarum, qui dici apud ſe jubebant ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν.

73. *non exordio*] Ariſtot. 3, 14, 32. Ἔτι τὸ προσεκτικὸς ποιεῖν πάντων τῶν μερῶν κοινόν, ἐὰν δέῃ· παντα χῦ γὰρ ἀπᾶσι μᾶλλον, ἢ ἀρχόμενοι· διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν, ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται ὥςε, ὅπυ ἂν ᾖ καιρὸς, λεκτέον· καὶ μοι προσέχετε τὸν νῦν, ὑδὲ γὰρ μᾶλλον ἡμῶν ἢ ὑμέτερον ᾖ, ἐρῶ γὰρ ὑμῖν, οἷον ὑδεπώποτε ακηκόατε δεινὸν ἢ ὕτω θαυμαςόν.

73. *Prodicus*] Etiam hoc ab Ariſtotele l. c. Τῦτο δ' ἐςὶ, ὥσπερ ἔφη Πρόδικος, ὅτε νυςάζοιεν οἱ ἀκροαταὶ, παρεμβάλλειν αὐτοῖς τὴς πεντηκονταδραχμου, intell. ἐπιδείξεως, quam commemorat etiam ex Schol. Ariſtoph. Nub. 360. Suidas. Scilicet copiam ſui declamantis non faciebat Sophiſta, niſi numerata quinquaginta drachmarum mercede. Add. Plato Hipp. Maj. p. m. 96, b.

74. *a familia Anchariana*] Erudite per hujus loci occaſionem multa hic diſputantur a Colomeſio et Burmanno. Ad Fabium hoc pertinet, intelligi ſervos Ancharii cujuſdam, qui cædis factæ poſtulabantur. Cum non exſtet oratio, nihil certi habemus de reliquis.

75. *pro Cluentio*] c. 42. *Qua de re ante quam incipio, perpauca mihi de meo officio verba facienda ſunt* &c.

75. *pro Muræna*] Servio quidem ſe excuſat c. 3; Catoni autem tum c. 2. tum in primis c. 29. quod proprie huc pertinet.

Ovidius lascivire in Metamorphosi solet, quem tamen excusare necessitas potest, res diversissimas in speciem unius corporis colligentem. Oratori vero quid est necesse furi- 78
pere hanc transgressionem, et judicem fallere, qui, ut ordini rerum animum intendat, etiam commonendus est? Peribit enim prima pars expositionis, si judex narrari nondum sciet. Quapropter, ut non abrupte cadere in narra- 79
tionem, ita non obscure transcendere, est optimum. Si vero longior sequitur ac perplexa magis expositio, ad eam ipsam præparandus erit judex: ut Cicero sæpius, sed hoc præcipue loco fecit, *Paullo longius exordium rei demonstrandæ repetam, quod, quæso, judices, ne molestе patiamini: principiis enim cognitis* [z], *multo facilius extrema intelligetis.* Hæc fere sunt mihi de exordio comperta.

II. Maxime naturale est, et fieri frequentissime solet [a], ac debet, ut, præparato per hæc, quæ supra dicta sunt, judice, res, de qua pronuntiaturus est, indicetur. Ea est 2
narratio. In qua sciens transcurram subtiles nimium divisiones quorumdam, plura ejus genera facientium. Non enim solam volunt esse illam *negotii*, de quo apud judices quæritur, expositionem, sed *personæ*, ut, *Marcus Acilius Balicanus, humili loco, Picens, loquax magis, quam facundus*; *Loci*, ut, *Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, judices*; *Temporis*, ut,

Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur;

Caussarum, quibus historici [b] frequentissime utuntur, cum 3
exponunt, unde bellum, seditio, pestilentia. Præter hæc, alias *perfectas*, alias *imperfectas* vocant: quod quis ignorat [c]? Adjiciunt, expositionem et *præteritorum* esse temporum, quæ est frequentissima; et *præsentium*, qualis est Ciceronis de discursu amicorum, Chrysogonus postquam est

[z] *om.* G. [a] solet ac *om.* G. Jenf. [b] *om.* G. [c] ignoraretur G.

77. *necessitas*] Si non alia, certe standi promissis in procœmio de *perpetuo carmine*. Illud artificium declarat præsertim Canteriana operis epitome.

79. *hoc præcipue loco*] Pro Cluentio c. 4.

II, 2. *Marcus Acilius*] E Cluentiana petitum Regius dixerat, sed non invenit Burmannus, qui erudite, ut in primis de personis Quinctiliani præclare meritus est, de hujus nominis viris disputat.

2. *Oppidum est in Hellesponto*] In Verr. 1, 24.

2. *Vere novo*] Virg. Georg. 1, 43.

3. *de discursu amicorum*] Intell. Chrysogoni. Res est pro Rosc. Am. c. 32; verba ne voluit quidem hic laudare Fabius.

nominatus; et *futurorum*, quæ ſolis dari vaticinantibus poteſt: nam ὑποτύπωσις non eſt habenda narratio. Sed 4 nos potioribus vacemus. Plerique ſemper narrandum putaverunt: quod falſum eſſe pluribus coarguitur. Sunt enim ante omnia quædam tam breves cauſſæ, ut propoſi- 5 tionem potius habeant, quam narrationem. Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expoſitio eſt, vel de re conſtat, de jure quæritur: ut apud centumviros, *Filius an frater debeat eſſe inteſtato* [d] *hæres? Pubertas, annis, an habitu corporis æſtimetur?* Aut cum eſt quidem in [e] re narrationi locus, ſed ante aut judici nota ſunt omnia, aut 6 priore loco recte expoſita. Accidit aliquando alteri, et ſæpius [f] actori: vel quia ſatis eſt proponere, vel quia ſic magis expedit. Satis eſt dixiſſe, *Certam creditam pecuniam peto ex ſtipulatione: Legatum peto ex teſtamento.* Diverſæ 7 partis expoſitio eſt, cur ea nondum [g] debeantur. Et ſatis eſt actori, et magis expedit ſic indicare, *Dico ab Horatio ſororem ſuam interfectam.* Namque et [h] propoſitione [i] judex crimen omne cognoſcit, et ordo et cauſſa facti pro 8 adverſario magis eſt. Reus contra tunc narrationem ſubtrahit, cum id, quod objicitur, nec negari, nec excuſari poteſt, ſed in ſola juris quæſtione conſiſtit: ut in eo, qui, cum pecuniam privatam ex æde ſacra ſurripuerit [l], ſacrilegii reus eſt, confeſſio verecundior [m], quam expoſitio, *Non negamus, pecuniam de templo eſſe ſublatam; calumniatur tamen* [n] *accuſator actione ſacrilegii, cum privata fuerit, non ſacra: vos autem de hoc cognoſcetis* [o], *An ſacrilegium ſit ad-* 9 *miſſum.* Sed ut has aliquando non narrandi cauſſas puto, ſic ab illis diſſentio, qui non eſſe narrationem [p] exiſtiment, cum reus, quod objicitur, tantum negat: in qua eſt opinione Cornelius Celſus, qui conditionis hujus eſſe arbitratur pleraſque cædis cauſſas, et omnes ambitus ac repe- 10 tundarum. Non enim putat eſſe narrationem, niſi quæ ſummam criminis, de quo judicium eſt, continet: ac [q] deinde fatetur ipſe, pro Rabirio Poſtumo narraſſe Cicero-

[d] inteſtati Jenſ. [e] jure G. Jenſ. [f] ab actore G. ad actorem cauſæ Jenſ. [g] non G. Jenſ. [h] cum *iid.* [i] expoſit. G. [l] ſurripuit G. Jenſ. [m] eſt *inſ.* G. [n] cauſam G. *male.* [o] cognoſcitis G. Jenſ. [p] narrandum *iid.* [q] et Jenſ. *Forte melius legas* at.

3. *vaticinantibus*] Addere poſſis, divinatione prudenti utentibus: niſi tamen hanc ipſam potius ὑποτύπωσιν dixit Fabius.

5. *priore loco*] Ab eo, qui prior eandem cauſam egit, quod frequenter factum eſſe conſtat. Poteſt etiam in ipſo facto interdum convenire inter actorem et reum, diſputari de conſilio, de jure.

nem: atque [r] ille et negavit perveniſſe ad Rabirium pecuniam, qua de re erat quæſtio conſtituta: et in hac narratione nihil [s] de crimine expoſuit. Ego autem, magnos 11
alioqui ſecutus auctores, duas eſſe in judiciis narrationum ſpecies exiſtimo, alteram ipſius cauſſæ, alteram [t] rerum ad cauſſam pertinentium expoſitionem. *Non* [u] *occidi hominem*, 12
nulla narratio eſt: ſed erit aliqua, et interim etiam longa, circa argumenta ejus criminis, de anteacta [x] vita, de cauſſis, propter quas innocens in periculum deducatur, aliiſque [z], quibus incredibile id, quod objicitur, fiat. Nec 13
enim accuſator hoc [a] tantum dicit, *Occidiſti*; ſed, quibus id probet, narrat: ut in tragœdiis, cum Teucer Ulixem reum facit Ajacis occiſi, dicens, *Inventum eum in ſolitudine, juxta exanime corpus inimici, cum gladio cruento*; non id modo Ulixes reſpondet, non eſſe a ſe id facinus admiſſum, ſed ſibi nullas cum Ajace inimicitias fuiſſe: de laude inter ipſos certatum: deinde ſubjungit, quo modo in eam ſolitudinem venerit, jacentem exanimem ſit conſpicatus, gladium e vulnere extraxerit. His ſubtexitur argumentatio. Sed ne illud quidem ſine narratione eſt, di- 14
cente accuſatore, *Fuiſti in eo loco, in quo tuus inimicus occiſus eſt: Non fui*: dicendum enim [b], *Ubi fuerit*. Quare ambitus quoque cauſſæ [c] et repetundarum hoc etiam plures ejuſmodi narrationes habere poterunt, quo plura crimina; in quibus ipſa quidem neganda ſunt, ſed argumentis expoſitione contraria reſiſtendum [d], interdum ſingulis, interdum univerſis. An reus ambitus male narra- 15
bit, quos parentes habuerit, quemadmodum ipſe vixerit, quibus meritis fretus ad petitionem deſcenderit? Aut, qui repetundarum inſimulabitur, num [e] et anteactam vitam, et quibus [f] cauſſis vel [g] provinciam univerſam, vel accuſatorem aut teſtem offenderit, non utiliter exponet? Quæ ſi narratio [h] non eſt, ne illa quidem Ciceronis pro 16
Cluentio prima, cujus eſt initium, *A. Cluentius Habitus.*

[r] *Quid ſi* atqui? [s] vel G. [t] in—expoſitione G. [u] Nam G. [x] dicta G. [z] aliis G. [a] hæc G. [b] eſt G. [c] cauſſa G. [d] et *inſ.* G. Jenſ. [e] nonne aut G. [f] de *inſ.* G. Jenſ. [g] per *iid.* [h] ratio G.

13. *Teucer Ulixem*] Facile hic fuit larvato Turnebo, adſcribere Sophoclem, Euripidem et Senecam in Ajace. Sed oſtendere ipſum hoc argumentum, difficilius. Sophoclis eſt quidem Ajax flagellifer, in qua extrema eæ perſonæ: ſed hic Teucrum potius adjuvat Ulyſſes in ſepultura procuranda. Euripidis et Senecæ plane nihil exſtat, quod huc pertineat.

16. *A. Cluentius*] Locus eſt c. 5.

Nihil enim hic de veneficio, sed de caussis, quibus ei ma-
17 ter inimica sit, dicit. Illæ [i] quoque sunt pertinentes ad caussam, sed non ipsius caussæ, narrationes: vel exempli gratia, ut in Verrem de L. Domitio, qui pastorem, quod is aprum, quem ipsi muneri obtulerat, exceptum esse a se
18 venabulo confessus esset, in crucem sustulit: vel discutiendi [k] alicujus extrinsecus criminis, ut pro Rabirio Postumo, *Nam ut ventum Alexandriam est, judices, hæc una ratio a rege proposita Postumo est servandæ pecuniæ, si curationem et quasi dispensationem regiam suscepisset:* vel augendi, ut
19 describitur *iter Verris.* Ficta interim narratio introduci solet, vel ad concitandos judices, ut *pro Roscio contra Chrysogonum*, cujus paullo ante habui mentionem: vel ad resolvendos [l] aliqua urbanitate, ut *pro Cluentio contra fratres Cepasios:* interdum [m] per digressionem decoris gratia, qualis rursus in Verrem de Proserpina, *In his quondam locis mater filiam quæsisse dicitur.* Quæ omnia eo pertinent, ut appareat, non utique non narrare eum, qui negat, sed
20 illud ipsum narrare, quod negat. Ne hoc quidem simpliciter accipiendum, quod est a me positum, supervacuam esse narrationem rei, quam judex noverit: quod sic intelligi volo, si non modo, factum quid sit, sciet: sed ita fac-
21 tum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta est, ut tantum cognoscat judex, sed aliquanto magis, ut consentiat. Quare, etiam si non erit docendus, sed aliquo modo afficiendus, narrabimus cum præparatione quadam, *Scire quidem eum in summa, quid* [n] *actum sit, tamen rationem quoque facti cujusque cognoscere ne*
22 *gravetur.* Interim propter aliquem in consilium adhibitum nos repetere illa simulemus; interim, ut rei, quæ ex adverso proponatur, iniquitatem omnes etiam circumstantes intelligant. In quo genere plurimis figuris erit varianda expositio, ad effugiendum tædium nota audientis: sicut, *Meminisli*; et, *Fortasse supervacuum fuerit hic commorari*; *Sed quid ego diutius, cum tu optime noris? Illud qua-*
23 *le sit, tu scias* [o]; et his similia. Alioqui, si apud judicem,

[i] *Quid si legamus* Aliæ? [k] *Sic* V. C. Almelov. *et* Obr. excut. *al.* [l] solvendos G. Jens. [m] interim G. [n] quod acti G. *a manu secunda.* [o] *Forte leg.* scis. *Nisi pendere dicas a præcedente* cum.

17. *de L. Domitio*] In Verr. 5, 3.
18. *pro Rabirio*] c. 10. Illud *paullo ante*, respicit s. 3. *Iter Verris* 1, 16.
19. *contra fratres Cepasios*] c. 20. *de Proserpina*, in Verr. 4, 48.

cui nota cauſſa eſt, narratio ſemper videtur ſupervacua, poteſt videri non ſemper eſſe etiam ipſa actio neceſſaria. Alterum eſt, de quo frequentius quæritur, An ſit utique narratio procœmio ſubjicienda: quod qui [p] opinantur, non poſſunt videri nulla ratione ducti. Nam cum procœmium idcirco comparatum ſit, ut judex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior [q], et intentior; et probatio, niſi cauſſa prius cognita, non poſſit adhiberi: protinus notitia rerum inſtruendus videtur. Sed hoc quoque interim mutat conditio cauſſarum: niſi forte Marcus Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone ſcriptam reliquit, male diſtuliſſe narrationem videtur tribus præpoſitis quæſtionibus: aut profuiſſet exponere, *Quo modo inſidias Miloni feciſſet Clodius, ſi reum, qui a ſe hominem occiſum fateretur, defendi omnino fas non fuiſſet*; *aut ſi jam præjudicio ſenatus damnatus eſſet Milo*; *aut ſi Cn. Pompeius, qui propter aliquam gratiam judicium militibus armatis clauſerat* [r], *tamquam adverſus exiſtimaretur*. Ergo hæ quoque quæſtiones vim procœmii obtinebunt, cum omnes judicem præparaverint. Sed [s] aliter pro L. Muræna poſtea quoque narravit, cum objecta diluit. Quod fiet utiliter, quoties [t] crimen non repellendum tantum, ſed etiam transferendum erit, ut, prius his defenſis, velut initium ſit alium [u] culpandi narratio: UT in armorum ratione antiquior cavendi, quam ictum inferendi, cura eſt. Erunt quædam cauſſæ (neque id raro) crimini [x] quidem, de quo cognitio eſt, faciles diluendo, ſed multis anteactæ vitæ flagitiis et gravibus criminibus [z] oneratæ: quæ prius amolienda ſunt, ut propitius judex defenſionem ipſius negotii, cujus propria quæſtio eſt [a], audiat: ut, ſi defendendus eſt M. Cœ-

24 25 26 27

[p] ſi G. [q] doctior G. [r] cluſerat G. Jenſ. [s] Sed pro Vareno quoque poena (*pro* poſtea) G. [t] conſequens *hic et vere ſemper* G. [u] *Sic* Jenſ. *et* V. C. Almelov. aliud *rel. Rectum etiam eſſet* alius. [x] crimine q. d. q. cognitum eſt faciles ad diluendum G. [z] *om.* G. [a] *om.* Jenſ.

27. *M. Cœlius*] Non ſimpliciter hic enarrat Fabius, quid in Cœliana cauſa actum ſit a duobus patronis Cicerone et Craſſo, ipſoque adeo pro ſe Cœlio: ipſe enim quoque cauſam ſuam de vi egit, quod non ex hoc ſolum loco apparet, ſed etiam ex II, 1, 51. itemque ex Sueto. de Clar. Rhet. c. 2; ſed, quomodo, ſi quis eam ſibi declamationis materiam velit ſumere, comprehendi crimina, et una quadam oratione defendi poſſint. Hoc ipſa verba indicant, si *defendendus eſt—occurrat—narret—explicet*. Illud de *bonis Pallæ* quid fuerit, ignoratur, credo, hodie: defenſum autem hoc crimen eſſe a Craſſo, Cicero indicat c. 10.

lius, nonne optime [b] patronus occurrat prius *conviciis luxuriæ, petulantiæ, impudicitiæ*, quam [c] *veneficii?* in quibus ſolis omnis Ciceronis verſatur oratio: deinde tum narret *de bonis Pallæ, totamque de* [d] *vi* explicet *cauſſam*, quæ eſt
28 ipſius actione [e] defenſa? Sed nos ducit ſcholarum conſuetudo, in quibus certa quædam ponuntur, quæ *themata* dicimus, præter quæ nihil eſt diluendum. Ideoque *narratio* procœmio ſemper [f] ſubjungitur. Inde libertas declamatoribus, ut etiam ſecundo partis ſuæ loco narrare vide-
29 antur. Nam quum pro petitore dicunt, et expoſitione, tamquam prius [g] agant, uti ſolent; et contradictione, tamquam reſpondeant: id [h] quod fit non recte. Nam cum ſit *declamatio forenſium actionum meditatio*, cur non utrumque protinus locum exerceat? Cujus rationis ignari, ex more, cui aſſueverunt, nihil in foro putant eſſe mu-
30 tandum. Sed in ſcholaſticis quoque nonnumquam evenit, ut pro narratione ſit propoſitio. Nam quid exponet, qui [i] zelotypum malæ tractationis accuſat? aut qui Cynicum apud cenſores reum de moribus facit? cum totum crimen uno verbo in qualibet actionis parte poſito [l] ſatis
31 indicetur. Sed hæc hactenus. Nunc, quæ ſit narrandi ratio, ſubjungam. *Narratio eſt rei factæ aut ut* [m] *factæ utilis ad perſuadendum expoſitio*; vel (ut Apollodorus finit) *oratio docens auditorem, quid in controverſia ſit.* Eam plerique ſcriptores, maxime qui ſunt ab Iſocrate, volunt eſſe *lucidam, brevem, veriſimilem.* Nec enim refert, an pro [n] *lucida* perſpicuam, pro *veriſimili* probabilem credibilemve
32 dicamus. Eadem nobis placet diviſio: quamquam et Ariſtoteles ab Iſocrate parte in una diſſenſerit, præceptum

[b] *om.* G. [c] *om.* G. [d] dein G. deinde Jenſ. [e] actionis G. [f] *om.* G. [g] priores G. Jenſ. [h] idque *iid.* [i] quæ G. *retulit nempe ad uxorem, cujus nomine agitur.* [l] propoſitio G. *male.* [m] *Sic* G. *et al. ap. Burm.* non *rel.* [n] lucidam pro perſpicua G.

28. *ſecundo partis ſuæ loco*] Cum duo dicunt pro eodem litigatore, ſatis eſt unum, nempe qui prior dixit, narrare. Sed declamatores a regula procœmio ſubjiciendi narrationem non diſcedunt. *Partis ſuæ* eſt litigatoris, pro quo dicunt.

30. *quid exponet*] Verum annon exponet et narrando augebit maledicta, verbera, injurias, mulier male tractata? Non Cynici turpia facta narrabit, aut vitam certe Cynicorum accuſator deſcribet?

32. *Ariſtoteles*] Rhet. 3, 16, 6. Nimirum τὸ μετρίως et hic commendat Ariſtoteles, uſus lepido apophthegmate cujuſdam, qui interroganti piſtori, velletne durum an molle ſubigi? reſpondit, *Bene igitur non licet?* Ac τὸ εὖ deinde in τῷ μετρίως ponit. Hæc monere viſum, quia verba Fabii etiam aliter capi poterant, quaſi reprehenderet Ariſtotelem.

brevitatis irridens, tamquam neceſſe ſit, longam aut brevem eſſe [o] expoſitionem [p], nec liceat ire per medium. Theodorei quoque ſolam relinquunt ultimam partem, quia nec dilucide ſemper ſit utile exponere. Quo diligentius diſtinguenda [q] ſunt ſingula, ut, quid quoque 33
loco proſit, oſtendam. Narratio eſt aut tota pro nobis, aut tota pro adverſario, aut mixta ex utriſque. Si erit tota pro nobis, contenti ſimus iis [r] tribus partibus, per quas efficitur, quo judex facilius *intelligat*, *meminerit*, *credat*. Nec quiſquam reprehenſione dignum putet, quod 34
propoſuerim eam, quæ ſit tota pro nobis, debere eſſe veriſimilem, cum vera ſit. Sunt enim plurima vera quidem, ſed parum credibilia, ſicut falſa quoque frequenter veriſimilia. Quare non minus laborandum eſt, ut judex, quæ vera dicimus, quam quæ fingimus, credat. Sunt 35
quidem hæ, quas ſupra retuli, virtutes aliarum quoque partium. Nam et per totam actionem vitanda eſt obſcuritas, et modus ubique cuſtodiendus, et credibilia eſſe oportet omnia, quæ dicuntur. Maxime tamen hæc in ea parte cuſtodienda ſunt, quæ prima judicem docet: in qua ſi acciderit, ut aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, fruſtra in reliquis laborabimus. Erit autem 36
aperta narratio atque *dilucida*, ſi fuerit primum expoſita verbis propriis et ſignificantibus, et non ſordidis quidem, non tamen exquiſitis, et ab uſu remotis; tum [s] diſtincta rebus, perſonis, temporibus, locis, cauſſis, ipſa etiam pronuntiatione in hoc accommodata, ut judex, quæ dicuntur, quam facillime accipiat. Quæ quidem virtus negli- 37
gitur a plurimis, qui, ad clamorem diſpoſitæ, vel etiam forte circumfuſæ, multitudinis compoſiti, non ferunt illud intentionis ſilentium: nec ſibi diſerti videntur, niſi omnia tumultu ac vociferatione concuſſerint: rem indicare, ſermonis quotidiani, et in quemcumque etiam indoctiorum cadentis, [t] exiſtimant: cum interim, quod tamquam faci-

[o] *om.* G. [p] narrationem, ne G. [q] ſejungendo G. Jenſ. [r] *om.* G.
[s] non G. *male*. [t] eſſe *inſ.* G. Jenſ.

37. *ad clamorem diſpoſitæ*] *Clamorem* pro laudibus et plauſu poni, frequens eſt: vid. quæ nuper ad Plin. Epiſt. 4, 5, 1. monuimus. Quod deinde *diſpoſitam* multitudinem nominat, ad perverſitatem illius temporis pertinet, quam graviter idem notat Plinius 2, 14, 4. *Sequuntur auditores actoribus ſimiles conducti et redemti* &c. De immoderato illo plauſu vid. noſter 6, 4, 6. 8, 5, 13. 11, 3, 121. it. 126 et 131. 12, 5, 6. &c.

le contemnunt, neſcias, præſtare minus velint, an poſſint.
38 Neque enim aliud in eloquentia, cuncta[u] experti, difficilius reperient, quam id, quod ſe dicturos fuiſſe omnes putant, poſtquam audierunt: quia non bona judicant eſſe illa, ſed vera. Tum autem optime dicit orator, cum vide-
39 tur vera dicere. At nunc, velut campum nacti expoſitionis, hic potiſſimum et vocem flectunt, et cervicem reponunt, et brachium in latus jactant, totoque et rerum et verborum et compoſitionis genere laſciviunt: deinde (quod ſit monſtro ſimile) placet actio, cauſſa non intelligitur. Verum hæc omittamus, ne minus gratiæ, præcipiendo recta, quam offenſæ, reprehendendo prava, mereamur.
40 *Brevis* erit *narratio* ante omnia, ſi inde cœperimus rem exponere, unde ad judicem pertinet; deinde, ſi nihil extra cauſſam dixerimus; tum etiam, ſi reciderimus omnia, quibus ſublatis, nec cognitioni quidquam, nec utilitati detrahatur. Solet enim eſſe quædam partium brevitas,
41 quæ longam tamen efficit ſummam[x]. *In portum veni, navim proſpexi, quanti veheret interrogavi, de pretio convenit, conſcendi, ſublatæ ſunt ancoræ, ſolvimus oram, provecti ſumus.* Nihil horum dici celerius poteſt, ſed ſufficit dicere, *E portu navigavi.* Et, quoties[z] exitus rei ſatis oſtendit priora, debemus hoc eſſe contenti, quo reliqua in-
42 telliguntur. Quare cum dicere liceat, *Eſt mihi filius juvenis*, omnia illa ſupervacua, *Cupidus ego liberorum uxorem duxi, natum ſuſtuli, filium educavi, in adoleſcentiam perduxi.* Ideoque Græcorum aliqui aliud circumciſam[a] expoſitionem, id eſt σύντομον, aliud brevem putaverunt: quod illa ſupervacuis careret, hæc poſſet aliquid ex neceſſariis deſi-
43 derare. Nos autem brevitatem in hoc ponimus, non ut minus, ſed ne plus dicatur, quam oporteat. Nam iterationes quidem, et ταυτολογίας, et περισσολογίας, quas in narratione vitandas quidam ſcriptores Artium tradiderunt, tranſeo: ſunt enim hæc vitia non tantum brevitatis gratia
44 refugienda[b]. Non minus autem cavenda erit, quæ nimium corripientes omnia ſequitur, obſcuritas: ſatiuſque eſt aliquid narrationi ſupereſſe, quam deeſſe. Nam ſupervacua cum tædio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſub-
45 trahuntur. Quare vitanda etiam illa Salluſtiana (quam-

[u] *om.* G. Jenſ. *et videtur commode abeſſe poſſe.* [x] ſententiam G. [z] quotiens G. Jenſ. [a] circumfuſam G. *male.* [b] fugienda G. Jenſ.

41. *ſolvimus oram*] Vid. procem. totius operis ſ. 3.

quam in ipso virtutis locum obtinet) brevitas, et abruptum sermonis genus: quod otiosum fortasse lectorem minus fallit [c], audientem transvolat, nec, dum repetatur, exspectat: cum præsertim lector non fere sit, nisi eruditus; judicem rura plerumque in decurias mittant, de eo pronuntiaturum, quod intellexerit: ut fortasse ubique [d], in narratione tamen præcipue, media hæc tenenda sit via dicendi, *quantum opus est, quantum satis est. Quantum opus* 46
est autem non ita solum accipi volo, quantum ad judicandum sufficit: quia non inornata debet esse brevitas, alioqui sit indocta: nam et fallit voluptas, et minus longa, quæ delectant, videntur: UT amœnum ac molle iter, etiam si est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum arduumque compendium. Nec enim mihi umquam tanta 47
fuerit cura brevitatis, ut non ea, quæ credibilem faciunt expositionem, inferi velim. Simplex enim et undique præcisa, non tam *narratio* vocari potest, quam *confusio*. Sunt porro multæ conditione ipsa rei longæ narrationes, quibus extrema (ut præcepi [e]) procœmii parte ad intentionem præparandus est judex: deinde curandum, ut omni arte vel ex spatio ejus detrahamus aliquid, vel ex tædio. Ut minus longa sit, efficiemus [f], quæ poterimus, differen- 48
do, non tamen sine mentione eorum, quæ differemus [g]: *Quas causas occidendi habuerit, quos assumserit conscios, quemadmodum disposuerit insidias, probationis loco dicam.* Quædam vero ex ordine prætermittenda, quale est apud 49
Ciceronem, *Moritur Fulcinius* [h]: *multa enim, quæ sunt in re, quia remota sunt a caussa, prætermittam.* At partitio tædium levat: *Dicam, quæ acta sint* [i] *ante ipsum rei contractum; dicam, quæ in re ipsa; dicam, quæ postea.* Ita [l] 50
tres potius modicæ narrationes videbuntur, quam una longa. Interim expediet expositiones brevi interfatione distinguere: *Audistis, quæ ante acta sunt; accipite nunc, quæ insequuntur.* Reficietur enim judex priorum fine, et se velut ad novum rursus initium præparabit. Si tamen, 51
adhibitis his quoque artibus, in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte commonitio [m];

[c] fallat G. Jens. [d] ubicunque G. [e] præcipi G. Jens. *quod in optimis quibusque codicibus observarunt viri docti, ut retineatur vocalis præsentis.* [f] efficiamus G. Jens. [g] differimus G. [h] Fulcinus Jens. [i] sunt G. [l] Ideo G. [m] commotio G. *male.*

49. *Moritur Fulcinius*] In orat. pro Cæci. c. 4.

quod Cicero etiam in brevi narratione facit: *Adhuc, Cæsar, Q. Ligarius omni culpa caret: domo eſt egreſſus non modo nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem belli ſuſpi-*
52 *cionem*, &c. Credibilis autem erit narratio ante omnia, ſi prius conſuluerimus noſtrum animum, ne quid naturæ dicamus adverſum; deinde ſi cauſſas ac rationes factis præpoſuerimus, non omnibus, ſed de quibus quæritur; ſi perſonas convenientes iis, quæ facta credi volemus, conſtituerimus, ut *furti reum, cupidum*; *adulterii, libidinoſum*; *homicidii, temerarium*; vel contra, ſi defendemus: præter-
53 ea loca, tempora, et ſimilia. Eſt autem quidam [n] etiam ductus rei credibilis, qualis in comœdiis, et in mimis. Aliqua enim naturaliter ſequuntur et cohærent, ut, ſi bene priora narraveris, judex ipſe, quod poſtea [o] ſis narratu-
54 rus, exſpectet. Ne illud quidem fuerit inutile, ſemina [p] quædam probationum ſpargere: verum ſic, ut narrationem eſſe meminerimus, non probationem. Nonnumquam etiam [q] argumento aliquo confirmabimus, quod propoſuerimus, ſed ſimplici et brevi: ut in veneficiis, *Sanus bibit,*
55 *ſtatim concidit* [r], *livor ac tumor confeſtim eſt inſecutus*. Hoc [s] faciunt et illæ præparationes, cum *reus dicitur robuſtus, armatus, ſolicitus* [t], *contra infirmos, inermes, ſecuros*. Omnia denique, quæ probatione tractaturi ſumus, *perſonam, cauſſam, locum, tempus, inſtrumentum, occaſionem*, narratione
56 delibabimus. Aliquando, ſi deſtituti fuerimus his, etiam fatebimur, *Vix eſſe credibile, ſed verum, et hoc majus habendum ſcelus*; *neſcire nos, quomodo factum ſit, aut quare*; *mi-*
57 *rari, ſed probaturos*. Optimæ vero præparationes erunt, quæ latuerint, ut a Cicerone ſunt quidem utiliſſime prædicta omnia, per quæ *Miloni Clodius, non Clodio Milo inſidiatus* eſſe videatur: plurimum tamen facit illa callidiſſima ſimplicitatis imitatio: *Milo autem, cum in ſenatu fuiſſet eo die, quoad* [u] *ſenatus eſt dimiſſus, domum venit, calceos et veſtimenta mutavit, paulliſper, dum ſe uxor, ut ſit, comparat,*
58 *commoratus eſt*. Quam nihil præparato, nihil feſtinato feciſſe videtur Milo! Quod non ſolum rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras et lentum profectionis ordinem ducit, ſed verbis etiam vulgaribus et quotidianis, et

[n] quidam conductus G. [o] poema G. *ex compendio* poea *ortum* G. [p] ſcientia G. *ex* ſcia. [q] tamen *inſ.* G. Jenſ. [r] occidit G. [s] *Forte leg.* Huc. [t] *om.* G. Jenſ. *et plur. ap. Burm.* [u] quo a ſenatu dimiſſus G. *et al.*

51. *Cicero*] pro Ligar. c. 2. 57. *Milo autem* c. 10.

arte occulta confecutus eſt: quæ ſi aliter dicta eſſent, ſtrepitu ipſum judicem ad [x] cuſtodiendum patronum excitaſſent [y]. Frigida videntur iſta pleriſque: ſed hoc ipſum [z] 59
manifeſtum eſt, quo modo judicem fefellerit [b], quod vix a lectore deprehenditur. Hæc ſunt, quæ credibilem faciunt expoſitionem. Nam ne contraria aut ſibi [c] repugnantia 60
in narratione dicamus, ſi cui præcipiendum eſt, is reliqua [d] fruſtra docetur: etiamſi quidam ſcriptores Artium hoc quoque, tamquam occultum et a ſe prudenter erutum, tradunt. His tribus narrandi virtutibus adjiciunt quidam 61
magnificentiam, quam μεγαλοπρέπειαν vocant, quæ neque in omnes cauſſas cadit, (nam quid in pleriſque judiciis privatis, de re [certa] credita, locato [e] et conducto, interdictis, habere loci poteſt ſupra modum [f] ſe tollens oratio?) nec ſemper eſt utilis, ut vel proximo exemplo Miloniano patet. Et meminerimus, multas eſſe cauſſas, in quibus 62
confitendum, excuſandum, ſubmittendum ſit, quod exponimus: quibus omnibus aliena eſt illa magnificentiæ virtus. Quare non magis proprium narrationis eſt *magnifice dicere*, quam *miſerabiliter*, *invidioſe*, *graviter*, *dulciter*, *urbane*: quæ, cum ſuo [g] quæque [h] loco ſint laudabilia, non ſunt huic parti proprie aſſignata, et velut dedita. Illa 63
quoque ut narrationi apta, ita [i] ceteris partibus communis eſt virtus, quam Theodectes huic uni proprie dedit; non enim magnificam modo vult eſſe, verum etiam *jucundam* expoſitionem. Sunt, qui adjiciant his *evidentiam*, quæ ἐνάργεια Græce vocatur. Neque [k] ego quemquam decepe- 64
rim, ut diſſimulem, Ciceroni quoque plures partes placere. Nam, præterquam *planam*, et *brevem*, et *credibilem*, vult eſſe *evidentem*, *moratam*, *cum dignitate*. Sed in oratione morata debent eſſe omnia cum dignitate, quæ poterunt. *Evidentia* in narratione [l], quantum ego intelligo, eſt quidem magna virtus, cum quid veri non dicendum, ſed quodammodo etiam oſtendendum eſt: ſed ſubjici perſpicui-

[x] deinde patronum G. Jenſ. [y] excitaſſe Jenſ. [z] *Forte* ipſo. *Sic viſum etiam Gallæo et Obr.* [b] fefellerunt G. [c] *om.* G. [d] æque G. Jenſ. [e] locata et conducta Jenſ. [f] materiam G. *non male.* [g] *om.* G. [h] quoque G. *om.* Jenſ. [i] cum *inf.* G. Jenſ. [k] Nec G. Jenſ. [l] oratione G.

58. *ſtrepitu—ad cuſtod.*] *Strepitus* opponitur *occultæ arti*. Judex obſervato illo apparatu eloquentiæ, ſibi metuere incipit, et cavere, ne verba ſibi dentur a Patrono eloquente, quem proinde diligenter obſervat.

61. *de re [certa] credita*] Quid illud *certa* ſibi velit, non intelligere me fateor.

tati poteſt: quam quidam etiam contrariam interim putaverunt, quia in quibuſdam cauſſis obſcuranda veritas eſt [m], 65 quod eſt ridiculum. Nam, qui obſcurare vult, narrat falſa pro veris: in [n] quo debet laborare, ut videantur quam evidentiſſima. Sed quatenus etiam ſorte [o] quadam pervenimus ad difficilius narrationum [p] genus, jam de his loquamur, in quibus res contra nos erit: quo loco nonnulli 66 prætereundam narrationem putaverunt. Et ſane nihil eſt facilius, niſi prorſus totam cauſſam omnino non agere. Sed ſi aliqua juſta ratione hujuſmodi ſuſceperis litem, cujus artis eſt, malam eſſe cauſſam ſilentio confiteri? niſi ſorte tam hebes futurus eſt judex, ut ſecundum id pro- 67 nuntiet, quod ſciet narrare te noluiſſe. Neque infitias eo, in narratione ut aliqua neganda, aliqua adjicienda, aliqua mutanda, ſic aliqua etiam tacenda: ſed tacenda, quæ tacere oportebit, et liberum erit. Quod ſit nonnumquam brevitatis quoque gratia, quale illud eſt, *Reſpondit,* 68 *quod ei viſum eſt.* Diſtinguamus igitur genera cauſſarum. Namque, in quibus non *de culpa* quæritur, ſed *de actione*, etiam ſi erunt contra nos themata, confiteri nobis licebit: *Pecuniam de templo ſuſtulit, ſed privatam: non ideo ſacrilegus eſt. Virginem rapuit, non tamen optio patri dabitur.* 69 *Ingenuum ſtupravit, et ſtupratus ſe ſuſpendit: non tamen ideo ſtuprator capite, ut cauſſa mortis, punietur; ſed decem millia, quæ pœna ſtupratori conſtituta eſt, dabit.* Verum in his quoque confeſſionibus eſt aliquid, quod ex invidia, quam expoſitio adverſarii fecit, detrahi poſſit, cum etiam ſervi 70 noſtri de peccatis ſuis mollius loquantur. Quædam enim quaſi non narrantes mitigabimus: *Non quidem* (ut adverſarius dicit) *conſilium furti in templum* [q] *attulit, nec diu captavit ejus rei tempus: ſed occaſione et abſentia cuſtodum corruptus, et pecunia, quæ nimium quam* [r] *in animis hominum poteſt, victus eſt. Sed quid refert? peccavit, et fur eſt: ni-* 71 *hil attinet id defendere, cujus pœnam non recuſamus.* Interdum quaſi damnemus ipſi: *Vis te dicam vino impulſum? errore lapſum? nocte deceptum? vera ſunt iſta fortaſſe: tu tamen ingenuum ſtupraſti, ſolve decem millia.* Nonnumquam propoſitione præmuniri [s] poteſt cauſſa, et deinde ex-

[m] *om.* G.
[n] et in iis quæ narrat, G. Jenſ.
[o] forte Jenſ. *et al.*
[p] narrationis G. G. Jenſ.
[q] templo G. Jenſ.
[r] *om. iid.*
[s] præparari

68. *optio patri*] Stupratæ datur optio eligendi mortem raptoris aut nuptias. Sed patri hic nihil tribuunt leges.

poni. Contraria ſunt omnia tribus filiis, qui in mortem 72
patris conjurarant; ſortiti nocte ſinguli per ordinem cum
ferro cubiculum intrarunt[t], patre dormiente: cum occidere
eum nemo potuiſſet, excitato omnia indicarunt[u]. Si ta-
men pater, qui diviſit patrimonium, et reos parricidii de-
fendit, ſic agat: *Quod contra legem ſufficit, parricidium ob-* 73
jicitur juvenibus, quorum pater vivit, atque etiam liberis ſuis
adeſt: ordinem rei narrare quidem nihil neceſſe eſt, cum ad
legem nihil pertineat: ſed ſi confeſſionem meæ culpæ exigitis,
ego fui pater durus, et patrimonii, quod jam melius ab his
adminiſtrari poterat, tenax cuſtos. Deinde ſubjicitur, *Sti-* 74
mulatos ab iis, quorum indulgentiores parentes erant; ſemper
tamen eum habuiſſe animum, qui ſit eventu deprehenſus, ut
occidere patrem non poſſent. Nec enim jurejurando opus fu-
iſſe[x], *ſi alioqui hoc mentis habuiſſent; nec ſorte, niſi quod ſe*
quiſque eximi voluerit. Omnia hæc qualiacumque placi-
dioribus animis accipientur, illa brevi primæ propoſitionis
defenſione mollita. At cum quæritur, *An factum ſit?* 75
vel, *Quale factum ſit?* licet omnia contra nos ſint, quo
modo tamen evitare expoſitionem ſalva cauſſæ ratione poſ-
ſumus? Narravit accuſator, nec ita, ut, quæ[z] eſſent acta,
tantum indicaret; ſed adjecit invidiam, rem verbis exaſ-
peravit: acceſſerunt probationes, peroratio incendit, et
plenos iræ reliquit. Exſpectat naturaliter judex, quid 76
narretur a nobis. Si nihil exponimus, illa eſſe, quæ ad-
verſarius dixit, et talia, qualia dixit, credat neceſſe eſt.
Quid ergo? eadem exponemus? Si de qualitate agetur,
cujus tum demum quæſtio eſt, cum de re conſtat, eadem,
ſed non eodem modo: alias cauſſas, aliam[a] rationem da-
bo. Verbis elevare quædam licebit: *luxuria hilaritatis,* 77
avaritia parſimoniæ, negligentia ſimplicitatis nomine lenie-
tur. Vultu denique, voce, habitu, vel favoris aliquid, vel
miſerationis merebor. Solet nonnumquam movere lacri-
mas ipſa confeſſio. Atque ego libenter interrogem, Sint- 78
ne illa defenſuri, quæ non narraverint, necne? Nam ſi
neque defenderint, neque narraverint, tota cauſſa prode-
tur: at ſi defenſuri ſunt, proponere certe plerumque id,
quod confirmaturi ſumus, oportet. Cur ergo non expo-
namus, quod et dilui poteſt, et ut hoc contingat, utique
indicandum eſt? Aut quid inter *probationem* et *narratio-* 79
nem intereſt, niſi quod narratio eſt probationis continua

[t] intraverunt *iid.* [u] indicaverunt *iid.* [x] fuiſſet *iid.* [z] quæque G. Jenſ. [a] atque aliam *iid.*

propositio, rursus probatio narrationi congruens confirmatio? Videamus ergo, num [b] expositio hæc longior demum esse debeat, et paullo verbosior præparatione, et quibusdam argumentis: argumentis [c] dico, non *argumentatione*: cui tamen plurimum confert frequens affirmatio, *Effecturos nos, quod* [d] *dicimus: non posse vim rerum ostendi prima expositione: exspectent, et opiniones suas differant: et bene spe-*
80 *rent.* Denique narrandum est utique, quidquid aliter, quam adversarius exposuit, narrari potest, aut eo etiam proœmia sunt in his caussis supervacua: quæ quid magis agunt, quam ut cognitioni rerum accommodatiorem judicem faciant? Atqui constat [e], nusquam eorum esse majorem usum, quam ubi animus judicis ab aliqua contra nos
81 insita opinione flectendus est. *Conjecturales* autem caussæ, in quibus de facto quæritur, non tam sæpe rei, de qua judicium est, quam eorum, per quæ res colligenda est, expositionem habent. Quæ cum accusator suspiciose narret, reus levare suspicionem debeat: aliter ab hoc atque
82 ab illo ad judicem perferri oportet. At enim quædam argumenta turba valent, diducta leviora sunt. Id quidem non eo pertinet, ut quæratur, *An narrandum?* sed, *Quo modo narrandum sit?* Nam [f] congerere plura expositione quid [g] prohibet, si id utile est caussæ, et promittere? sed et dividere narrationem, et probationem [h] subjungere
83 partibus, atque ita transire ad sequentia? Nam ne iis quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum: sed eo modo [i], quo expedit. Quod

[b] unde G. [c] *om.* G. Jens. *et al.* [d] quidem *iid.* [e] constabit *iid.*
[f] et *inf. iid.* [g] quis *iid.* [h] probationes *iid.* [i] narrare *inf.* G. Jens.

79. *longior demum*] Non negligenda hic vis est adverbii *demum*, quæ ad asseverandum augendumque pertinet. Si aliæ narrationes breviores esse possunt, hæc maxime, de qua nunc agitur; ubi contra nos jam narratum est, longior esse debet ac verbosior, quippe in qua *præparatione* etiam opus sit, et quibusdam *argumentis*, h. e. ut s. 54. dicebat, *sparsis probationum seminibus*. Quemadmodum vero ibi subjunxit, *Verum sic, ut narrationem esse meminerimus, non probationem:* ita hic simili restrictione utitur, *Argumentis dico, non argumentatione*, formali nempe, quam vocarent scholastici. (vid. quæ dicemus ad s. 108.) Interim subjungendæ paullo post argumentationi *plurimum confert*, si inter ipsam narrationem jam *frequenter affirmemus, Effecturos*, demonstraturosque *nos, quod* nude modo *dicimus*. Labore nonnullo nobis constitit hic locus: quod sentiet, si quis eum, ut nunc interpunctus, et literarum genere distinctus, explicatusque est, cum superioribus editionibus conferre velit.

fieri plurimis figuris licet. Nam et aliquando excidiſſe ſimulamus, cum quid utiliore loco reducimus : et interim nos reducturos reliquum ordinem teſtamur, quia ſic futura ſit cauſſa lucidior. Interim re expoſita, ſubjungimus cauſ- 84
ſas, quæ anteceſſerunt. Nec enim eſt una lex defenſionis, certumque præſcriptum : pro re, pro tempore intuenda, quæ profint ; atque ut erit vulnus, ita vel curandum protinus, vel, ſi curatio differri poteſt, interim deligandum. Nec ſæpius narrare duxerim[l] nefas, quod Cicero pro Clu- 85
entio fecit : eſtque non conceſſum modo, ſed aliquando etiam neceſſarium, ut in cauſſis repetundarum, omnibuſque, quæ ſimplices non ſunt. AMENTIS eſt enim, ſuperſtitione præceptorum contra rationem cauſſæ trahi. Narrationem ideo ante probationes ponere eſt inſtitutum, 86
ne judex, qua de re quæratur, ignoret. Cur igitur, ſi ſingula probanda aut refellenda erunt, non ſingula etiam narrentur ? Me certe, quantacumque noſtris experimentis habenda eſt fides, feciſſe hoc in foro, quoties[m] ipſa deſiderabat utilitas, probantibus et eruditis, et iis, qui judicabant, ſcio : et (quod non arroganter dixerim, quia ſunt plurimi, quibuſcum egi, qui me refellere poſſint, ſi mentiar) fere ponendæ a me cauſſæ officium exigebatur. Ne- 87
que ideo tamen non ſæpius facere oportebit, ut rerum ordinem ſequamur. Quædam vero etiam turpiter convertuntur : ut ſi *peperiſſe* narres, *deinde conceperiſſe* ; *apertum teſtamentum, deinde ſignatum :* in quibus ſi id, quod poſterius eſt, dixeris, de priore tacere optimum eſt. Sunt 88
quædam et falſæ expoſitiones, quarum in foro duplex eſt genus : alterum, quod inſtrumentis adjuvatur, ut Publius Clodius fiducia teſtium, qua nocte inceſtum Romæ commiſerat, Interamnæ ſe fuiſſe dicebat : alterum, quod eſt tuendum dicentis ingenio. Id interim ad ſolam verecundiam pertinet, unde etiam mihi videtur dici *Color :*

[l] dixerim *iid.* [m] aliter *inf.* G.

88. *ad ſolam verecundiam*] Pudoris cuſtodiam, ut res dictu turpes narratione aliquantum deflexæ, vel averſæ, aut velo quaſi involutæ, minus turpes videantur ; qui in ſchola rhetorum *color* ſæpe dicitur, cujus hic velut locus claſſicus eſt. Huc forte reſpiciens noſtrum Fabium provocat Juven. 6, 280. *Dic aliquem, ſodes, dic, Quinctiliane, colorem.* Sic ſumitur in hoc ipſo opere 6, 5, 5. 7, 1, 40. Eleganter 11, 1, 81. *Quod ſi nulla contigerit excuſatio, ſola colorem habet pœnitentia.* In declamationibus id nimis frequens. Vid. v. g. 12, 21, 16, 1. extr. it. Declam. 363.

89 interim ad quæſtionem. Sed utrumcumque erit, prima ſit curarum, ut id, quod fingimus, fieri poſſit: deinde, ut et perſonæ, et loco, et tempori congruat; et credibilem rationem et ordinem habeat; ſi [n] continget etiam, veræ alicui rei cohæreat; aut argumento, quod ſit in cauſſa, confirmetur. Nam quæ tota extra rem petita ſunt, men-
90 tiendi licentiam produnt. Curandum præcipue, (quod fingentibus frequenter accidit) ne qua inter ſe pugnent: quædam enim partibus blandiuntur, ſed in ſummam non conſentiunt: præterea, ne iis, quæ vera eſſe conſtabit, adverſa ſint: in ſchola etiam, ne color extra themata
91 quæratur. Utrobique autem orator meminiſſe debebit actione tota, quid finxerit, quoniam ſolent excidere, quæ falſa ſunt: verumque eſt illud, quo vulgo dicitur, MEN-
92 DACEM memorem eſſe oportere. Sciamus autem, ſi de noſtro facto quæratur, unum nobis aliquid eſſe dicendum: ſi de alieno, mittere in plurimas ſuſpiciones licere. Eſt tamen quibuſdam ſcholaſticis controverſiis, in quibus ponitur, aliquem non reſpondere, ad quæ interrogatur, li-
93 bertas omnia enumerandi, quæ reſponderi potuiſſent. Fingenda vero meminerimus ea, quæ non cadent in teſtem: ſunt autem, quæ [o] noſtro dicuntur animo, cujus ipſi tantum conſcii ſumus: item quod a defunctis; nec hoc enim eſt, qui neget: itemque ab eo, cui idem expediet; is enim non negabit: ab adverſario quoque; quia non eſt
94 habiturus in negando fidem. Somniorum et ſuperſtitionum colores ipſa jam facilitate auctoritatem perdiderunt. Non eſt autem ſatis in narratione uti coloribus, niſi per totam actionem conſentiant: cum præſertim quorumdam

[n] ſic G. [o] qui G. *Forte leg.* quæ de noſtro d. a. *vel* ex noſtro, *quod viſum Burm.*

91. *ſolent excidere, quæ falſa*] Memoriam juvant et continent tempus, locus in primis, ac tota ſeries rei cum cæteris vel præcedentibus vel conſequentibus connexa. Hæc omnia cum ſecus ſe habeant in ficto a nobis mendacio non minus quam in pleriſque ſomniis, hinc fit, ut difficile et rarum ſit ea immutata retinere. Igitur rari ſunt et pauci, quos æquus amavit Mercurius aut Laverna Diva, qui mentiri poſſint, quod non modo ipſi credant, ſed etiam tueri apud perſpicaces quæſitores poſſint.

93. *quæ noſtro dicuntur*] Præpoſitionem deſiderari, ſupra adnotatum. Sed videtur etiam participium deeſſe, certe in his, quæ ſequuntur, *quod a defunctis, ab eo cui idem expediet, ab adverſario*: in his enim *factum* vel ſimile quid poſtulari, manifeſtum eſt: niſi tamen ut *ſolvere ab aliquo*, eſt ex illius arca ſolvere, ſic *fingere ab aliquo*, eſt mentiri quod ipſum dicamus feciſſe.

probatio sola sit in *assèveratione* [p] et *perseverantia*. Ut 95
ille parasitus, qui ter abdicatum a divite juvenem, et absolutum, tamquam suum filium asserit, habebit quidem colorem, quo dicat, et paupertatem sibi caussam exponendi fuisse; et ideo a se parasiti personam esse susceptam, quia in illa domo filium haberet; et ideo illum innocentem ter abdicatum, quia filius abdicantis non esset. Nisi tamen 96
omnibus verbis et amorem patrium, atque hunc quidem ardentissimum ostenderit, et odium divitis, et metum pro juvene, quem periculose mansurum in illa domo, in qua tam invisus sit, sciat: suspicione subjecti petitoris non carebit. Evenit aliquando in scholasticis controversiis, quod in foro 97
an possit accidere, dubito, ut eodem colore utraque pars utatur, deinde eum pro se quisque [q] defendat: ut in illa controversia: *Uxor marito dixit, appellatam se de stupro a* 98
privigno, et sibi constitutum tempus, et locum: eadem contra filius detulit de noverca, edito tantum alio tempore, ac loco: pater in eo, quem uxor prædixerat, filium invenit; in eo, quem filius, uxorem: illam repudiavit: qua tacente, filium 99
abdicat. Nihil dici potest pro juvene, quod non idem sit pro noverca. Ponentur tamen etiam [r] communia: dein- 100
de ex personarum comparatione, et indicii ordine, et silentio repudiatæ, argumenta ducentur. Ne illud quidem ignorare oportet, quædam esse, quæ *colorem* non recipiant, sed tamen defendenda sint: qualis est ille dives, qui statuam pauperis inimici flagellis cecidit, reus est injuriarum: nam factum ejus modestum esse nemo dixerit: fortasse, ut sit tutum, obtinebit. Quod si pars expositionis 101
pro nobis, pars contra nos erit; miscenda sit, an separanda narratio, cum ipsa caussæ conditione deliberandum est. Nam si plura sunt, quæ nocent; quæ prosunt, obruentur. Itaque tunc [s] dividere optimum erit, et iis, quæ partem nostram adjuvabunt, expositis et confirmatis, adversus reliqua uti remediis, de quibus supra dictum est. Si plura 102

[p] affectutione G. [q] quæque G. *ut referatur ad* partem. [r] omnia *inf.* G. Jens. [s] nunc G. Jens.

95. *absolutum*] A patris potestate, ut jam retrahi invitus non magis possit, quam post trinam illam venditionem sive veram, sive in emancipatione imaginariam.

98. *qua tacente*] Quo ipso silentio videtur non de sua tantum culpa fateri, sed invidiam etiam facere vel veram vel falsam suo privigno.

100. *ut sit tutum*] Ut impune illud auferat dives, culpa in subitam iram, ebrietatem &c. conjecta.

proderunt, etiam conjungere licebit: ut, quæ obſtant in medio, velut auxiliis noſtris poſita minus habeant virium: quæ tamen non erunt nuda ponenda, ſed ut et noſtra aliqua argumentatione firmemus; et diverſa cur credibilia non ſint, adjiciamus: quia, niſi diſtinxerimus, verendum
103 eſt, ne bona noſtra permixtis malis inquinentur. Illa quoque de narratione præcipi ſolent, ne qua ex ea fiat *excurſio*: ne *avertatur* a judice *ſermo*; ne *alienæ perſonæ* vocem demus; ne *argumentemur*: adjiciunt quidam etiam, ne utamur *affectibus*: quorum pleraque ſunt frequentiſſime cuſtodienda: immo numquam, niſi ratio coegerit,
104 mutanda. Ut ſit expoſitio perſpicua et brevis, nihil quidem[t] tam raro poterit habere rationem, quam *excurſio*: nec umquam debebit eſſe, niſi brevis, et talis, ut vi qua-
105 dam videamur affectus[u] velut recto itinere depulſi: qualis eſt Ciceronis circa nuptias Saſſiæ, *O mulieris ſcelus incredibile, et præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam et indomitam! O audaciam ſingularem! non*[x] *timuiſſe, ſi minus vim deorum, hominumque famam, at illam ipſam noctem, faceſque*[z] *illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos, ſuperiorum teſtes*
106 *nuptiarum? Sermo averſus* a judice et brevius[a] indicat interim, et coarguit magis: qua de re idem, quod de proœmio dixeram, ſentio, ſicut de *proſopopœia* quoque: qua tamen non Servius modo Sulpicius utitur pro Auſidia, *Somnone te languidum, an gravi lethargo putem*[b] *preſſum?* ſed[c] M. quoque Tullius circa navarchos: nam ea quoque

[t] enim G. [u] affecti G. [x] nonne G. [z] faſceſque G. Jenſ.
[a] brevis *iid.* [b] puto G. [c] et G.

102. *in medio, velut auxiliis*] *Auxilia* apud Romanos locantur in cornibus. Si auxilia infirma ſint, ſuſpecta, vel inimica adeo, media acies ſummo in periculo verſatur, et velut conſtricta proditur hoſtibus. Præcipit igitur Fabius, ut ea, quæ obſtant, in media locentur acie in auxiliis, h. e. inter auxilia, quibus utrinque contineri poſſint, et, ne noceant, impediri. Poſſent etiam auxilia noſtra intelligi, aciem adverſam utrinque complexa &c. Sed prius magis placet. Nec vehementer opus eſt conjectura Regii, qui vclebat, *in mediis velut auxiliis* &c.

103. *Illa quoque de narratione*] Curavimus hic, ut ſæpe alias, efficere typorum differentia, ut membris propoſitis ſuam deinde reſpondere exegeſin appareat: interpunctionem etiam mutavimus. Nam ita legebatur: *immo numquam, niſi ratio coegerit, mutanda: ut ſit expoſitio perſpicua et brevis. Nihil quidem* &c.

105. *Ciceronis*] Pro Cluent. c. 6.

106. *de proœmio dixeram*] 4, 1, 63. ſqq.

106. *circa navarchos*] In Verr. 5, 45.

rei expositio est, *Ut adeas, tantum dabis*, et reliqua. Quid? pro Cluentio, Staleni Bulbique colloquium non- 107
ne ad celeritatem plurimum et ad fidem confert? Quæ ne feciſſe fine [d] obſervantia quadam videatur, quamquam hoc in illo credibile non eſt, in Partitionibus præcipit, ut habeat narratio *ſuavitatem, admirationes, exſpectationes, exitus inopinatos, colloquia perſonarum, omnes affectus*. *Argumen-* 108
tabimur in [e] narratione, ut dixi, numquam: argumentum [f] ponemus aliquando, quod facit pro Ligario Cicero, cum dicit, ſic eum provinciæ præfuiſſe, ut illi pacem eſſe expediret. Inferemus expoſitioni et brevem, cum res poſcet, defenſionem, et rationem factorum. Nec enim narran- 109
dum eſt tamquam teſti, ſed tamquam patrono. Rei ordo per ſe talis eſt, *Q. Ligarius legatus in Africam cum C. Conſidio* [g] *profectus eſt*. Quid ergo Marcus Tullius? *Q. enim*, inquit, *Ligarius, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam cum C. Conſidio profectus eſt*. Alibi, *Non modo* 110
nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpicionem belli. Et cum eſſet indicaturo ſatis, *Q. Ligarius nullo ſe implicari negotio paſſus eſt*, adjecit, *Domum ſpectans, et ad ſuos redire cupiens*. Ita, quod exponebat, et ratione fecit credibile, et *affectus* quoque implevit. Quo magis miror 111
eos, qui non putant in [h] narratione eſſe utendum affectibus. Qui ſi hoc dicunt, non diu, nec ut in epilogo, me-

[d] in obſervantia Jenſ. *et Almel. quod rectum puto, et certius illo Sueto. c. 26.* ſine obſervatione G. *et al. ap. Burm.* [e] in narratione *om.* G. [f] argumenta G. [g] *Sic etiam G. vid. Burm. epiſt. p. 39.* [h] utendum in narratione affectibus G. Jenſ.

107. *ad celeritatem*] Multo celerius breviuſque totum illud negotium apparet, ipſo Staleni Bulbique colloquio propoſito, quam ſi indirecta narratione propoſiti illorum ſermones eſſent: deinde in rem quaſi præſentem ſic deducti auditores, et fides facta plenior, auditis ipſis eorum verbis.

107. *in Partitionibus*] c. 9. *Suavis narratio eſt, quæ habet admirationes, exſpectationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates.*

108. *ut dixi*] Supra ſ. 79. ubi etiam, quid intereſſet inter *argumentum* et *argumentationem*, dictum eſt. *Argumentum ponit*, ſi ſcholaſtice loqui placeat, qui medium terminum ſuppeditat: *argumentatur*, qui facit ſyllogiſmum. Sic pro Ligario Cicero c. 2. narrat, eum *in provincia pacatiſſima ita ſe geſſiſſe, ut ei pacem eſſe expediret*. Hoc *argumentum* eſt, et medius terminus. *Argumentatio* erit, ſi ita dicas, *Cui expedit pacem eſſe, ille non eſt auctor belli, Atqui Ligario* &c.

110. *affectus*] Miſericordiæ, ex eo, quod animo obverſaretur vir bonus, patriæ et ſuorum amantiſſimus, dum vitat negotia, dum ad ſuos properat, maximis moleſtiis atque periculis implicitus.

cum ſentiunt: effugiendæ ſunt enim moræ. Ceterum cur ego judicem nolim, dum eum doceo, etiam moveri?
112 Cur, quod in ſumma parte ſum actionis petiturus, non in primo ſtatim rerum ingreſſu, ſi fieri poteſt, conſequar? cum præſertim etiam in probationibus faciliore ſim animo
113 ejus abuſurus, occupato vel ira, vel miſeratione. An non Marcus Tullius circa verbera civis Romani omnes breviſſime movet affectus, non ſolum conditione ipſius, loco injuriæ, genere verberum, ſed animi quoque commendatione? Summum enim virum oſtendit, qui, *cum virgis cæderetur, non ingemuerit, non rogaverit; ſed tantum civem ſe Romanum eſſe*, cum invidia cædentis, et fiducia juris cla-
114 maverit. Quid? Philodami caſum nonne cum per totam expoſitionem incendit invidia, tum in ſupplicio ipſo lacrimis implevit, cum flentes non tam narraret, quam oſten-
115 deret, *patrem de morte filii, filium de patris?* Quid ulli epilogi poſſunt habere [i] miſerabile magis? Serum eſt enim, advocare iis rebus affectum in peroratione, quas ſecurus narraveris [k]: aſſuevit illis judex, jamque eas ſine motu mentis accipit, quibus commotus novis [l] non eſt: et diffi-
116 cile eſt [m] mutare habitum animi ſemel conſtitutum. Ego vero (neque enim diſſimulabo judicium meum, quamquam id, quod ſum dicturus, exemplis magis, quam præceptis ullis, continetur) narrationem, ut ſi ullam partem orationis, omni, qua poteſt, gratia et venere exornandam puto. Sed plurimum refert, quæ ſit natura ejus rei, quam
117 exponimus. In parvis ergo, quales ſunt fere privatæ, ſit ille preſſus, et velut applicitus rei cultus: in verbis ſumma diligentia, quæ in locis impetu feruntur, et circumjectæ orationis copia latent; hic expreſſa, et, ut vult Zeno, *ſenſu tincta eſſe* debebunt: compoſitio diſſimulata qui-

[i] magis habere miſerabile *iid.* vus G. [k] narravit G. narraveris Jenſ. [l] novis [m] nobis *inf.* G. Jenſ.

112. *abuſurus*] H. e. in rem meam ſtreme uſurus: quam notionem eſſe hujus verbi, plurimis optimorum ſcriptorum verbis in Fabriano Theſauro demonſtratum eſt.

113. *Summum enim virum oſtendit*] Gavium Coſanum in Verr. 5, 62. ſq.

114. *Philodami caſum*] In Verr. 1, 30.

117. *in locis*] Communibus puta, ubi argumentum aliquod varie tractatur exornaturque.

117. *ſenſu tincta*] Advocavit hic Gallæus illud, quod ex antiquioribus narrat Iſidorus Orig. 2, 27. *Ariſtoteles, quando περὶ ἑρμηνείας ſcribitabat, calamum in mente tingebat*: quod Suidas etiam retulit, ὅτι Ἀριστοτέλης τῆς φύσεως γραμματεὺς ἦν, τὸν κάλαμον ἀποβρέχων εἰς νοῦν. De Zenone, auctore formulæ, quam laudat noſter, facilius forte quæri poteſt, quam certi quidquam ſtatui.

dem, sed tamen quam jucundissima: figuræ, non illæ po- 118
eticæ, et contra finem [n] loquendi auctoritate veterum re-
ceptæ, (nam debet esse quam purissimus sermo) sed quæ
varietate tædium effugiant [o], et mutationibus animum le-
vent: ne in eumdem casum, similem compositionem [p],
pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim ceteris
lenociniis expositio, et, nisi commendetur hac venustate,
jaceat necesse est. Nec in ulla parte intentior est judex: 119
eoque nihil recte dictum perit. Præterea, nescio quomo-
do, etiam credit facilius, quæ audienti jucunda sunt, et
voluptate ad fidem [q] ducitur. Ubi vero major res erit, et 120
atrocia invidiose, et tristia miserabiliter dicere decebit:
non, ut consumantur affectus, sed, ut tamen velut primis
lineis designentur: ut plane, qualis futura sit imago rei,
statim appareat. Ne sententia quidem velut fatigatum 121
intentione stomachum judicis reficere diffuaserim, maxime
quidem brevi [r] interjecta [s], qualis est illa, *Fecerunt servi*
Milonis, quod suos quisque servos in re tali facere voluisset:
interim paullo liberiore, qualis est illa, *Nubit genero socrus,*
nullis auspiciis, nullis auctoribus, funestis ominibus [t] *omnium.*
Quod cum sit factum iis quoque temporibus, quibus om- 122
nis ad utilitatem potius, quam ad ostentationem, compo-
nebatur oratio, et erant adhuc severiora judicia: quanto
nunc faciendum magis, cum in ipsa capitis aut fortunarum
pericula irrupit voluptas? Cui hominum desiderio quan-
tum dari debeat, alio loco dicam. Interim aliquid in-
dulgendum esse confiteor. Multum confert adjecta veris 123
credibilis rerum imago, quæ velut in rem præsentem per-
ducere audientes videtur: qualis est illa M. Cœlii in

[n] fidem G. Jens. *et al. ap. Burm. contra eadem permutat* Jens. *p. p. sub* q. [o] effugiat—levet G. Jens. [p] expositionem *iid.* [q] finem Jens. *vid. p. d. sub* n. [r] breviter G. [s] interjectione Jens. [t] omnibus G. Jens.

118. *contra finem loquendi*] Potest hoc intelligi. *Finis loquendi* est, ut intelligamur: figuræ quædam poeticæ obscurant et impediunt intellectum. Sed magis tamen appositum videtur alterum illud *fidem*, h. e. certam constantemque et inter se consentientem loquentium auctoritatem.

121. *ominibus omnium*] Ultimam vocem apud Ciceronem delevit e MSS. Grævius. Sententiæ quidem non repugnat, siquidem *omina* pro votis sumas: et est in omnibus, quod sciam, Fabii libris.

122. *irrupit voluptas*] Aurium puta, quod de centumviris dicit 4, 1, 57. Similis querela deinde 4, 3, 2. Verum add. 8, 3, 5. sqq. ad quem locum hic forte respicit.

123. *M. Cœlii*] Amici illius Ciceronis, ad quem et a quo est liber

Antonium descriptio, *Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare, præclarasque contubernales ab omnibus spondis*[u]
124 *transversas incubare, et reliquas*[x] *circumjacere passim: quæ tamen exanimatæ terrore, hostium adventu percepto, excitare Antonium conabantur: nomen inclamabant: frustra cervicibus tollebant: blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat: quarum cum omnium vocem tactumque noscitaret*[z]*, proximæ cujusque collum amplexu petebat; neque dormire excitatus, neque vigilare ebrius poterat; sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumque jactabatur.* Nihil his neque credibilius fingi, neque vehemen-
125 tius[a] exprobrari, neque manifestius ostendi potest. Ne illud quidem præteribo, quantam afferat fidem expositioni narrantis auctoritas: quam mereri debemus ante omnia quidem vita, sed et ipso genere orationis: quod quo fuerit gravius, sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirman-
126 do quoque ponderis. Effugienda igitur in hac præcipue parte omnis calliditatis suspicio: (neque enim se usquam custodit magis judex) nihil videatur fictum, nihil solicitum: omnia potius a caussa, quam ab oratore profecta
127 credantur. Sed hoc pati non possumus, et perire artem putamus, nisi appareat[b]: cum DESINAT ars esse, si apparet. Pendemus ex laude, atque hanc laboris nostri ducimus summam. Ita, quæ circumstantibus ostentare volu-
128 mus, judicibus prodimus. Est et quædam *repetita narratio*, quæ ἐπιδιήγησις dicitur, sane res *declamatoria* magis, quam *forensis*; ideo autem reperta, ut, quia narratio brevis esse debet, fusius et ornatius res posset exponi: quod fit vel invidiæ gratia, vel miserationis. Id raro faciendum judico, neque sic umquam, ut totus ordo repetatur: licet enim per partes idem consequi. Ceterum, qui uti ἐπιδιηγήσει volet, narrationis loco[c] rem stringat, et contentus indicare, *quid factum*[d] *sit*; *quo sit modo factum*, plenius se
129 loco suo expositurum esse promittat. Initium narrationis quidam utique faciendum a persona putant, eamque, si nostra sit, ornandam; aliena, infamandam statim. Hoc sane frequentissimum est, quia personæ sunt, inter quas litiga-

[u] versas *inf. V. C. ap. Barth.* 14, 18. [x] reliquias temulentiæ *id.* [z] dignoscitaret *id.* [a] violentius G. [b] apparet G. [c] rem loco *editum. Sed videbatur durius, h. e. non Fabianum.* [d] facti G.

VIII ejus epistolarum, elogium autem in Bruto c. 79. quod hoc loco præclare confirmatur.

tur. Sed hæ quoque interim cum ſuis accidentibus po- 130
nendæ, cum id profuturum eſt: ut, *A. Cluentius Habitus fuit pater hujuſce, Judices, homo non ſolum municipii Larinatis, ex quo erat, ſed etiam regionis illius et vicinitatis, virtute, exiſtimatione, nobilitate facile*[e] *princeps:* interim ſine his: 131
ut, *Q. Ligarius cum eſſet:* frequenter vero et a re: ſicut pro Tullio Cicero, *Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum:* Demoſthenes pro Cteſiphonte, Τῇ γὰρ Φωκαϊκῇ συμάντος πολέμῳ. De fine narrationis cum his con- 132
tentio eſt, qui perduci expoſitionem volunt eo, unde quæſtio oritur: *His rebus ita geſtis, P. Dolabella prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, de vi, hominibus armatis, ſine ulla exceptione: tantum ut, unde dejeciſſet, reſtitueret*[f]*: reſtituiſſe ſe dixit: ſponſio facta eſt: hac de ſponſione vobis judicandum eſt.* Id a petitore ſemper fieri poteſt, a defenſore non ſemper.

III. Ordine ipſo narrationem ſequitur *confirmatio.* Probanda ſunt enim, quæ propter hoc expoſuimus. Sed priuſquam ingrediar hanc partem, pauca mihi de quorumdam opinione dicenda ſunt. Pleriſque moris eſt, prolato[g] rerum ordine, protinus utique in aliquem lætum ac plauſibilem locum, quam maxime poſſint favorabiliter, excurrere. Quod quidem natum ab oſtentatione declamatoria, 2
jam in forum venit, poſtquam agere cauſſas non ad utilitatem litigatorum, ſed ad patronorum jactationem repertum eſt: ne, ſi preſſæ illi (qualis ſæpius deſideratur) narrationis gracilitati conjuncta argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicendi voluptatibus oratio refrigeſcat. In quo vitium illud eſt, quod ſine diſcrimine cauſſa- 3
rum atque utilitatis hoc, tamquam ſemper expediat, aut etiam neceſſe ſit, faciunt: eo quod deſumtas ex his partibus, quarum alius erat locus, ſententias in hanc congerunt, ut plurima aut iterum dicenda ſint, aut, quia[h] alieno loco dicta ſunt, dici ſuo non poſſint. Ego autem con- 4
fiteor, hoc exſpatiandi genus non modo narrationi quidem, ſed etiam quæſtionibus vel univerſis, vel interim ſingulis, opportune poſſe ſubjungi, cum res poſtulat, aut certe permittit; atque eo vel maxime illuſtrari ornarique orationem: ſed, ſi cohæret et ſequitur; non, ſi per vim

[e] *om.* G. [f] deinde *inſ.* G. Jenſ. [g] perlato G. [h] alia *inſ.* G. Jenſ.

132. *His rebus ita*] Cic. pro Cæci. c. 8.

5 cuneatur[i], et, quæ natura juncta erant, distrahit. Nihil enim tam est consequens, quam narrationi probatio: nisi si excursus ille vel quasi finis narrationis, vel quasi initium probationis est. Erit ergo illi nonnumquam locus: ut, si expositio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam vel-
6 ut[l] spiritu erumpente protinus indignatione. Quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit: alioqui prius est, quod objicias, verum efficere, quam magnum: quia criminis invidia pro reo est, priusquam probatur: difficillima est enim gravissima cujusque sceleris
7 fides. Idem fieri non inutiliter potest, ut, si merita in adversarium aliqua exposueris, in ingratum inveharis: aut, si varietatem criminum narratione demonstraveris, quan-
8 tum ab ea periculum intentetur, ostendas. Verum hæc breviter omnia. Judex enim, ordine audito, festinat ad probationem, et quam primum certus esse sententiæ cupit. Præterea cavendum est, ne ipsa expositio vanescat,
9 aversis in aliud animis et inani mora fatigatis. Sed ut, non semper est necessaria post narrationem illa procursio, ita frequenter utilis ante quæstionem præparatio: utique, si prima specie minus erit favorabilis; si legem asperam tuebimur; aut pœnarias actiones inferemus: est hic locus velut sequentis exordii[m], ad conciliandum probationibus nostris judicem[n]. Quod quo liberius, hoc et vehemen-
10 tius fieri potest, quia judici nota jam causa est. His igitur velut fomentis, si quid erit asperum, præmolliemus, quo facilius aures judicum, quæ post dicturi erimus, ad-
11 mittant, ne jus nostrum oderint. NIHIL enim facile persuadetur invitis. Quo loco tamen judicis quoque noscenda natura est, juri magis, an æquo sit appositus? pro-

[i] contineat G. conetur Jens. cuneatur *restituit* Obr. [l] velut irrumpente G. [m] exordium G. [n] judicem, mitigandum, concitandum. Quod liberius fieri potest G.

5. *velut spiritu erumpente*] Nihil deesse arbitror. *Indignatio erumpit velut spiritus*, retentus puta, vel sternutatione incitatus et excussus, ut illius apud fullonem adulteri sub cavea sulphurata latentis, apud Apul. Met. 9. p. 194. Pric. vel Petroniani (c. 98.) *sub culcita Gitonis, qui collectione spiritus plenus ter clarum sternutavit.*

6. *criminis invidia pro reo est*] Præclare hunc locum tractavit Tullius in causa parricidii pro Rosc. Am. c. 22. sqq. quem ita concludit c. 24. *Pene dicam, respersas manus sanguine paterno judices videant, oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum, creditum sint.*

9. *sequentis exordii*] alterius novi. Sic utitur 4, 5, 13. 5, 7, 5.

inde enim magis aut minus erit hoc neceſſarium. Ceterum res eadem et poſt quæſtionem perorationis vice fungitur. Hanc partem παρέκβασιν Græci vocant, Latini 12
egreſſum vel *egreſſionem*. Sed hæ ſunt plures, ut dixi, quæ per totam cauſſam varios habent excurſus: ut *laus hominum locorumque*, ut *deſcriptio regionum*, *expoſitio quarumdam rerum*, non [o] ſolum geſtarum, ſed etiam fabuloſarum. Quo 13
ex genere eſt in orationibus contra Verrem compoſitis *Siciliæ laus*, *Proſerpinæ raptus*; pro C. [p] Cornelio *popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio*: in quam ille divinus orator, velut nomine ipſo ducis curſus dicendi teneretur, abrupto, quem inchoaverat, ſermone, devertit actutum [q]. Παρέκβασις eſt (ut mea quidem fert opinio) *alienæ* 14
rei, ſed ad utilitatem cauſſæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Quapropter non video, cur hunc ei potiſſimum locum aſſignent, qui rerum ordinem ſequitur; non magis quam illud, cur hoc ita demum proprium putent, ſi aliquid in digreſſu ſit exponendum, cum tot modis a recto itinere declinet oratio. Nam, quidquid dicitur præ- 15
ter illas quinque, quas fecimus, partes, egreſſio eſt, *indignatio* [r], *miſeratio*, *invidia*, *convicium*, *excuſatio*, *conciliatio*, *maledictorum refutatio*. Similia his, quæ non ſunt in quæſtione, omnis *amplificatio*, *minutio*, omne *affectus genus*: atque ea maxime jucundam et ornatam faciunt orationem: *de luxuria*, *de avaritia*, *de religione*, *de officiis*; quæ cum ſunt argumentis ſubjecta ſimilium rerum, quia cohærent, egredi non videntur. Sed plurima ſunt, quæ re- 16
bus nihil ſecum cohærentibus inſeruntur [s], quibus judex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. Innumerabilia ſunt hæc, quorum alia ſic præparata afferimus: quædam ex [t] occaſione vel [u] neceſſitate dicimus [x], ſi quid nobis agentibus novi accidit, interpellatio, interventus alicujus, tumultus. Unde Ciceroni quoque in procœmio, 17
cum diceret pro Milone, digredi fuit neceſſe, ut ipſa ora-

[o] non ſolum *om.* G. Jenſ. [p] *Sic* G. Jenſ. *et optimi quique.* L. *al.* [q] Ac totum παρ. G. Jenſ. [r] dignatio G. [s] inſerantur G. Jenſ. [t] ab G. [u] ex *inſ.* G. [x] ut *inſ.* G. *recte, arbitror.*

13. *Siciliæ laus*] In Verr. 2, 1. ſq. Proſerpinæ autem raptus eſt 4, 48.

13. *pro C. Cornelio*] Qui quæſtor Pompeii fuerat. Exſtant modo fragmenta ab Aſconio ſervata.

15. *quinque partes*] Notæ illæ, quas enumerat 3, 9, 1. 4. pr. 6.

15. *de luxuria*] Loci nimirum communes, ubi hypotheſis theſeos tractandæ occaſionem præbet.

tiuncula, qua uſus eſt, patet. Poterit autem paullo longius exire, qui præparat aliquid ante quæſtionem, et qui finitæ probationi velut [z] commendationem adjicit. At, qui ex media erumpit, cito ad id redire debet, unde devertit.

IV. Sunt, qui narrationi *propoſitionem* ſubjungant, tamquam partem judicialis materiæ: cui opinioni reſpondimus. Mihi autem *propoſitio* videtur omnis confirmationis initium: quod non modo in oſtendenda quæſtione principali, ſed nonnumquam etiam in ſingulis argumentis poni ſolet, maximeque in his, quæ ἐπιχειρήματα vocantur. Sed
2 nunc de priore loquimur. Ea non ſemper uti neceſſe eſt. Aliquando enim ſine propoſitione quoque aliqua ſatis manifeſtum [a] eſt, quid in quæſtione verſetur: utique, ſi narratio ibi finem habet, ubi initium quæſtio; adeo, ut aliquando ſubjungatur expoſitioni, quæ ſolet in argumentis eſſe ſumma collectio: *Hæc, ſicut expoſui, ita geſta ſunt, Judices: inſidiator ſuperatus, vi victa vis, vel potius oppreſſa*
3 *virtute audacia eſt.* Sed nonnumquam valde utilis eſt, præcipue, ubi res defendi non poteſt, de fine [b] quæritur: ut, pro eo, qui pecuniam privatam de templo ſuſtulit, *Sacrilegii agitur, de ſacrilegio cognoſcitis:* ut judex intelligat, id unum eſſe officii ſui, quærere, *An id, quod objicitur, ſa-*
4 *crilegium ſit?* Item in cauſſis obſcuris, aut multiplicibus: nec ſemper propter hoc ſolum, ut ſit cauſſa lucidior, ſed aliquando etiam, ut magis moveat. Movet autem, ſi protinus ſubtexantur [c] aliqua, quæ profint. *Lex aperte ſcripta eſt, ut peregrinus, qui murum aſcenderit, morte mulctetur: peregrinum te eſſe certum eſt: quin* [d] *aſcenderis* [e] *murum, non quæritur: quid ſupereſt, niſi, ut te puniri oporteat?* Hæc

[z] atque commendatione G. Jenſ. [a] manifeſta G. [b] *Sic* Jenſ. *et plur. ap. Burm. cujus etiam vid. epiſt. p.* 19. de jure *al.* [c] ſubterantur G. *male.* [d] qui ſi G. [e] aſcendens G.

17. *oratiuncula, qua uſus eſt*] Debet igitur Fabii ætate etiam illa exſtitiſſe, quam pro Milone in judicio habuit Cicero, quæque clamoribus Clodianorum impedita fuit. Nec mirum, cum Aſconius de ea referat, *Manet autem illa quoque excepta* (a notariis puta) *ejus oratio.* Nam, quæ hodie legitur, eam poſt judicium, exulante jam Milone ſcriptam, ejuſdem Aſconii teſtimonio conſtat. Vid. ad 4, 1, 69.

1. *reſpondimus*] ſupra 3, 9, 2. ſq.

2. *Hæc, ſicut expoſui*] Cic. pro Milo. c. 11.

3. *de fine quæritur*] Solet ſæpe noſter *finem* pro definitione ponere. Altera lectio *de jure* defendi niſi titulo poſſeſſionis non poteſt. Quid enim? *ſi res defendi non poteſt, poteſtne de jure quæri?* niſi forte aliud eſt *rem defendere*, quam *jure factam* demonſtrare.

enim propositio [f] confessionem adversarii premit, et quodammodo judicandi moram tollit, nec indicat quæstionem, sed adjuvat. Sunt autem *propositiones* et *simplices*, et *duplices* vel *multiplices*: quod accidit non uno modo. Nam et plura crimina junguntur, ut, *cum Socrates accusatus est, quod corrumperet juventutem, et novas superstitiones introduceret*: et singula ex pluribus colliguntur, ut, *cum legatio male gesta objicitur Æschini, quod mentitus sit, quod nihil ex mandatis fecerit, quod moratus sit, quod munera acceperit.* *Recusatio* quoque plures interim propositiones habet: ut contra petitionem pecuniæ, *Male petis*; *procuratori* [g] *enim tibi esse non licuit: sed neque illi, cujus nomine litigas, habere procuratorem: sed neque es hæres ejus, a quo accepisse mutuam dicor: nec ipsi debui.* Multiplicari hæc, in quantumlibet, possunt, sed rem ostendisse satis est. Hæ si ponantur singulæ subjectis probationibus, plures sunt [h] propositiones; si conjungantur, in partitionem cadunt. Est et nuda propositio, qualis fere in conjecturalibus: *Cædis ago, Furtum objicio*: est ratione subjecta, ut, *Majestatem minuit Caius Cornelius: nam codicem tribunus* [i] *plebis ipse pro concione legit.* Præter hæc utimur propositione, aut nostra, ut, *Adulterium objicio*; aut adversarii, ut, *Adulterii mecum agitur*; aut communi, ut, *Inter me et adversarium quæstio*

5 6 7 8

[f] compositio G. [g] procuratorem G. [h] erunt Jens. [i] tribuni G.

5. *Socrates accusatus*] Formula hæc proditur ap. Laertium Diogen. Ἀδικεῖ Σωκράτης, ὃς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεὸς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος· ἀδικεῖ δὲ καὶ τὺς νέους διαφθείρων.

5. *legatio male gesta*] Περὶ παραπρεσβείας est contra Æschinem oratio Demosthenis, cujus hæc est propositio, Ἂν μὲν τοίνυν ἐξελέγξω καὶ δείξω σαφῶς Αἰσχίνην τουτονὶ ᾗ μηδὲν ἀληθὲς ἀπηγγελκότα, ᾗ κεκαλυκότα ἐμοῦ τὸν δῆμον ἀκοῦσαι παλινῶν, ᾗ πάντα τἀναντία τῶν συμφερόντων ὑμῖν συμβεβουλευκότα, ᾗ μηδὲν ὧν προσεταξατε, ἐν τῇ πρεσβεία πεποιηκότα, ᾗ ἀνηλωκότα τοὺς χρόνους, ἐν οἷς πολλῶν ᾗ μεγάλων πραγμάτων καιροὶ πρόεινται τῇ πόλει, ᾗ πάντων τούτων δῶρα καὶ μισθὸς εἰληφότα· καταψηφίσασθε αὐτοῦ, ᾗ δίκην ἀξίαν τῶν ἀδικημάτων λάβετε, κ. τ. λ.

6. *procuratori—licuit*] Vid. de hac constructione quos laudat Oudendorp. ad Luca. 3, 32.

8. *codicem—legit*] Obscurissima hæc essent, nisi servati essent quidam Asconii Pediani in deperditam orationem commentarii, e quibus, ne opus sit requirere, quæ summa sunt, huc referemus. Voluit in tribunatu suo C. Cornelius legem ferre parum gratam senatoribus: hi inveniunt unum ex tribunis, qui, cum rogationem ad populum ferret Cornelius, *et præco subjiciente scriba verba legis recitare populo cœpisset, et scribam subjicere, et præconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit.*— Hoc adversarii *videri* volebant *pertinere ad crimen imminutæ majestatis tribuniciæ: etenim prope sic tollebatur intercessio &c.*

eſt, uter ſit inteſtato propior. Nonnumquam diverſas quo-
9 que conjungimus[l], *Ego hoc dico, adverſarius hoc.* Habet interim vim propoſitionis, etiam ſi per ſe non eſt propoſitio, ut cum, expoſito rerum ordine, ſubjicimus, *De his cognoſcitis*; ut ſit hæc commonitio judicis, quo ſe ad quæſtionem acrius intendat, et, quodam velut tactu[m] excitatus, finem eſſe narrationis, et initium probationis intelligat: et, nobis confirmationem ingredientibus, ipſe quoque[n] novum quodammodo audiendi ſumat exordium.

V. *Partitio* eſt noſtrarum aut adverſarii propoſitionum aut utrarumque ordine collata enumeratio. Hac quidam utendum ſemper putant, quod ea et fiat cauſſa lucidior, et judex intentior ac docilior, ſi ſcierit, et de quo dicimus,
2 et de quo dicturi poſtea[o] ſumus. Rurſus quidam periculoſum id oratori arbitrantur duabus ex cauſſis: quod nonnumquam et[p] excidere ſoleant, quæ promiſimus, et, ſi qua in partiendo præterierimus, occurrere: quod quidem nemini accidet[q], niſi qui plane vel nullo fuerit ingenio, vel
3 ad agendum nihil cogitati præmeditatique detulerit. Alioqui quæ tam manifeſta et lucida eſt ratio, quam rectæ partitionis? ſequitur enim naturam ducem, adeo, ut memoriæ id maximum ſit auxilium, via dicendi non decedere. Quapropter ne illos quidem probaverim, qui partitionem vetant ultra tres[r] propoſitiones extendere. Quæ ſine dubio, ſi nimium ſit multiplex, fugiet memoriam judicis, et turbabit intentionem: hoc tamen numero velut lege non eſt alliganda, cum poſſit cauſſa plures deſiderare.
4 Alia ſunt magis, propter quæ partitione non ſemper ſit[s] utendum: primum, quia pleraque gratiora ſunt, ſi inventa ſubito, nec domo allata, ſed inter dicendum ex re ipſa nata videantur: unde illa non injucunda ſchemata, *Pene excidit mihi:* et, *Fugerat me:* et, *Recte admones:* propoſitis enim probationibus[t], omnis in reliquum gratia novitatis præ-
5 cerpitur[u]. Interim vero etiam fallendus eſt judex, et variis artibus ſubeundus, ut aliud agi, quam quod petimus,

[l] jungimus G. [m] jactu G. Jenſ. *et quidam al.* [n] *om.* G. Jenſ. [o] poema G. *ortum ex* poea. [p] *om.* G. Jenſ. [q] accidit *iid.* [r] tris *iid.* [s] *om. iid.* [t] *Forte leg.* partibus *vel* partitionibus. [u] præcipitur *quidam MSS. ap. Bur.*

V, 2. *excidere—occurrere*] Cicero in Bruto c. 60. de Curione, *Memoria ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quæreret.* Sed ſcilicet, quam obliviosus fuerit, adhuc unum ſtatim ſpecimen adfert, quod habet etiam in Orat. c. 37.

putet. Nam eſt nonnumquam dura propoſitio, quam judex, ſi providet, NON aliter reformidat[x], quam qui ferrum medici, prius quam curetur, aſpexit: at ſi, re non ante propoſita, ſecurum, ac nulla denuntiatione in ſe converſum intrarit oratio; efficiet, quod promittenti non crederetur. Interim refugienda non modo diſtinctio quæſtionum eſt, ſed omnino tractatio: affectibus perturbandus[z], et ab intentione auferendus auditor. Non enim ſolum oratoris eſt docere, ſed plus eloquentia circa movendum valet. Cui rei contraria eſt maxime tenuis illa et ſcrupuloſe in partes ſectæ[a] diviſionis diligentia eo tempore, quo cognoſcenti judicium conamur auferre. Quid? quod interim, quæ per ſe levia ſunt et infirma, turba valent? Ideoque congerenda ſunt potius, et velut eruptione pugnandum: quod tamen rarum eſſe debet, et ex neceſſitate demum, cum ipſum hoc, quod diſſimile rationi eſt, coegerit ratio. Præter hæc in omni partitione eſt utique aliquid potentiſſimum, quod cum audivit judex, cetera tamquam ſupervacua gravari ſolet. Itaque, ſi plura vel objicienda ſunt vel diluenda, et utilis et jucunda partitio eſt, ut, quid quaque de re dicturi ſumus, ordine appareat: at ſi unum crimen varie defendemus, ſupervacua. Ut, ſi ita partiamur, *Dicam, non talem eſſe hunc, quem tueor, ut in eo credibile videri poſſit homicidium: dicam, occidendi cauſſam huic non fuiſſe: dicam, hunc eo tempore, quo homo occiſus eſt, trans mare fuiſſe:* omnia, quæ ante id, quod ultimum eſt, exſequeris, inania videri neceſſe eſt. Feſtinat enim judex ad id, quod potentiſſimum eſt, et velut obligatum promiſſo patronum, ſi eſt patientior, tacitus appellat; ſi vel occupatus, vel in aliqua poteſtate, vel etiam, ſi moribus incompoſitus, cum convicio efflagitat. Itaque non defuerunt, qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem impro-

6 7 8 9 10 11

[x] præformidat G. *et plures ap. Bur. Quid ſi recte?* [z] turbationibus G. Jenſ. *et* turbationibus *vel* perturbationibus *habent antiqui fere omnes. Forte fuit,* affectibus perturbationibus eſt ab int. rev. *Sed recepta lectio, vel altera Obr.* affectibus turbandus, et *&c. elegans ipſa quoque et Fabio digna.* [a] ſecta G. Jenſ.

9. *inania videri neceſſe eſt*] Sapientius ille, qui cum dixiſſet, ſibi viginti aliquot cauſas fuiſſe non commodandi amico libri, quarum prima eſſet, quod ipſe non haberet: facile, reliquarum omnium gratia ut ſibi fieret, impetravit.

11. *pro Cluentio*] Habetur c. 4. Sapienter autem Cicero ita inſtituiſſe nobis videbatur: cum priora duo eo valeant, ut probari facilius poſſit tertium. Utrum enim probabilius, pro mala cauſa reum tentare judices, an pro bona actorem?

barent, qua se dicturum esse promisit primum, *neminem majoribus criminibus, gravioribus testibus in judicium vocatum, quam Oppianicum*; deinde, *præjudicia esse facta ab iis ipsis judicibus, a quibus condemnatus sit*; postremo, *judicium pecunia tentatum non a Cluentio, sed contra Cluentium:* quia, si probari posset [b], quod est tertium, nihil necesse fuerit
12 dicere priora. Rursus, nemo tam erit aut injustus, aut stultus, quin eum fateatur optime pro Muræna esse partitum, *Intelligo, Judices, tres* [c] *totius accusationis partes fuisse, et earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.* Nam sic et ostendit lucidissime causam, et nihil fecit altero su-
13 pervacuum. De illo quoque genere defensionis plerique dubitant, *Si occidi, recte feci: sed non occidi:* quo enim prius pertinere, si sequens firmum sit? hæc invicem obstare, et utroque utentibus, in neutro haberi fidem. Quod sane in parte verum est, et illo sequenti (si modo indubi-
14 tabile sit) solo utendum. At, si quid in eo, quod est fortius, timebimus, utraque probatione nitemur. Alius enim alio moveri solet: et, qui factum putavit, justum [d] credere potest: qui tamquam justo non movebitur, factum fortasse non credet. Ut certa manus uno telo possit esse contenta, incertæ plura spargenda sunt, ut sit et fortunæ locus.
15 Egregie vero Cicero pro Milone *insidiatorem* primo *Clodium ostendit:* tum addidit ex abundanti, *etiam si id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris et*
16 *gloria necari potuisse.* Neque illum tamen ordinem, de quo prius dixi, damnaverim: quia quædam, etiamsi ipsa sunt dura, in id tamen valent, ut ea molliant, quæ sequuntur. Nec omnino sine ratione est, quod vulgo dicitur,
17 *Iniquum petendum, ut æquum feras.* Quod tamen nemo sic accipiat, ut omnia credat audenda. Recte enim Græci præcipiunt, *Non tentanda, quæ effici omnino non possunt.* Sed, quoties hac, de qua loquor, duplici defensione utemur, id laborandum est, ut in illam partem sequentem fides ex priore ducatur. Potest enim videri, qui tuto etiam confessurus fuit, mentiendi causam in negando non ha-
18 bere. Et illud utique faciendum est, ut, quoties suspica-

[b] potest G. [c] tris G. [d] juste G. *recte arbitror.*

Neque Fabius iis se adjungit, puto, qui reprehendunt Tullium.

13. *illo sequenti*] Altero, vid. 4, 3, 9. et 4, 5, 17. Sic *Africanus sequens* &c. *Secundus* ipse est ab hac origine.

bimur a judice aliam probationem desiderari, quam de qua loquimur, promittamus nos plene et statim de eo satis esse facturos: præcipueque, si de pudore agitur. Fre- 19
quenter autem accidit, ut causa parum verecunda, jure tuta sit: de quo ne inviti judices audiant et aversi, frequentius sunt admonendi, *secururam defensionem probitatis ac dignitatis: exspectent paullum, et agi ordine sinant.* Quæ- 20
dam interim nos et invitis litigatoribus simulandum est dicere; quod Cicero pro Cluentio facit circa judiciariam legem: nonnumquam, quasi interpellemur ab his, subsistere: sæpe avertenda[e] ad ipsos oratio; hortandi, ut sinant nos uti nostro consilio. Ita surrepetur animo judicis, et, dum sperat probationem pudoris, asperioribus illis minus repugnabit. Quæ cum receperit, etiam verecundiæ 21
defensioni facilior erit. Sic utraque res invicem juvabit, eritque judex circa jus nostrum spe modestiæ attentior, circa modestiam juris probatione proclivior. Sed, ut non 22
semper necessaria, aut etiam supervacua partitio est, ita opportune adhibita plurimum orationi lucis et gratiæ confert. Neque enim id solum efficit, ut clariora fiant, quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, et in conspectu judicum positis: sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine: NON aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. Nam et exhausti laboris nosse mensuram voluptati 23
est, et hortatur ad reliqua fortius exsequenda, scire, quantum superfit. Nihil enim longum videri necesse est, in quo, quid ultimum sit, certum est. Nec immerito mul- 24
tum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortensius:

[e] advertenda G. Jens.

20. *pro Cluentio*] C. 52. sq. qui divinus præter cæteros locus est, et, quantus fuerit orator Cicero, ostendit. Poterat Cluentius, corrupti judicii accusatus, tueri se lege, quod Senator non esset; lex autem de corruptis judiciis ad Senatores solos pertineret. *Atque ille*, inquit Cicero, *me orare et obsecrare cæpit, ut ne se lege defenderem—affirmabat enim lacrimans, non se cupidiorem esse civitatis retinendæ, quam existimationis.* Ac deinde tamen sua, qui non hujus modo patrocinii, sed etiam aliorum rationem habere deberet, sua igitur interesse ostendit, legem valere, et, quidquid pro Cluentio de lege dici potuisset, multo majore cum ipsius utilitate profert, quia ad ipsum pertinere, aut ipsius causa dici, negat.

20. *quasi interpellemur*] Vid. 6, 4, 9.

24. *ex diligentia partiendi*] *Attulerat* Hortensius ap. Cic. Bruto 88, *duas res, quas nemo alius; partitiones, quibus de rebus dicturus esset—dividebat acute.*

cujus tamen diviſionem, in digitos diductam, nonnumquam Cicero leviter eludit. Nam eſt ſuus [f] et in geſtu modus, et evitanda maxime conciſa nimium et velut arti-
25 culoſa partitio. Nam et auctoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec jam membra, ſed fruſta: et hujus gloriæ cupidi, quo ſubtilius et copioſius diviſiſſe videantur, et ſupervacua aſſumunt, et, quæ natura ſingularia ſunt, ſecant: nec tam plura faciunt, quam minora: deinde cum fecerunt mille particulas, in eamdem incidunt obſcuritatem,
26 contra quam partitio inventa eſt. Diviſa et ſimplex propoſitio, quoties utiliter haberi poteſt, primum eſſe debet aperta atque lucida, (nam quid ſit turpius, quam id eſſe obſcurum ipſum, quod in eum ſolum adhibetur uſum, ne ſint cetera obſcura?) tum brevis, nec ullo ſupervacuo onerata verbo. Non enim, de quo dicamus [g], ſed, de quo
27 dicturi ſimus, oſtendimus. Obtinendum etiam, ne quid in ea deſit, ne quid ſuperſit. Supereſt autem ſic fere, cum aut in ſpecies partimur, quod in genera partiri ſit ſatis; aut, genere poſito, ſubjicitur ſpecies, ut, *Dicam de virtute, juſtitia, continentia:* cum juſtitia atque continentia virtutis ſint ſpecies. Partitio prima eſt, quid ſit, de quo conve-
28 niat; quid, de quo ambigatur. In eo, quod convenit, quid adverſarius fateatur, quid nos: in eo, de quo ambigitur, [quæ [h] dicturi ſimus,] quæ noſtræ propoſitiones [i], quæ partis adverſæ [l]. Turpiſſimum vero eſt, non eo ordine exſequi, quo quidque propoſueris.

[f] certus ſuus modus Jenſ. [g] dicimus Jenſ. [h] quæ dicturi ſimus *gloſſam puto verborum*, quæ noſtræ propoſitiones. [i] propoſitionis G. [l] diverſæ Jenſ.

26. *Diviſa et ſimplex propoſitio*] Capitum illa diſtinctio obſcuritatis aliquid objecit huic loco. Cum enim in ſuperiori capite de *propoſitione*, in quantum orationis judicialis pars eſt, agatur, in hoc de *diviſione* ſ. *partitione*; non putabat Regius hic recurrere debere *propoſitionis* mentionem, et de emendatione cogitabat, cum legi vellet, *diviſio, ut ſimplex propoſitio* &c. Sed Fabius, qui *partitionem* ut *propoſitionis* adjunctum tractet, et alioqui capitum illam diviſionem ignoret, poſtquam de utraque re diſputavit, nunc, quæ communia ſunt utrique, ſubjungit. Quoties igitur utile eſt propoſitionem vel ſimplicem habere, vel diviſam, (quæ uno nomine vocatur *partitio*) opera danda eſt, ut ſit *aperta* &c.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER QUINTUS[a].

PROŒMIUM.

FUERUNT, et[b] clari quidem auctores, quibus ſolum videretur oratoris officium *docere*. Namque et *affectus* duplici ratione excludendos putabant: primum, quia vitium eſſet omnis animi perturbatio; deinde, quia judicem a veritate depelli miſericordia, vel ira, ſimilibuſque, non oporteret: et voluptatem audientium petere, cum vincendi tantum gratia diceretur, non modo agenti ſupervacuum,
2 ſed vix etiam viro dignum, arbitrabantur[c]. Plures vero, qui nec ab illis fine dubio partibus rationem orandi ſubmoverent, hoc tamen proprium atque præcipuum crederent opus, ſua confirmare, et, quæ ex[d] adverſo proponerentur, refutare. Utrumcumque eſt, (nec enim hoc loco
3 meam interpono ſententiam) hic erit liber illorum opinione maxime neceſſarius, quo toto hæc ſola tractantur: quibus ſane et ea, quæ de judicialibus cauſſis jam dicta
4 ſunt, ſerviunt. Nam neque *proœmii*, neque *narrationis* eſt[e] alius uſus, quam ut judicem præparent: et ſtatus noſſe, atque ea, de quibus ſupra ſcripſimus, intueri, ſupervacuum
5 foret, niſi ad hanc perveniremus. Denique ex quinque,

[a] incipit de probationibus inartificialibus *inf.* G. [b] *om.* G. [c] arbitrantur G. [d] e diverſo G. Jenſ. [e] *om.* Jenſ.

2. *ab illis—partibus*] Quæ verſantur circa movendum judicem et delectandum, quod in proœmio præſertim fit et concluſione. Ab his igitur partibus non ſubmoverunt rationem orandi *ſine dubio*, vel aſſeverate: ſed, quidquid eſſet de cæteris, *hoc tamen proprium* &c.

quas judicialis materiæ fecimus, partibus, quæcumque alia poteſt aliquando neceſſaria cauſſæ non eſſe: lis nulla eſt, cui probatione opus non ſit. Ejus præcepta ſic optime diviſuri videmur, ut prius[f] in commune[g], quæ ad omnes quæſtiones pertinent, oſtendamus: deinde, quæ in quoque cauſſæ genere propria ſunt, exſequamur.

I. Ac prima quidem illa partitio, ab Ariſtotele tradita, conſenſum fere omnium meruit, alias eſſe *probationes*, quas extra dicendi rationem acciperet orator: alias, quas ex cauſſa traheret ipſe, et quodammodo gigneret. Ideoque illas ἀτέχνους, id eſt, *inartificiales*; has[h] ἐντέχνους, id eſt, *artificiales*, vocaverunt. Ex illo priore genere ſunt *præjudicia, rumores, tormenta, tabulæ, jusjurandum, teſtes:* in quibus pars maxima contentionum forenſium conſiſtit. Sed, ut ipſa per[i] ſe carent arte, ita ſummis eloquentiæ viribus et[l] allevanda ſunt plerumque, et refellenda. Quare mihi videntur magnopere damnandi, qui totum hoc genus a præceptis removerunt. Nec tamen in animo eſt, omnia, quæ aut[m] pro his, aut contra dici ſolent, complecti. Non enim communes locos tradere deſtinamus, quod eſſet operis infiniti, ſed viam[n] quamdam atque rationem. Quibus demonſtratis, non modo in exſequendo ſuas quiſque vires debet adhibere, ſed etiam inveniendo ſimilia, ut quæque conditio litium poſcet. Neque enim de omnibus cauſſis dicere quiſquam poteſt, ſaltem præteritis, ut taceam de futuris.

II. Jam[o] *præjudiciorum* vis omnis tribus in generibus verſatur: *Rebus*, quæ[p] aliquando *ex paribus*[q] *cauſſis* ſunt *judicatæ*, quæ *exempla* rectius dicuntur, ut *de reſciſſis patrum teſtamentis*, vel *contra filios confirmatis*; *Judiciis ad ipſam cauſſam* pertinentibus, unde etiam nomen ductum eſt, qualia *in Oppianicum* facta dicuntur, et a ſenatu *adverſus*

[f] prius quæ in com. ad omnes G. Jenſ. [g] communi G. [h] has—artificiales *om.* G. [i] per ſe *om.* G. [l] *Sic* G. *et al. ap. Bur.* et *om. rel.* [m] quæ pro his aut dici, aut Jenſ. quæ pro his aut contra G. [n] vim G. Jenſ. [o] Tamen *iid.* [p] bene *inf. iid.* [q] partibus Jenſ.

5. *quas fecimus*] 3, 9, 1. it. 4. pr. 6.

I, 2. *allevanda*] h. e. confirmanda: vid. mox 5, 2, 2.

II, 1. *in Oppianicum*] Cic. pro Cluent. c. 17. ſq. ubi inter alia: *Cognoſcite, nunc ita reum citatum eſſe illum, ut, re ſemel atque iterum* prædjudicata, *condemnatus in judicium venerit.*

1. *adverſus Milonem*] C. 5. *Sequitur illud, quod a Milonis inimicis ſæpiſſime dicitur, Cædem, in qua P. Clodius occiſus eſt, Senatum judicaſſe contra remp. eſſe factam.*

Milonem; aut, cum *de* eadem *cauſſa* pronuntiatum eſt, ut *in reis deportatis*, et *aſſertione ſecunda*, et[r] *partibus centum-*
2 *viralium*, quæ in duas haſtas diviſæ ſunt. Confirmantur præcipue duobus: *auctoritate* eorum, qui pronuntiaverunt; et *ſimilitudine* rerum, de quibus quæritur; refelluntur autem raro per contumeliam judicum, niſi forte manifeſta in his culpa erit. Vult enim cognoſcentium quiſque firmam eſſe alterius ſententiam: et ipſe pronuntiaturus exemplum
3 non libenter, quod in ſe fortaſſe recidat, facit. Confugiendum ergo eſt in duobus ſuperioribus, ſi res feret, ad aliquam diſſimilitudinem cauſſæ. Vix autem ulla eſt per omnia alteri ſimilis. Si id non continget, ac[s] eadem cauſſa erit, aut actorum[t] incuſanda negligentia, aut de infirmitate perſonarum querendum, contra quas erit judicatum: aut de gratia, quæ teſtes corruperit[u], aut de invidia, aut de ignorantia: aut inveniendum, quod cauſſæ poſtea[x]
4 acceſſerit. Quorum ſi nihil erit, licet tamen dicere, multas judiciorum cauſſas ad inique pronuntiandum valere: ideoque *damnatum Rutilium*, *abſolutos*[z] *Clodium atque Ca-*

[r] de *inſ.* G. Jenſ. [s] ut G. Jenſ. [t] actionum G. Jenſ. *non male.* erit accionum Almel. [u] corrumpit G. [x] poema *illud abſurdum, ex nota poea ortum hic etiam* G. [z] abſolutum G.

1. *in reis deportatis*] De quorum reſtitutione quoties actum ſit, teſtatur vel titulus peculiaris Digeſtorum (48, 22.) *de ſententiam paſſis et reſtitutis*.

1. *aſſertione ſecunda*] In cauſa liberali, ubi aliquis in ſervitute conſtitutus aſſeritur in libertatem. Hic enim, primo aſſertore etiam victo, liberum eſt alteri cauſam agere liberalem. Hinc etiam *ſecundæ aſſertionis apud alios judices* mentionem facit noſter 11, 1, 78. De *aſſertione ſecunda* præſertim notabilis l. 1. C. de aſſertione tollenda pr. *Illis legibus, quæ dudum et ſecunda et tertia vice aſſertorias lites examinari præcipiebant, in poſterum quieſcentibus.*

1. *partibus centumviralium*] Infra 11, 1, 78. vocat *centumviralia judicia duplicia*. Nimirum vel ex hoc utroque Fabii loco diſcimus, in duas nonnunquam partes, (quarum unaquæque *haſtam* ſibi ſuam haberet, auctoritatis ſignum, unde apud poetas ſæpe pro ipſo judicio ponitur) diviſum centumvirale judicium, de eadem re judicaſſe.

3. *actorum*] Vix opus eſt monere, *actores* hic non poni ſenſu illo ſolenni pro accuſatoribus; ſed ſimpliciter ex vi verbi, qui agunt cauſam ſive accuſando ſive defendendo. Neque vero diſplicet alterum illud *actionum*, in primis, cum mitius aliquanto et mollius eſſe videatur.

4. *damnatum Rutilium*] Eadem exempla iniquorum judiciorum conjungit Cicero in Piſonem 39. *Damnatio iſta—obtigit Rutilio: quod ſpecimen habuit hæc civitas innocentiæ: major mihi judicum et reip. pœna illa viſa eſt, quam Rutilii. L. Opimius ejectus—At contra bis Catilina abſolutus: emiſſus etiam ille auctor tuus provinciæ*, [Clodius] *cum ſtuprum Bonæ Deæ pulvinaribus intuliſſet.*

tilinam. Rogandi etiam judices, ut rem potius intueantur ipſam, quam jurijurando alieno [a] ſuum donent. Adverſus 5
conſulta autem ſenatus, et decreta principum vel magiſtratuum, remedium nullum eſt, niſi aut inventa quantulacumque cauſſæ differentia, aut aliqua vel [b] eorumdem, vel ejuſdem poteſtatis hominum poſterior conſtitutio, quæ ſit priori contraria: quæ ſi deerunt, lis non erit.

III. *Famam* atque *rumores* pars altera conſenſum civitatis, et velut publicum teſtimonium vocat: altera ſermonem, ſine ullo certo auctore diſperſum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas: quod nulli non, etiam innocentiſſimo, poſſit accidere fraude inimicorum, falſa vulgantium. Exempla utrimque non deerunt.

IV. Sicut *in tormentis* quoque, qui eſt locus frequentiſſimus: cum pars altera quæſtionem, vera fatendi neceſſitatem vocet, altera ſæpe etiam cauſſam falſa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas neceſſarium. Quid attinet de his plura? Plenæ ſunt orationes veterum ac novorum. Quædam tamen in hac parte erunt propria cujuſque litis. Nam ſive de habenda [c] quæ- 2
ſtione agetur, plurimum intererit, *quis*, et *quem poſtulet*, aut *offerat?* et *in quem*, et *ex qua cauſſa?* ſive jam erit habita, *quis ei præfuerit? quis*, et *quo modo ſit tortus? an credibilia dixerit, an inter ſe conſtantia? perſeveraverit in eo, quod cœperat, an aliquid dolore mutarit? prima parte quæſtionis, an procedente cruciatu?* Quæ utrimque tam infinita ſunt, quam ipſa rerum varietas.

V. Contra *tabulas* quoque ſæpe dictum, ſæpe dicendum eſt, cum eas non ſolum refelli, ſed etiam accuſari, ſciamus

[a] alienum G. [b] vel eorumdem *om.* G. [c] agendi G.

IV, 1. *Sicut in tormentis*] Apertum eſt, non voluiſſe Fabium hic interjungi et ſtrigari, ut ita dicam, ſed arcte ipſum inter ſe conjunxiſſe utrumque argumentum: quo minus morari aliquem debent illæ capitum diviſiones aut diſtractiones potius. Cæterum locus elegans de tormentis Cic. pro Sylla 28. *Quæſtiones nobis ſervorum ac tormenta accuſator minitatur: in quibus quamquam nihil periculi ſuſpicamur; tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujuſque tum animi tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Syllæ torqueatur, ex hac quæratur* &c.

1. *Plenæ ſunt orationes*] Ex oratione pro Sylla jam attulimus locum. Mirifice porro illuſtratur hoc caput ex his, quæ habet Tullius pro Roſc. Am. 41. ſq. et pro Milo. 21. ſq.

V, 1. *Contra tabulas*] Admirabilis eſt locus de tabulis rationum ſocietatis publicanorum Cic. in Verr. 2, 76. ſq. de tabulis Heraclienſium publicis pro Archia 4. ſq.

esse usitatum. Cum sit autem in his, aut *scelus signatorum*, aut *ignorantia*: tutius ac facilius id, quod secundo loco
2 diximus, tractatur, quod pauciores rei fiunt. Sed hoc ipsum argumenta ex caussa trahit, si forte aut[d] incredibile est, id actum esse, quod tabulæ continent; aut (ut frequentius evenit) aliis probationibus æque inartificialibus solvitur; si aut is, in quem signatum est, aut aliquis signator dicitur abfuisse, vel prius esse defunctus; si tempora non congruunt; si vel antecedentia vel insequentia tabulis repugnant. *Inspectio* ipsa sæpe etiam falsum deprehendit.

VI. *Jusjurandum* litigatores aut offerunt suum, aut *non recipiunt* oblatum: aut ab adversario *exigunt*, aut *recusant*, cum ab ipsis exigatur. *Offerre* suum sine illa[e] conditione,
2 ut vel adversarius juret, fere improbum est. Qui tamen id faciet, aut vita se tuebitur, ut eum non sit credibile pejeraturum; aut ipsa vi religionis: in qua[f] plus fidei consequetur[g], si id egerit, ut non cupide ad hoc descendere, sed ne hoc[h] quidem recusare videatur: aut, si caussa modo patietur litis, propter quam devoturus se ipse non fuerit: aut, si præter alia caussæ instrumenta, adjicit ex abun-
3 danti[i] hanc quoque conscientiæ suæ fiduciam. Qui *non recipiet*, et iniquam conditionem, et a multis contemni jurisjurandi[k] metum dicet: cum etiam philosophi quidam sint reperti, qui deos habere[l] curam rerum humanarum negarent: eum vero, qui nullo deferente[m] jurare sit paratus, et ipsum velle de caussa sua pronuntiare, et, quam id,
4 quod offert, leve ac facile credat, ostendere. At is, *qui defert*, agere modeste videtur, cum litis adversarium judicem faciat, et eum, cujus cognitio est, onere liberet, qui

[d] autem credibile G. Jens. [e] ulla *iid.* [f] et *inf. iid.* [g] consequitur *iid.* [h] hæc G. [i] habundanti G. [k] jusjurandi G. [l] deos, ac rerum humanarum curam G. *et plures ap. Burm. qui suspicatur* Deos agere curam rerum hum. [m] *Sic* G. Obr. *et al. atque est proprium in hac re.* Offerente *rel.*

VI, 2. *ipsa vi religionis*] Cujus nimirum tanta sit sanctitas, quam nemo sine idonea causa videatur contemturus. Sæpe ita *vim* ponit Cicero, v. g. pro Rosc. Am. 24. *Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis.*

3. *deos habere curam*] Lectio Gothana commoda admodum est, potestque etiam per ἓν διὰ δυοῖν explicari *Deos ac curam*, h. e. curam sive providentiam divinam. Sed nec *habere curam* indignum Fabio. Liv. 28, 11. *Cons. moniti ab Senatu sunt, ut in agros reducendæ plebis curam haberent.* Ovid. Trist. 5, 2, 48. *Ausoniæ curam gentis habere Deos.*

profecto alieno jurejurando ſtari [n], quam ſuo, malit. Quo 5
difficilior *recuſatio* eſt, niſi forte res eſt ea, quam, credibile
ſit, notam ipſi non eſſe. Quæ excuſatio ſi deerit, hoc
unum relinquetur, ut [o] invidiam ſibi quæri ab adverſario
dicat, atque id agi, ut in cauſſa, in qua vincere non poſſit,
queri poſſit. Itaque hominem quidem malum occupatu-
rum hanc conditionem fuiſſe, ſe autem probare malle, quæ
affirmet [p], quam dubium cuiquam relinquere, an pejerarit.
Sed nobis adoleſcentibus ſeniores in agendo facti præci- 6
pere ſolebant, *ne umquam jusjurandum deferremus:* ſicut
neque optio judicis adverſario eſſet permittenda; nec ex
advocatis partis adverſæ judex eligendus: nam, ſi dicere
contraria turpe advocato videretur, certe turpius haben-
dum, facere, quod noceat.

VII. Maximus tamen patronis circa *teſtimonia* ſudor
eſt. Ea dicuntur aut *per tabulas*, aut a *præſentibus*. Sim-
plicior *contra tabulas* pugna. Nam et minus obſtitiſſe vi-
detur pudor inter paucos ſignatores, et pro diffidentia pre-
mitur abſentia. Si reprehenſionem non capit ipſa perſo-
na, infamare ſignatores licet. Tacita præterea quadam 2
ſignificatione refragatur his omnibus, quod nemo *per ta-
bulas* dat teſtimonium, niſi ſua voluntate: quo ipſo non
eſſe amicum ei ſe, contra quem dicit, fatetur. Neque ta-
men protinus ceſſerit orator, quo minus et amicus pro
amico, et inimicus contra inimicum poſſit verum (ſi inte-
gra ſit ei fides) dicere. Sed late locus uterque tractatur.
Cum præſentibus vero ingens dimicatio eſt, ideoque [q] velut 3
duplici contra eos, proque his acie confligitur, *actionum*,
et *interrogationum*. In *actionibus* primum generaliter *pro
teſtibus*, atque *in teſtes* dici ſolet. Eſt hic communis locus, 4
cum pars altera nullam firmiorem probationem eſſe com-

[n] ſtare quam ſuo mavult G. Jenſ. [o] et G. *male*. [p] affirmaret G. Jenſ. *Forte* affirmarit. [q] itaque Jenſ.

5. *queri poſſit*] Se ideo cauſa ce-
ciditſſe, quod adverſarius pejeraverit.

6. *ne umquam jusjurandum de-
ferremus*] In tanta nimirum homi-
num impietate, qui pejerare, quam
cauſa cadere mallent.

VII, 1. *minus obſtitiſſe—pudor*]
Secundum illud Ciceroni etiam u-
ſurpatum Fam. 5, 12. pr. et ex
ipſa forte hac re ortum, *Epiſtola non
erubeſcit*.

1. *infamare ſignatores*] Accu-
ſare eos, qui ab ore teſtis exceptum
teſtimonium in literas retulere et
obſignarunt, non id, quod teſtis di-
xerit, ſed, quod ſibi utile viſum fu-
erit, eos perſcripſiſſe.

2. *ceſſerit orator*] Alterius par-
tis patronus, pro quo eſt, valere
teſtimonia abſentium, *non protinus
ceſſerit*, h. e. conceſſerit, fateatur
&c.

tendit, quam quæ ſit hominum ſcientia nixa; altera, ad detrahendam illis fidem, omnia, per quæ fieri ſoleant falſa
5 teſtimonia, enumerat. Sequens ratio eſt, cum ſpecialiter quidem, ſed tamen multos pariter invadere patroni ſolent. Nam et gentium ſimul univerſarum elevata teſtimonia ab oratoribus ſcimus, et tota genera teſtimoniorum: ut *de auditionibus*; non enim ipſos eſſe teſtes, ſed injuratorum [r] afferre voces: ut in cauſſis repetundarum, qui ſe reo numeraſſe pecunias jurant, litigatorum, non teſtium, haben-
6 dos loco. Interim adverſus ſingulos dirigitur actio [s]: quod inſectationis genus et permixtum defenſioni legimus in orationibus plurimis, et ſeparatim editum, ſicut *in Vatinium teſtem*. Totum igitur excutiamus locum, quando
7 univerſam inſtitutionem aggreſſi ſumus. Sufficiebant alioqui libri duo a Domitio Afro in hanc rem compoſiti, quem adoleſcentulus ſenem colui: ut non lecta mihi tantum ea, ſed pleraque ex ipſo ſint cognita. Is veriſſime præcepit, primum eſſe in hac parte officium oratoris, ut totam cauſſam familiariter norit: quod ſine dubio ad omnia
8 pertinet. Id quomodo contingat explicabimus, quum ad deſtinatum huic parti locum venerimus. Ea res ſuggeret materiam interrogationi, et veluti tela ad manum ſubminiſtrabit: eadem docebit, ad quæ judicis animus actione ſit præparandus. Debet enim vel fieri, vel detrahi teſtibus fides oratione perpetua: quia ſic quiſque dictis movetur, ut eſt ad credendum vel non credendum ante forma-
9 tus. Et, quoniam duo genera ſunt teſtium, aut *voluntariorum*, aut *eorum*, *quibus judex in publicis judiciis lege* [t] *denuntiare* [u] *ſolet*; quorum altero utraque pars utitur, alte-

[r] injuriatorum G. Jenſ. [s] oratio G. [t] lege *om.* G. *et al. ap. Burm.*
[u] *Sic* Vaſcoſ. *et al. ap. Burm.* denuntiari *rel.*

5. *gentium univerſarum*] Sic Cicero pro Flacco c. 3. *totam Græcorum gentem* teſtimoniorum fidem coluiſſe negat: et c. 27. *Aſiaticos* certe teſtes his ipſorum Græcorum teſtimoniis et proverbiis refellit.

5. *ut de auditionibus*] Qui pro teſtimonio ea modo dicunt, quæ alii de facto, quod quæritur, dixerint. Ad hos enim pertinet Herodoteum illud, Τὰ ὦτα ἀπιστότερα τῶν ὀφθαλμῶν ἐόντα ἐτύγχανε, Horatianum *Segnius irritant*, et quæ alii his ſimilia dixere. Hi adferunt, quid dixerint homines injurati, qui proinde nulla religione impediti effutierunt forte quidquid collibitum eſt.

6. *in Vatinium teſtem*] Qui P. Sextium a Cicerone defenſum teſtimonio ſuo oppugnaverat, quem per eam occaſionem vehementer a ſe exagitatum ipſe memorat ad Lentulum 1, 9. Sed exſtat ipſa quoque oratio.

rum accuſatoribus tantum conceſſum eſt: ſeparemus officium dantis teſtes, et refellentis. Qui *voluntarium* pro- 10
ducit, ſcire, quid is dicturus ſit[x], poteſt: ideoque facilio-
rem videtur in rogando habere rationem. Sed hæc quo-
que pars acumen et vigilantiam poſcit: providendumque,
ne *timidus*, ne *inconſtans*, ne *imprudens teſtis* ſit: turbantur 11
enim, et a patronis diverſæ partis induuntur in laqueum[z],
et plus deprehenſi nocent, quam firmi et interriti profuiſ-
ſent. Multum igitur domi ante verſandi; ac[a] variis per-
contationibus, quales haberi ab adverſario poſſunt, explo-
randi ſunt. Sic fit, ut aut conſtent ſibi, aut, ſi quid titu-
baverint, opportuna rurſus ejus, a quo producti ſunt, in-
terrogatione velut in gradum reponantur. In his quoque 12
adhuc, qui conſtiterint ſibi[b], vitandæ ſunt inſidiæ: nam
frequenter ſubjici ab adverſario ſolent, et, omnia profu-
tura polliciti, diverſa reſpondent, et auctoritatem habent
non arguentium illa, ſed confitentium. Explorandum igi- 13
tur, quas cauſſas lædendi adverſarium afferant: nec id ſat
eſt, inimicos fuiſſe, ſed an defierint? an per hoc ipſum
reconciliari velint? ne corrupti ſint? ne pœnitentia pro-
poſitum mutaverint? quod cum in iis quoque, qui ea,
quæ dicturi videntur, re vera ſciunt, neceſſarium eſt præ-
cavere; tum multo magis in iis, qui ſe dicturos, quæ
falſa ſunt, pollicentur. Nam et frequentior eorum pœni- 14
tentia eſt, et promiſſum ſuſpectius: et, ſi perſeveraverint[c],
reprehenſio facilior. Eorum vero, quibus denuntiatur, 15
pars teſtium eſt, quæ reum *lædere velit*, pars, quæ *nolit*;
idque interim *ſcit accuſator*, interim *neſcit*: fingamus in
præſentia *ſcire*: in utroque enim[d] genere ſummis artibus
interrogantis opus eſt. Nam, ſi habet teſtem *cupidum læ-* 16
dendi, cavere debet hoc ipſum, ne cupiditas ejus appareat;
nec ſtatim de eo, quod in judicium venit, rogare, ſed ali-
quo circuitu ad id pervenire, ut illi, quod, maxime dicere
voluit, videatur expreſſum; nec nimium inſtare interro-
gationi[e], ne ad omnia reſpondendo teſtis fidem ſuam mi-

[x] eſt G. Jenſ. [z] ſed *inf. iid.* [a] *om.* G. [b] *om.* G. [c] perſeve-
raverunt G. [d] tamen G. [e] rogationi G.

11. *ſi quid titubaverint*] Cic. pro Flacco 10. *Si verbo titubarint*, de teſtibus ante ab accuſatore inſtitutis. Sed eſt totus ille locus admirabiliter in hac oratione a Tullio tractatus.

12. *ſed confitentium*] Facilius enim creditur verum eſſe, quod quis confitetur ſibi aut ſuo amico contrarium, quam quod arguit feciſſe inimicum.

13. *ne corrupti ſint*] Vid. quæ diximus ad 1, 5, 38.

nuat; sed in tantum evocare eum, quantum sumere ex
17 uno satis sit[f]. At in eo, qui verum *invitus* dicturus est, prima felicitas interrogantis est, extorquere, quod is noluerit. Hoc non alio modo fieri potest, quam longius interrogatione repetita. Respondebit enim, quæ nocere causlæ non arbitrabitur: ex pluribus deinde, quæ confessus erit, eo perducetur, ut, quod dicere non vult, nega-
18 re non possit. Nam, ut in oratione sparsa[g] plerumque colligimus argumenta, quæ per se nihil reum aggravare videantur, congregatione deinde eorum factum convincimus: ita hujusmodi testis multa de *ante actis*, multa de *insecutis loco, tempore, persona*, ceteriſque est interrogandus, ut in aliquod responsum incidat, post quod illi vel fateri, quæ volumus, necesse sit, vel iis, quæ jam dixerit, repugnare.
19 Id si non contingit, reliquum erit, ut eum nolle dicere manifestum sit: protrahendusque, ut in aliquo, quod[h] vel extra causam sit, deprehendatur: tenendus etiam diutius, ut omnia ac plura, quam res desiderat, pro reo dicendo suspectus judici fiat: quo non minus nocebit, quam
20 si vera in reum dixisset. At, si (quod secundo loco diximus) *nescit*[i] actor, quid propositi testis attulerit: paullatim, et (ut dicitur) pedetentim interrogando experietur animum ejus, et ad id responsum, quod eliciendum erit,
21 per gradus ducet. Sed, quia nonnumquam sunt hæ quoque testium artes, ut primo ad voluntatem respondeant, quo majore fide diversa postea dicant: est oratoris, sus-
22 pectum testem, dum prodest, dimittere. Patronorum[l] in parte *expeditior*, in parte *difficilior* interrogatio est. *Difficilior* hoc, quod raro umquam possunt ante judicium scire, quid[m] testis dicturus sit; *expeditior*, quod, cum interro-
23 gandus est[n], sciunt, quid dixerit. Itaque in eo, quod incertum est, cura et inquisitione opus est, quis* reum

[f] est Jens. [g] perosa G. *et liber Vallæ ap. Burm.* [h] quod *et mox* sit *om.* G. [i] nesciat G. [l] Patroni G. [m] quod Jens. [n] sit Jens. * *Forte leg.* qui reum premat, quas.

22. *cum interrogandus est*] Nimirum vetus judiciorum forma semper ante oculos habenda est. Interrogat testem non judex modo, non modo qui dat, sive producit; sed alter etiam, contra quem datur. Patronus itaque certe eo tempore, quo licet ipsi interrogare testem contra se adductum, jam novit, quid is dixerit.

23. *quis reum premat*] Reliqui scripturam vulgatam: sed non dissimulo, videri eam corruptam. Quid enim? scit patronus, *quid dixerit testis?* et tamen cura et inquisitione opus est, *quis reum premat?* Stupidum mihi narras, Fabi, patronum, et schola tua indignum. Ita-

premat? quas, et quibus ex cauſſis inimicitias habeat [o]? eaque in oratione prædicenda atque amolienda [p] ſunt, ſive odio conflatos teſtes, ſive invidia, ſive gratia, ſive pecunia videri volumus. Et, ſi deficietur [q] numero pars diverſa, *paucitatem*; ſi abundabit, *conſpirationem*; ſi humiles producet, *vilitatem* [r]; ſi potentes, *gratiam* oportebit inceſſere. Plus tamen proderit cauſſas, propter quas reum lædant, 24
exponere: quæ ſunt variæ, et pro conditione cujuſque litis aut litigatoris. Nam contra illa, quæ ſupra diximus, ſimili ratione reſponderi locis communibus ſolet [s]: quia et [t] in paucis atque humilibus accuſator *ſimplicitate* gloriari poteſt, quod neminem præter eos, qui poſſunt [u] ſcire, quæſierit: et multos atque honeſtos commendare aliquanto eſt facilius. Verum interim et ſingulos, ut exornare, 25
ita deſtruere contingit, aut recitatis in actione, aut nominatis teſtibus. Quod iis temporibus, quibus teſtis non niſi [x] poſt finitas actiones rogabatur, et facilius et frequentius fuit. Quid autem in quemque teſtium dicendum ſit, ſumi niſi ex ipſorum perſonis non poteſt. Reliquæ inter- 26
rogandi ſunt partes. Qua in re primum eſt, *noſſe teſtem*: nam timidus terreri, ſtultus decipi, iracundus concitari, ambitioſus inflari, longus protrahi poteſt: prudens vero et conſtans vel, tamquam inimicus et pervicax, dimittendus ſtatim, vel non interrogatione, ſed brevi interlocutione patroni refutandus eſt; aut aliquo, ſi continget, urbane dicto refrigerandus; aut, ſi quid [z] in ejus vitam dici po-

[o] habuit *id.* [p] admonenda *id. bene, puto.* [q] deficiet G. [r] utilitatem G. *vulgari errore, quem in aliis quoque hic notat Bur.* [s] ſolent G. Jenſ. [t] ut *iid.* [u] putent Jenſ. [x] niſi *om.* G. non poteſt infinitas Jenſ. [z] ſi qua G.

que, niſi vehementer fallor, ita dedit, vel non multum aliter Fabius, *Qui reum premat, quas, et quibus ex cauſſis inimicitias habeat?* Conſtructio a monachorum ſermone aliquantum abhorrens, occaſionem dedit mutandi *qui* in *quis*, et pervertendæ ſententiæ.

25. *recitatis in actione*] Non video, quid hæc inter ſe diſtent, *recitatis in actione teſtibus*, et *nominatis*: niſi forte *recitantur teſtes*, cum teſtimonia illorum de ſcripto leguntur; *nominantur*, cum ad eos provocatur ſimpliciter. Sed auctoritatem deſidero. *Actionem* autem hic intelligo accuſationem. Turnebus, vel quiſquis eſt, qui pro *recitatis*, *citatis* legi vult, h. e. in conſpectum vocatis, neſcio, an melius ſe expediat.

26. *longus protrahi*] Non dubito, quin ſana ſit hæc ſcriptura, a noſtris etiam, quod tacendo indicavimus, probata. Vult Fabius unumquemque in vitium, ad quod propendet natura ipſius, impelli. Ut igitur *timidus terreri poteſt, ſtultus decipi*, cet. ſic *longus protrahi*, ut delapſus in illud ſuum ſolenne vitium moleſtus fiat judicibus, et ſomnum illis inducat.

26. *refrigerandus*] Attentio judicum, et, quem inde concipere po-

27 terit, infamia criminum deſtruendus. Probos quoſdam et verecundos non aſpere inceſſere profuit: nam ſæpe, qui adverſus inſectantem pugnaſſent, modeſtia mitigantur. Omnis autem interrogatio *aut in*[a] *cauſſa* eſt, *aut extra cauſſam*. *In cauſſa*, ſicut accuſatori præcepimus, patronus quoque altius, et unde nihil ſuſpecti ſit, repetita percontatione, priora ſequentibus applicando, ſæpe eo perducit
28 homines, ut invitis, quod profit, extorqueat. Ejus rei fine dubio nec diſciplina ulla in ſcholis, nec exercitatio traditur: et naturali magis acumine, aut uſu contingit hæc virtus. Si[b] quod tamen exemplum ad imitationem demonſtrandum ſit, ſolum eſt, quod *ex dialogis Socraticorum*, maximeque *Platonis*, duci poteſt: in quibus adeo ſcitæ ſunt interrogationes, ut, cum[c] pleriſque bene reſpondeatur, res tamen ad id, quod volunt efficere, perve-
29 niat. Illud fortuna interim præſtat, ut aliquid, quod inter ſe parum conſentiat, a teſte dicatur: interim, (quod ſæpius evenit) ut teſtis teſti diverſa dicat. Acuta autem interrogatio ad hoc, quod caſu fieri ſolet, etiam ratione
30 perducet. *Extra cauſſam* quoque multa, quæ profint, rogari[d] ſolent, de vita teſtium aliorum, de ſua quiſque, ſi turpitudo, ſi humilitas, ſi amicitia accuſatoris, ſi inimicitiæ cum reo: in quibus aut dicant aliquid, quod profit, aut in mendacio vel cupiditate lædendi deprehendantur.
31 Sed in primis *interrogatio debet eſſe circumſpecta*, quia multa contra patronos venuſte teſtis ſæpe reſpondet, eique præcipue vulgo favetur; tum verbis quam maxime ex medio ſumtis, ut, qui rogatur, (is autem eſt ſæpius et imperitus) intelligat, aut ne intelligere ſe neget, quod in-
32 terrogantis non leve frigus eſt. Illæ vero peſſimæ artes,

[a] ex G. [b] ſed G. [c] in *inf.* G. Jenſ. [d] interrogari *iid.*

terant, calor, atque ſtudium, joco illo interpellatur. Ita deinde ſ. 31. *quod interrogantis non leve frigus eſt*. Nimirum *frigus* ſolenni metonymia non tam ad illum pertinet, qui *refrigerari* vel *frigidus* fieri dicitur, ille enim æſtuat potius in tali re, ſudat, et plus, quam opus eſt, calet; quam ad auditores, quos is, qui ſic *refrigeratus* eſt, non jam poteſt incendere, ſed riſum potius illis movet. Ita *frigidi* ſunt *joci* æſtuantis etiam ſcurræ et ſudantis, qui non movent riſum audientium. Ita noſter 5, 10, 31. *Illud apud Euripidem frigidum*. Add. 6, 3, 53.

29. *Acuta interrogatio*] Talis eſt, de qua Cic. pro Flacco c. 10. *Ubi eſt igitur illa laus oratoris, quæ vel in accuſatore antea vel in patrono ſpectari ſolebat? Bene teſtem interrogavit, callide acceſſit, reprehendit, quo voluit adduxit, convicit, et elinguem reddidit.*

31. *non leve frigus*] Vid. ad ſ. 26.

teſtem ſubornatum in ſubſellia adverſarii mittere, ut inde excitatus plus noceat, vel dicendo contra reum, cum quo ſederit; vel, cum adjuviſſe teſtimonio videbitur, faciendo ex induſtria multa immodeſte atque intemperanter, per quæ non a ſe tantum dictis detrahat fidem, ſed ceteris quoque, qui profuerant, auferat auctoritatem: quorum mentionem habui, non ut fierent, ſed ut vitarentur. Sæ- 33
pe inter ſe collidi ſolent, inde teſtatio, hinc teſtes: locus utrimque: hæc enim ſe pars jurejurando, illa conſenſu ſignantium tuetur. Sæpe inter teſtes et argumenta quæſitum eſt: inde ſcientiam in teſtibus et religionem; ingenia eſſe in argumentis dicitur: hinc teſtem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri; argumenta ex natura duci: in his judicem ſibi; in illis alii credere. Communia hæc pluribus cauſſis, multumque jactata ſunt, 34
ſemperque [f] jactabuntur. Aliquando utrimque ſunt teſtes, et quæſtio ſequitur, ex ipſis [g], *Utri meliores viri?* ex cauſſis, *Utri magis credibilia dixerint?* ex litigatoribus, *Utri gratia magis valuerint?* His adjicere ſi quis volet ea, 35
quæ *divina teſtimonia* vocantur, *ex reſponſis, oraculis, ominibus:* duplicem ſciat eorum eſſe tractatum, *generalem* alterum, in quo inter Stoicos et Epicuri ſectam ſecutos pugna perpetua eſt, *Regaturne providentia mundus? ſpecialem* alterum, contra partes divinationis, ut quæque in quæſtionem cadit. Aliter enim *oraculorum*, aliter *aruſpi-* 36
cum, augurum, conjectorum, et *mathematicorum* fides confirmari, aut refelli poteſt, cum ſit rerum earum ratio diverſa. Circa ejuſmodi quoque inſtrumenta firmanda, vel deſtruenda, multum habet operis oratio: ſi quæ ſint voces per vinum, ſomnum, dementiam emiſſæ, vel excepta parvulorum [h] indicia, quos pars altera nihil fingere, altera nihil judicare [i] dictura eſt. Nec tantum præſtari hoc genus 37

[f] tamen *inſ.* G. Jenſ. [g] his G. [h] periculorum G. [i] indicare G. Jenſ.

33. *teſtatio*] Eorum eſt teſtatio, qui *per tabulas dicunt teſtimonia*, ut ſupra ſ. 1. dictum. Vid. 5, 13, 49.

33. *locus utrimque*] h. e. utraque pars locum communem habet, quo tueatur ſe in tali colliſione.

36. *nihil fingere*] Concinit Germanorum proverbium, qui *pueros et ſtultos verum dicere* aiunt. De ebriis notum illud, *In vino veritas*; et Hor. A. P. 434.

Reges dicuntur multis urgere cullis
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus.

37. *præſtari hoc genus*] Non tantum teſtes dandi, interrogandi arte, refellendi, de quo adhuc dictum; ſed etiam poſtulari, ubi non ſunt, poſſunt, ſi id referat litigantis,

poteſt, ſed etiam, ubi non eſt, deſiderari ſolet: *Pecuniam dediſti: quis numeravit? ubi? unde? Venenum arguis: ubi emi? a quo? quanti? per quem dedi? quo conſcio?* Quæ fere omnia pro Cluentio Cicero in crimine veneficii excutit. Hæc *de inartificialibus*, quam breviſſime potui.

VIII. Pars altera probationum, quæ eſt tota *in arte*, conſtatque rebus ad faciendam fidem appoſitis, plerumque aut omnino negligitur, aut leviſſime attingitur ab iis, qui argumenta, velut horrida et confragoſa, vitantes, amœnioribus locis deſident: neque aliter quam ii, qui traduntur a poetis guſtu cujuſdam apud Lotophagos graminis [k], et Sirenum cantu deliniti, voluptatem ſaluti prætuliſſe, dum laudis falſam imaginem ſequuntur [l], ipſa, propter
2 quam dicitur, victoria cedunt [m]. Atqui cetera, quæ continuo magis orationis tractu decurrunt, in auxilium atque [n] ornamentum argumentorum comparantur, nerviſque illis, quibus cauſſa continetur, adjiciunt ſuperinducti [o] corporis ſpeciem: ut, ſi forte quid factum *ira*, vel *metu*, vel *cupiditate* dicatur, latius, quæ cujuſque affectus natura ſit, pro-

[k] germinis *conj. Vallæ vel alterius ap. Burm. et ipſius adeo viri doctiſſimi.* [l] perſequ. Jenſ. *et multi ap. Bur.* proſequ. G. [m] cadunt *editt. quædam, quod placet quoque Bur.* [n] in argumentorum ornamentum G. [o] inducti ſuper G.

VIII, 1. *cujuſdam apud Lotophagos graminis*] Non definit Homerus, ubi de Lotophagis agit, Ὀδ. ι'. 84. ſqq. arboriſne fœtum ederint, an fructum leguminis, an florem herbæ? Quin, ſi attendas, pro flore eſt, quod ἄνθινον εἶδαρ vocat, floreum cibum. Nec obſtat, quod καρπὸν vocat: quoties enim generatim καρπὸν ἀρούρης pro cibo univerſo hominum ponit? Deinde Lotum herbam ac florem alias quoque novit, et cum Croco atque Hyacintho jungit Ν. ξ'. 348. Porro herbas in ciborum deliciis eſſe, apud priſcos in primis illos, quis neget, niſi qui Aſphodelum, inferorum cibum, et Perſarum Naſturtium, ac infinita hodie acetaria, ignoret? Denique *gramen* pro herba dici, inauditum non eſt. Virgilius Æn. 12, 415. *Dictamnum* ubi deſcripſit, *Puberibus caulem foliis et flore comantem Purpureo*: ſubjungit, *non illa feris incognita capris Gramina.* Ubi Servius *pro herba* hic poni indicat: qui etiam ad Æn. 12, 119. *Gramen*, inquit, *herbæ ſpecies eſt, licet omnis herba* gramen *vocetur, ſicut* robur *omne lignum, cum ſit et ſpecies.* De *corona graminea* Plinius 21, 6. ſ. 7. *Nullæ herbæ fuere certæ in hoc honore: ſed quæcunque fuerant in periculi ſede, quamvis ignobiles ignotæque, honorem nobilem faciebant.* Quæ cum ita ſint, non puto vel corruptum hic aliquid, vel memoria lapſum Fabium, ut *gramen* pro arbore diceret.

1. *victoria cedunt*] Puto uſum hoc verbo Fabium, ut indicaret, ſponte quaſi ſua cauſam prodere, et victoriam tradere adverſario, qui laudis nimium ſtudioſi ſint. Deinde nondum inveni, qui, ut *cauſa, prælio, Marte*; ſic etiam *victoria*, vel *triumpho*, aut *præmio cadere* dixerit.

ſequamur. Iiſdem *laudamus*, *incuſamus*, *augemus*, *minuimus*, *deſcribimus*, *deterremus*, *querimur*, *conſolamur*, *hortamur*. Sed horum eſſe opera in rebus aut certis, aut de quibus tamquam certis loquimur, poteſt. Nec abnuerim eſſe aliquid in *delectatione*, multum vero in *commovendis affectibus*: ſed hæc ipſa plus valent, cum ſe didiciſſe judex putat: quod conſequi niſi argumentatione, aliaque omni fide rerum, non poſſumus. Quorum priuſquam partior [p] ſpecies, indicandum reor, eſſe quædam in omni probationum genere communia. Nam nec ulla quæſtio [q], quæ non ſit aut *in re*, aut *in perſona*; nec eſſe argumentorum loci poſſunt, niſi in iis, quæ *rebus* aut *perſonis* accidunt: eaque aut per ſe inſpici ſolent, aut ad aliud referri: nec ulla confirmatio, niſi aut [r] *ex antecedentibus*, aut *ex conſequentibus*, aut *ex repugnantibus* [s]: et hæc neceſſe eſt aut *ex præterito tempore*, aut *ex conjuncto*, aut *ex ſequenti* petere: nec ulla res probari niſi ex alia poteſt: eaque ſit oportet aut *major*, aut *par*, aut *minor*. *Argumenta* vero reperiuntur aut in *quæſtionibus*, quæ etiam ſeparatæ a complexu rerum perſonarumque ſpectari per ſe poſſint [t]: aut *in ipſa cauſſa*, cum invenitur aliquid in ea, non ex communi ratione ductum, ſed ejus judicii, de quo cognoſcitur, proprium. *Probationum* præterea omnium aliæ ſunt *neceſſariæ*, aliæ *credibiles*, aliæ *non repugnantes*. Adhuc, omnium probationum quadruplex ratio eſt, ut vel, quia aliquid eſt, aliud non ſit, ut, *Dies eſt, nox non eſt*: vel, quia eſt aliquid, aliud ſit, ut, *Sol eſt ſuper terram, dies eſt*: vel, quia aliquid non eſt, aliud ſit, ut, *Nox non eſt, dies eſt*: vel, quia aliquid non eſt, nec aliud ſit, ut, *Non eſt rationale* [u], *nec homo eſt*. His in univerſum prædictis partes ſubjiciam.

IX. Omnis igitur probatio artificialis conſtat aut *ſignis*, aut *argumentis*, aut *exemplis*. Nec ignoro pleriſque videri *ſigna* partem argumentorum: quæ mihi ſeparandi ratio hæc fuit prima, quod ſunt pene ex illis inartificialibus: *cruenta* enim *veſtis*, et *clamor*, et *livor*, et talia, ſunt *inſtrumenta*, qualia *tabulæ*, *rumores*, *teſtes*; nec inveniuntur [x] ab

[p] partiamur G. Jenſ. [q] eſt *inſ. iid.* [r] ex antecedd. *om. iid.* [s] pugnantibus G. [t] poſſunt G. [u] rationabile G. rationalis Jenſ. *et al.* [x] reperiuntur G.

3. *ſe didiciſſe putat*] Cum argumentis docentibus ita admixta et quaſi adſperſa eſt delectatio, ut judex non ſentiat, quæſitam eſſe ab actore voluptatem; ſed eam ex ipſo veri ſenſu, in animum cum motu quodam illabentis, obiter excitatam.

2 oratore, ſed ad eum cum ipſa cauſſa deferuntur: altera, quod *ſigna*, ſive indubitata ſint, non ſunt argumenta; quia, ubi illa ſunt, quæſtio non eſt; argumento autem, niſi in re controverſa, locus eſſe non poteſt: ſive dubia, 3 non ſunt argumenta, ſed ipſa argumentis [z] egent. Dividuntur autem in has primas duas ſpecies, quod eorum alia ſunt, (ut dixi) quæ *neceſſaria* ſunt, quæ [a] Græci vocant τεκμήρια; alia *non neceſſaria*, quæ σημεῖα. Priora illa ſunt, quæ aliter habere ſe non poſſunt; quæ mihi vix pertinere ad præcepta artis videntur: nam, ubi eſt ſignum 4 inſolubile, ibi ne lis quidem eſt. Id autem accidit, cum quid aut neceſſe eſt fieri, factumve eſſe; aut certe omnino non poteſt fieri, vel eſſe factum: quo in cauſſis poſito, lis 5 non eſt [niſi [b]] facti. Hoc genus per omnia tempora perpendi ſolet. Nam et *coiſſe eam cum viro, quæ peperit*, quod eſt præteriti; et *fluctus eſſe, cum magna vis venti in mare incubuit*, quod conjuncti; et *eum mori, cujus cor eſt vulneratum*, quod futuri; neceſſe eſt. Nec fieri poteſt, ut *ibi ſit meſſis, ubi ſatum non eſt*; ut *quis Romæ ſit, cum eſt* 6 *Athenis*; ut *ſit ferro vulneratus, qui ſine cicatrice eſt*. Sed quædam et retrorſus idem valent, ut, *vivere hominem, qui ſpirat*; et *ſpirare, qui vivit*: quædam in contrarium non recurrunt: nec enim, *quia movetur, qui ingreditur, idcirco*

[z] non Jenſ. *male*. [a] priora illa ſunt quæ al. hab. non poſſ. q. Gr. τεκμ. vocant, quæ ſunt ἄλυτα σημεῖα, quæ m. v. &c. G. *pro* ἄλυτα σημεῖα V. C. Almel. *habet* alia ſimilia. *Sed* Jenſ. *ita*: pr. i. ſ. q. a. h. ſe non poſſ. q. Gr. vocant—alia quæ—quæ m. v. [b] *Delendum cenſeo* niſi, *inde forte ortum, quod* non eſt lis *habent alii, v. g.* Gothanus, *itemque* Obr.

IX, 3. *quæ neceſſaria ſunt*] Recepta lectio eſt ex conjectura et correctione Regii. Conſideranti propoſitam ſupra varietatem, propius videbatur ad manum mentemque Fabii nos poſſe accedere, ſi ita legamus: *Dividuntur autem—quod eorum alia ſunt, ut dixi, quæ neceſſaria*, ALIA, QUÆ NON NECESSARIA *ſunt. Priora illa ſunt, quæ aliter habere ſe non poſſunt, quæ Græci* τεκμήρια *vocant, quæ ſunt* ἄλυτα σημεῖα, *quæ mihi vix* &c. Ita ſervatur ſimpliciter antiquiſſima, de qua conſtet, lectio, ſuppletis modo verbis, quæ dividendi lex requirit; quæque facile propter repetitionem vocis *neceſſaria* exciderunt; quæ mutandi et trajiciendi cauſam deinde Regio præbuerunt. Nimirum breviter proponitur primum diviſio: deinde latius tractatur, prius quidem membrum hic, alterum vero ſ. 8. Ἄλυτα σημεῖα, (quibus accinit ſonus *alia ſimilia*) reſpondent accurate verbis Fabii ſ. 3, *nam ubi eſt ſignum inſolubile*; quæ appellatio reſpicit, puto, problemata mathematicorum: *ſignum inſolubile*, cujus alia dari ratio non poteſt, quod aliorſum trahi non poteſt &c. Mihi res videbatur certa; et apparet, etiam Regium verba illa, *alia non neceſſaria* inſeruiſſe; ſicut etiam mox ſ. 14 certa ratione factum eſt.

etiam ingreditur, qui movetur. Quare poteſt et *coiſſe cum* 7
viro, quæ non peperit; et *non eſſe ventus in mari, cum eſſet*
fluctus; *nec utique cor ejus vulneratum eſſe, qui perit*: ac ſi-
militer *ſatum fuiſſe* poteſt, *ubi non fuit meſſis*; *nec* [c] *fuiſſe*
Romæ, qui non fuit Athenis; *nec fuiſſe ferro vulneratum,*
qui habet cicatricem. Alia ſunt ſigna non neceſſaria, quæ 8
εἰκότα Græci vocant: quæ, etiamſi ad tollendam dubita-
tionem ſola non ſufficiunt, tamen adjuncta [d] ceteris, plu-
rimum valent. *Signum* vocant (ut dixi) σημεῖον, quam- 9
quam id quidam *indicium*, quidam *veſtigium* nominave-
runt, per quod alia res intelligitur, ut *per ſanguinem cæ-*
des. At, quia [e] ſanguis vel ex hoſtia reſperſiſſe veſtem po-
teſt, vel e naribus profluxiſſe: non utique, qui veſtem
cruentam habuerit, homicidium fecerit. Sed, ut per ſe 10
non ſufficit, ita ceteris adjunctum [f], teſtimonii loco dici-
tur, *ſi inimicus, ſi minatus ante, ſi eodem loco fuit*: quibus
ſignum cum acceſſit, efficit, ut, quæ ſuſpecta erant, certa
videantur. Alioqui ſunt quædam ſigna utrique parti 11
communia, ut *livores, tumores.* Nam videri poſſunt et *ve-*
neficii, et *cruditatis* [g]: et *vulnus in pectore*, ſua manu, et
aliena periſſe dicentibus in æquo [h] eſt. Hæc perinde fir-
ma [i] habentur, atque extrinſecus adjuvantur. Eorum au- 12
tem, quæ *ſigna* ſunt quidem, ſed *non neceſſaria*, genus
Hermagoras putat, *non eſſe virginem Atalantam*, quia cum
juvenibus per ſilvas vagetur. Quod ſi receperimus, ve-
reor, ne omnia, quæ ex facto ducuntur, ſigna faciamus.
Eadem tamen ratione, qua ſigna, tractantur. Nec mihi 13
videntur Areopagitæ, cum damnaverunt puerum coturni-
cum [l] oculos eruentem, aliud judicaſſe, quam id ſignum
eſſe pernicioſiſſimæ mentis, multiſque malo futuræ, ſi ado-
leviſſet. Unde Spurii Melii, Marcique Manlii populari-
tas, ſignum affectati regni eſt exiſtimatum. Sed vereor, 14
ne longe nimium nos ducat hæc via. Nam, ſi eſt ſignum
adulteræ, lavari cum viris; erit et, convivere cum adoleſ-
centibus, deinde etiam, familiariter [m] alicujus amicitia

[c] *Sic* G. *et* Jenſ. fuiſſe Romæ, qui fuit Athenis *nl.* [d] adjuta G. *ut ſ.* 11 extrinſecus adjuvantur. [e] *om.* G. Jenſ. [f] adjutum G. *vid. no. d.* [g] crudelitatis G. [h] quo G. Jenſ. [i] firmabuntur G. [l] cornicum G. [m] familiaritate al. aut amic. G.

13. *coturnicum oculos eruentem*] Blandiri alicui poterat Gothana lectio, quod notum eſt proverbium de *cornicum configendis oculis*, de quo ad 8, 3, 22. Sed nihil mutandum. Ludus ſolennis apud Græcos ὀρτυγοκοπία, de quo Pollux 7, 136. et 9, 106.

uti: ut fortaſſe corpus vulſum, fractum inceſſum, veſtem muliebrem, dixerit [n] mollis et parum viri ſigna, ſi [o] cui, (cum ſignum id proprie ſit, quod ex eo, de quo quæritur, natum ſub oculos venit) ut ſanguis e cæde, ita illa ex impudicitia fluere videantur. Ea quoque, quæ, quia plerumque obſervata ſunt, vulgo ſigna creduntur, ut prognoſtica [p],

——*vento rubet aurea Phœbe*;

Et,

Cornix plena pluviam vocat improba voce;

ſi cauſſas ex qualitate cœli trahunt, ſane ita appellentur. 16 Nam, ſi vento rubet Luna, ſignum venti eſt rubor. Et ſi, ut idem poeta colligit, denſatus et laxatus aer facit, ut ſit inde *ille avium concentus*, idem ſentiemus. Sunt autem ſigna etiam parva magnorum, ut vel hæc ipſa cornix: nam, majora minorum eſſe, nemo miratur.

X. Nunc *de argumentis*. Hoc enim nomine complectimur omnia, quæ Græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant: quamquam apud illos eſt aliqua horum nominum differentia, etiamſi vis eodem fere tendit. Nam *enthymema* (quod nos *commentum* ſane, aut *commentationem* interpretamur, quia aliter non poſſumus, Græco melius uſuri [q]) unum intellectum habet, quo omnia mente concepta ſignificat, ſed nunc de eo non [r] loquimur; alterum, 2 quo [s] ſententiam cum ratione; tertium, quo [t] certam quamdam argumenti concluſionem, vel ex conſequentibus, vel ex repugnantibus [t]: quamquam de hoc parum convenit. Sunt enim, qui illud prius *epicherema* dicant: pluresque invenias in ea opinione, ut id demum, quo pugna 3 conſtat, *enthymema* accipi velint. Et ideo illud Cornificius *contrarium* appellat: hunc alii *rhetoricum ſyllogiſmum*, alii *imperfectum ſyllogiſmum* vocaverunt, quia nec diſtinctis,

n dixerim G. o ſicut autem ſi G. *male*. p pronoſtica Jenſ. prænoſt. G. q uti G. *non male*. r *om.* G. s quod G. Jenſ. t pugnantibus G.

15. *vento rubet*] Georg. 1, 430. et alterum 1, 388. tertium autem 1, 418.

3. *Cornificius*] Idem dixit, et forte idem eſt, auctor ad Herenn. 4, 18. *Contrarium eſt, quod ex rebus diverſis duabus, alteram breviter et facile confirmat, hoc pacto: Nam, qui ſuis rationibus fuerit inimicus ſemper, eum quomodo alienis rebus amicum fore ſperes* &c.

nec totidem partibus concluderetur: quod sane non utique ab oratore desideratur. *Epicherema* Valgius *aggressionem* vocat; Celsus autem judicat, non nostram administrationem, sed ipsam rem, quam aggredimur, id est argumentum, quo aliquid probaturi sumus, etiamsi nondum verbis explanatum, jam tamen mente conceptum, *epicherema* dici. Aliis videtur, non destinatam, vel inchoatam, 4 5 sed perfectam probationem [u] hoc nomen accipere, et ultimam speciem. Ideoque propria ejus appellatio, et maxime in usu posita est, qua significatur certa quædam sententiæ comprehensio [x], quæ ex tribus minimum partibus constat. Quidam *epicherema rationem* appellarunt, Cicero 6 melius, *ratiocinationem* [z]: quamquam et ille nomen hoc duxisse magis a syllogismo videtur. Nam et statum syllogisticum, *ratiocinativum* appellat, exemplisque utitur philosophorum. Et, quoniam est quædam inter *syllogismum* et *epicherema* vicinitas, potest videri hoc nomine recte [a] abusus. Ἀπόδειξις est *evidens* [b] *probatio*, ideoque 7 apud Geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur. Hanc et ab *epicheremate* differre Cæcilius putat solo genere conclusionis, et esse *apodixin* [c], *imperfectum epicherema*, eadem caussa, qua diximus et *enthymema syllogismo* distare. Nam et *enthymema* [d] syllogismi pars est. Quidam inesse epicheremati apodixin putant, et esse partem ejus confirmantem. Utrumque autem, quamquam diversi auctores, eo- 8 dem modo finiunt, ut [e] sit ratio [f] per ea, quæ certa sunt, fidem dubiis afferens: quæ natura est omnium argumentorum: neque enim certa incertis declarantur. Hæc omnia generaliter πίστεις appellant: quod etsi [g] propria interpretatione dicere *fidem* possumus, apertius tamen *probationem* interpretabimur. Sed *argumentum* quoque plura sig- 9

[u] orationem G. [x] compressio G. Jens. *ortum ex* comprensio. [z] ratiocinativum *ibid.* [a] rectius G. [b] audens G. [c] *Quid si* apodixin imperfectam epicherema? *ut syllogismus imperfectus est enthymema.* [d] *Sic editores Galli Vascosanum suum secuti, et res ipsa nimis aperte postulat:* epichirema *rel.* [e] scilicet rationem—afferentem G. *et al.* [f] oratio Jens. Ald. Bas. [g] etiam G. Jens. *quod eo minus damnaverim, quia sic in suis invenit etiam Regius, a cujus conjectura est recepta lectio.*

6. *Cicero melius*] De Inv. 1, 31. diviserat argumentationem omnem in inductionem et ratiocinationem: hanc deinde c. 34. ita definit, *Est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet.* Ex allatis deinde ab ipso exemplis patet, eum Syllogismum, cum majoris et minoris probatione intelligere. Nusquam tamen, quod observaverim, *epichirema* se ita interpretari ait.

nificat. Nam et fabulæ ad actus [h] ſcenarum compoſitæ, *argumenta* dicuntur: et orationum Ciceronis velut thema ipſe exponens [i] Pedianus, *Argumentum*, inquit, *tale eſt:* et ipſe Cicero ad Brutum ita [l] ſcribit, *Veritus fortaſſe, ne nos in Catonem noſtrum transferamus* [m] *illinc mali quid, etſi argumentum ſimile non erat.* Quo apparet, omnem 10 ad ſcribendum deſtinatam materiam ita appellari. Nec mirum, cum id inter opifices quoque vulgatum ſit: unde Virgilius, *Argumentum ingens:* vulgoque paullo numeroſius opus dicitur *argumentoſum.* Sed nunc de eo dicendum *argumento* eſt, quod [n] *probationem, indicium, fidem, aggreſſionem*, ejuſdem rei nomina, facit; parum diſtincte, 11 ut arbitror. Nam *probatio* et *fides* efficitur non tantum per hæc, quæ ſunt rationis, ſed etiam per inartificialia. *Signum* autem, quod ille *indicium* vocat, ab argumentis jam ſeparavi. Ergo, cum ſit *argumentum, ratio* [o] *probationem præſtans, qua* [p] *colligitur aliud per aliud, et quæ, quod eſt dubium, per id, quod dubium non eſt, confirmat:* neceſſe eſt eſſe aliquid in cauſſa, quod probatione non egeat. 12 Alioqui nihil erit, quo probemus, niſi fuerit, quod aut ſit verum, aut videatur, ex quo dubiis fides fiat. Pro certis autem habemus primum, quæ ſenſibus percipiuntur, ut, quæ videmus [q], audimus; qualia ſunt *ſigna:* deinde ea, in quæ communi opinione conſenſum eſt, *Deos eſſe, Præ-* 13 *ſtandam pietatem parentibus:* præterea, quæ legibus cauta ſunt: quæ perſuaſione, etiamſi non omnium hominum, ejus tamen civitatis aut gentis, in qua res agitur, in mores recepta ſunt; ut pleraque in jure, non legibus, ſed moribus conſtant: ſi quid inter utramque partem convenit: ſi quid probatum eſt: denique, cuicumque adverſa- 14 rius non contradicit. Sic enim fiet argumentum, *Cum providentia mundus regatur, adminiſtranda* [r] *eſt reſpublica:* ut adminiſtranda reſpublica ſit, ſi liquebit mundum pro- 15 videntia regi. Debet [s] etiam nota eſſe recte argumenta

[h] actum G. [i] exponit G. Jenſ. [l] *om. iid.* [m] transferremus illi mali qui G. illi *etiam* Jenſ. [n] Celſus *inſ. quid. ex conj. Regii. et ſane deeſſe videtur nomen alicujus, qui reprehendatur.* [o] probabilem *inſ.* G. [p] quia coll. aliquid Jenſ. [q] vidimus, audivimus G. Jenſ. [r] adm. res p. ſit, ſi liqu. *omiſſis cæteris ob repetitionem eorundem verborum* G. Jenſ. *cum reliquis. Reſtitutio debetur Regio.* [s] Debent G. Jenſ.

10. *Virgilius*] Æn. 7, 791. cujus locum ad Cic. Verr. 4, 56. olim adhibuere viri docti. Reliqua damus ad Lexica a nobis polita.

11. *ſeparavi*] Supra 5, 9, 2.

14. *Cum providentia*] De lectione ſupra judicavi. De ipſo argumento dixi ad 3, 5, 6.

tractaturo, vis et natura omnium rerum, et quid quæque earum plerumque efficiat: hinc enim sunt, quæ εἰκότα dicuntur. *Credibilium* autem genera sunt tria: unum firmissimum, quod fere accidit, ut, *Liberos a parentibus amari:* alterum velut propensius, *Eum, qui recte valeat, in crastinum perventurum:* tertium tantum non repugnans, *In domo furtum factum ab eo, qui domi fuit.* Ideoque Aristoteles in secundo de Arte Rhetorica libro diligentissime est exsecutus, quid cuique rei, et quid cuique homini soleat[t] accidere; et quas res, quosque homines, quibus rebus, aut hominibus, vel conciliasset, vel alienasset ipsa natura: ut, *divitias quid*[u] *sequatur,* aut *ambitum,* aut *superstitionem; quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid rustici, quo quæque modo res vitari vel appeti soleat.* Verum hoc exsequi mitto: non enim longum tantum, sed etiam impossibile, ac potius infinitum est: præterea positum in communi omnium intellectu. Si quis tamen desideraverit, a quo peteret, ostendi. Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima consistit argumentationis, ex hujusmodi fontibus fluunt, *An credibile sit, a filio patrem occisum, incestum cum filia commissum?* et contra, *veneficium in noverca, adulterium in luxurioso?* Illa quoque, *An scelus palam factum? An falsum dixerit propter exiguam summam?* quia suos quisque horum velut mores habet: plerumque tamen, non semper: alioqui[x] indubitata essent, non argumenta. Excutiamus nunc argumentorum locos: quamquam quibusdam ii quoque, de quibus supra

16 17 18 19 20

[t] solet *iid.* [u] qui G. Jens. [x] alioquin Jens.

16. *velut propensius*] Translatio sumta, arbitror, a libra, quæ non jam in æquilibrio est, sed in alteram partem aliquantulum inclinata. Indicatur igitur medius gradus, inter id, quod firmissimum est, et illud, quod modo non repugnat.

18. *hoc exsequi mitto*] At ego mallem, Marce, tibi placuisset in illum campum excurrere, et illam partem Aristotelicæ doctrinæ pro divina tua copia et suavitate exponere: qua in re majorem sane gratiam a nobis initurus eras, quam spinosis illis Technicorum divisionibus, finitionibusque, ad patientissimorum usque fastidium enarrandis, quibus tamen nemo fiat vel melior orator, vel vir prudentior. Aureum opus vel ob illam ipsam morum notationem, Aristotelis rhetorica.

19. *et contra*] Intellige hic, *an credibile sit.* Sic etiam mox, *An scelus palam factum* &c. Nam incredibilius fit, si palam factum esse, sine spe latendi dicatur: incredibilius item est propter exiguam summam aliquem pejerasse, quam propter magnam.

20. *de quibus supra dixi*] v. g. signa, testes, de quibus capitibus proximis.

dixi, videntur. *Locos* appello, non, ut vulgo nunc intelliguntur, ut, *in*[z] *luxuriem*, et *adulterium*, et similia; sed *sedes argumentorum, in quibus latent, et ex quibus sunt petenda.* 21 Nam, ut in terra non omni generantur omnia, nec avem aut feram reperias, ubi quæque nasci aut morari soleat, ignarus; et piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam litoribusque discreta sunt, nec *helopem*[a] nostro mari, aut scarum[b] ducas: ita non omne argumentum undique venit; ideoque non pas- 22 sim quærendum est. Multus alioqui error est[c], et exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus invenire, nisi casu. At, si scierimus[d], ubi quidque[e] nascatur: cum ad locum ventum erit, facile, quod in eo 23 est[f], pervidebimus. In primis igitur argumenta sæpe *a persona* ducenda sunt: cum sit, ut dixi, divisio, ut omnia in hæc duo partiamur, *res* atque *personas*:[g] ut *caussa*, *tempus*, *locus*; *occasio*, *instrumentum*, *modus*, et cetera, rerum sint[h] accidentia. *Personis* autem non, quidquid accidit, exsequendum mihi est, ut plerique fecerunt, sed, 24 unde argumenta sumi possunt. Ea porro sunt, *Genus*, nam similes parentibus ac majoribus[i] suis filii plerumque creduntur; et nonnumquam ad honeste turpiterque vivendum inde caussæ fluunt: *Natio*, nam et gentibus proprii mores sunt, nec idem in Barbaro, Romano, Græco, 25 probabile est: *Patria*, quia similiter etiam civitatum leges, instituta, opiniones habent differentiam: *Sexus*, ut latrocinium facilius in viro, veneficium[l] in femina credas:

[z] *om.* G. [a] holopem G. [b] scaurum G. Jens. [c] *om.* G. [d] scieremus Jens. [e] quodque G. [f] erit G. Jens. [g] res *inf.* G. [h] sunt Jens. [i] moribus G. [l] quam *omisso* veneficium G.

21. *helopem—scarum ducas*] *ducas* hoc est educas. Cæterum Columella 8, 16, 19. *Helops Pamphylio profundo, nec alio pascitur.—Scarus totius Asiæ Græciæque litoribus Sicilia tenus frequentissimus exit, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias enavit ad Hibericum mare.* Columellam igitur simul notat Scipio Gentilis ad Apulei Apologiam n. 419. cum nostrum negligentiæ cujusdam accusat, qui æque ac Plinius scire potuerit, *Tiberio Claudio Principe scaros e Carpathio mari advectos inter Ostiensem et Campaniæ oram sparsos disseminatosque, postea frequenter inveniri Italiæ in litore, non antea ibi captos* 9, 17. s. 29. De Quinctiliano non miror, illum hoc ignorasse: de Columella miror, qui adjiciat præsertim, *Itaque ne si capti quidem perferantur in nostra vivaria, diuturni queant possideri.*

23. *ut dixi*] Supra 5, 8, 4.

25. *veneficium in femina*] Similiter argumentatur Horatius Sat. 2, 1, 53. quamquam non de femina, *Scævæ vivacem crede nepoti Matrem; nil faciet sceleris pia dexte-*

Ætas, quia aliud aliis annis [m] magis convenit: *Educatio, et disciplina*, quoniam refert, a quibus, et quo quisque modo sit institutus: *Habitus corporis*, ducitur enim fre- 26
quenter in argumentum, species libidinis, robur petulantiæ; his contraria in diversum: *Fortuna*, nec enim tam idem credibile est in divite, ac paupere; propinquis, amicis, clientibus abundante, et his omnibus destituto: *Conditionis* etiam [n] distantia est, nam clarus an obscurus, magistratus an privatus, pater an filius, civis an peregrinus, liber an servus, [o] maritus an cœlebs, parens liberorum an orbus sit, plurimum distat: *Animi natura*, etenim avari- 27
tia, [p] iracundia, misericordia, crudelitas, severitas, aliaque his similia afferunt fidem frequenter, aut detrahunt: sicut *Victus*, luxuriosus, an frugi, an sordidus, quæritur: *Studia* quoque, nam rusticus, forensis, negotiator, miles, navigator, medicus, aliud efficiunt. Intuendum etiam, *quid af-* 28
fectet quisque; locuples videri an disertus, justus an potens? Spectantur *ante acta dictaque*. Ex præteritis enim æstimari [q] solent præsentia. His adjiciunt quidam *Commotionem*; hanc accipi volunt temporarium [r] animi motum, sicut *iram*, *pavorem*: *Consilia* autem et præsentis et 29
præteriti et futuri temporis: quæ mihi, etiamsi personis [s] accidunt, referenda tamen ad illam partem argumentorum videntur, quam *ex caussis* ducimus [t]: sicut *habitus* quidam animi, quo tractatur *amicus*, *an* [u] *inimicus*. Ponunt 30
in persona et *nomen*: quod quidem ei accidere necesse est, sed in argumentum raro cadit: nisi cum aut ex causa datum est, ut, *Sapiens*, *Magnus*, *Planus* [v]; aut et ipsum

[m] amicis Jens. [n] autem *id.* [o] incæstus *inf.* Jens. [p] ira *inf. id.* [q] existimari Jens. [r] temperarium G. [s] prius G. [t] dicimus Jens. [u] *om.* G. Jens. [v] Plenus *iid. et al. ap. Bur. qui conj.* Felix, Dives: *itemque fic*, Magnus: aut genus ipsum *&c.*

ra: mirum! Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos: Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.

28. *Commotionem*] Quam *affectionem* appellat Cic. de Inv. 1, 25. *Affectio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas* &c.

30. *Planus*] Nondum occurrit viris doctis *Planis* vel *Plenus* quisquam Romanus. Interim nihil obstat, quo minus fuisse tum dicamus, qui cognomine *Planus* diceretur, πλάνος, *impostor*. Illud quidem satis apparet, tale nomen posuisse Fabium, unde ad mores argumentum queat duci: posuerat laudis nomina, quidni et unum vitii? Cæterum *nomen* hic generatim, ut sæpe accipitur, ut et *cognomen*, quo in genere *Sapiens*, *Magnus*, et proprie dictum *nomen generis*, ut *Cornelius*, complectatur.

alicujus cogitationis attulit cauſſam, ut Lentulo conjurationis, quod libris Sibyllinis aruſpicumque reſponſis *dominatio dari tribus Corneliis* dicebatur, ſeque eum tertium eſſe credebat poſt Syllam Cinnamque, quia et ipſe Cornelius erat. Nam et illud [x] apud Euripidem frigidum ſane, quod nomen *Polynicis*, ut argumentum morum, frater inceſſit. Jocorum tamen [y] ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem non ſemel uſus eſt. Hæc fere circa perſonas ſunt, aut his ſimilia. Nec enim complecti omnia vel hac in parte, vel in ceteris poſſumus, contenti rationem plura quæſituris oſtendere. Nunc ad res tranſeo, in quibus maxime ſunt perſonis juncta, quæ agimus, ideoque prima tractanda. In omnibus porro quæ fiunt, quæritur aut *Quare?* aut *Ubi?* aut *Quando?* aut *Quomodo?* aut *Per quæ* facta ſunt. Ducuntur igitur argumenta *ex cauſſis factorum*, vel *futurorum*, quorum [z] materiam, quam ὕλην alii, δύναμιν alii nominaverunt, in duo genera, ſed quaternas utriuſque dividunt ſpecies. Nam fere verſatur *ratio faciendi* circa *bonorum adeptionem, incrementum, conſervationem, uſum:* aut *malorum evitationem, liberationem, imminutionem, converſionem*; namque et [a] hæc in deliberando plurimum valent. Sed has cauſſas habent recta: prava contra ex falſis opinionibus veniunt. Nam eſt his initium ex iis, quæ creduntur [b] bona aut mala; inde errores exiſtunt, et peſſimi affectus: in quibus ſunt *ira, odium, invidia, cupiditas, ſpes, ambitus, audacia, metus*, ceteraque [c] generis ejuſdem. Accedunt aliquando fortuita,

[x] erat *inſ.* G. Jenſ. [y] enim Jenſ. [z] quarum G. [a] et hæc *om.* G. Jenſ. *Forte leg.* Nam hæc et. [b] credunt G. *bene, arbitror.* [c] cetera G. Jenſ.

30. *Lentulo conjurationis*] Cic. Catil. 3, 4, &c.

31. *apud Euripidem*] Phœniſſ. 639. Ἀλλ᾽ ὦς δ᾽ ἔνεμα Πολυνείκην πατὴρ Ἔδεκτό σοι Θείᾳ προνοίᾳ νεικέων ἐπαύσιμον. Ad hunc locum Barneſius argutum cæteroquin et adulatorium in Carolum II. *Stuartum* (οἰκουμ.) epigramma adſcripſit: ſed illud callidius, quod *Atheos* vocat, qui omen ineſſe nominibus, ſpeciatim *Proteſilai* illius Homerici, qui *primus* ad Trojam cecidit, negent. Illud quidem vere dici poteſt, antiquæ ſapientiæ, Ebraicæ etiam, partem eſſe in nominum illa cum perſonis convenientia: qua proinde ſæpius uſus eſt noſter de ſcena philoſophus. Appoſite ad ſimilem locum Phœniſſ. 1500, idem Barneſius advocat illud ex Scipionis apud Livium 28, 28. oratione contra milites ſeditioſos, quibus objicit, *Atrium Umbrum, nominis etiam abominandi ducem.* Sed facilius eſt hujus diſputationis principium quam exitum invenire.

31. *Jocorum materia*] Vid. infra 6, 3, 53. ſq. ubi etiam de Ciceronis in Verrem dictis quædam.

ebrietas, ignorantia: quæ interim ad veniam valent, interim ad probationem criminis: ut, *si quis, dum alii insidiatur, alium dicatur interemisse. Causse* porro non ad convincendum modo, quod objicitur, sed ad defendendum quoque excuti solent, cum quis se recte fecisse, id est honesta causa contendit; qua de re latius in tertio libro dictum est. *Finitiones* ex causis interim pendent, *An tyrannicida, qui tyrannum, a quo deprehensus in adulterio fuerat, occidit? An sacrilegus, qui, ut hostes urbe expelleret, arma templo affixa detraxit?* Ducuntur argumenta et *ex*[d] *loco:* Spectatur enim[e] ad fidem probationis, *Montanus an planus, maritimus an mediterraneus, consitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, opportunus consiliis an adversus*[f]*?* quam partem videmus vehementissime pro Milone tractasse Ciceronem. Et hæc quidem ac similia ad conjecturam frequentius pertinent: sed interim ad jus quoque, *Privatus an publicus, sacer an profanus, noster an alienus?* ut in persona, *magistratus, pater, peregrinus.* Hinc enim quæstiones oriuntur, *Privatam pecuniam sustulisti: verum, quia de templo, non furtum, sed sacrilegium est. Occidisti adulterum, quod lex permittit: sed, quia in lupanari, cædes est. Injuriam fecisti: sed, quia magistratui, majestatis actio*[g] *est.* Vel contra, *Licuit, quia pater eram, quia magistratus.* Sed circa facti controversiam argumenta præstant, circa juris lites, materiam quæstionum. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet *locus:* neque enim ubique idem aut licet, aut decorum est; quinetiam, in qua quidque civitate quæratur, interest: moribus enim et legibus distant. Ad commendationem quoque et invidiam valet. Nam et Ajax apud Ovidium, *Ante rates,* inquit, *agimus causam, et mecum confertur Ulixes.* Et Miloni inter cetera objectum est, *quod Clodius in monumentis ab eo majorum suorum esset occisus.* Ad suadendi momenta idem valet, sicut *tempus,* cujus tractatum

35 36 37 38 39 40 41 42

[d] hoc *inf.* G. [e] et *inf.* G. [f] adversarius G. [g] accusatio G. *ex glossa.*

37. *pro Milone—Ciceronem*] Qui multum hoc argumento se tribuere indicat c. 20. *Videamus nunc id,* quod caput est, *locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior?*

39. *Occidisti adulterum*] Tractat atque illustrat hanc speciem vir summus, Corn. Bynkershoeckius Obs. 5, 8. p. 41.

41. *apud Ovidium*] Met. 13, 5. *agimus, pro Jupiter, inquit, Ante rates causam* &c.

41. *Miloni objectum*] Vid. Cic. pro Milo. c. 7, et 33.

subjungam. Ejus autem (ut alio loco jam dixi) duplex significatio est. *Generaliter* enim et *specialiter* accipitur. Prius illud est, *nunc, olim,* [h] *sub Alexandro, cum apud Ilion pugnatum est*; denique *præteritum, instans, futurum.* Hoc sequens habet et *constituta* discrimina, *æstate, hyeme, noctu, interdiu*; et *fortuita, in pestilentia, in bello, in convivio.*
43 Latinorum quidam satis significari putaverunt, si illud *generale, tempus*; hoc *speciale, tempora* [i] vocarent: quorum utrorumque ratio et in consiliis quidem, et in illo demon-
44 strativo genere versatur; sed in judiciis frequentissima est. Nam et juris quæstiones facit, et qualitatem distinguit, et ad conjecturam plurimum confert: ut, cum interim probationes inexpugnabiles afferat, quales sunt, si dicatur (ut supra posui) *signator, qui ante diem tabularum decessit:* aut [l] *commisisse aliquid, vel cum infans esset, vel cum omnino natus*
45 *non esset*: præter id, quod omnia facile argumenta aut ex iis, quæ *ante rem* facta sunt, aut ex *conjunctis* rei, aut *insequentibus* ducuntur [m]. Ex *antecedentibus, Mortem minatus es, noctu existi, proficiscentem antecessisti*: caussæ quoque facto-
46 rum præteriti sunt temporis. Secundum [n] tempus subtilius quidam, quam necesse erat, diviserunt, ut esset [o] *juncti, Sonus auditus est*; adhærentis, *Clamor sublatus est. Insequentis* [p] illa, *Latuisti, profugisti*; *livores et tumores apparuerunt.* Iisdem temporum gradibus defensor utetur ad
47 detrahendam ei, quod [q] objicitur, fidem. In his omnis [r] factorum dictorumque ratio versatur [s], sed dupliciter. Nam fiunt quædam, quia aliud [t] futurum est; quædam, quia aliud antea factum est: ut, *cum objicitur reo lenocinii,* [u] quod speciosam [x] adulterii damnatam quamdam [y] emerit; aut parricidii reo luxurioso, quod dixerit patri, *Non amplius me objurgabis*: nam et ille, non quia emit, leno est;

[h] tunc *inf.* Jens. [i] *Sic* G. Jens. *et optimi quique apud Bur.* si illud generale, hoc speciale vocarent, Vascos. tempora *om. cum reliquis ipse etiam Bur.* [l] an commisisset G. [m] ducantur G. Jens. [n] Sin G. sed Jens. [o] essent vincti G. [p] sunt *inf.* G. Jens. [q] cui G. [r] omnibus Jens. [s] conversatur G. [t] poena *suum* h. e. postea *inf.* G. [u] speciosæque marito *inf.* G. et Jens. (*nisi quod hic* que *om.*) *etiam al. ap. Bur.* [x] *om.* G. [y] quondam *malit Burm.*

42. *alio loco*] Supra 3, 6, 25.
44. *supra posui*] 5, 5, 2.
47. *reo lenocinii*] Verba illa *speciosæ marito* non videntur negligenda, quæ non modo a pluribus bonis libris probentur, sed etiam hanc habere vim videantur, ut duplex hic arguatur lenocinium; nimirum præter id, quod in ancilla committitur, etiam illud longe turpius, quod in prostituta uxore.

ſed, quia leno erat, emit: nec hic, qui ſic erat locutus, occidit; ſed, quia erat occiſurus, ſic locutus eſt. *Caſus* 48
autem, qui et ipſe præſtat argumentis locum, ſine dubio eſt ex inſequentibus; ſed quadam proprietate diſtinguitur: ut, ſi dicam, *Melior dux Scipio quam Annibal; vicit Annibalem. Bonus gubernator; numquam fecit naufragium. Bonus agricola; magnos ſuſtulit fructus.* Et contra, *Sumtuoſus fuit, patrimonium exhauſit, turpiter vixit,* [z] *omnibus inviſus eſt.* Intuendæ ſunt, præcipueque in conjecturis, 49
et *Facultates:* credibilius eſt enim occiſos a pluribus pauciores, a firmioribus imbecilliores, a vigilantibus dormientes, a præparatis inopinantes [a]. Quorum contraria in diverſum valent. Hæc et in deliberando intuemur, et in 50
judiciis ad duas res ſolemus referre, *An voluerit quis? An potuerit?* nam et voluntatem ſpes facit. Hinc illa apud Ciceronem conjectura, *Inſidiatus eſt Clodius Miloni, non Milo Clodio: ille cum ſervis robuſtis* [b], *hic cum mulierum comitatu; ille* [c] *in equo, hic in* [d] *rheda; ille expeditus, hic penula irretitus.* Facultati autem licet *Inſtrumentum* con- 51
jungere: ſunt enim in parte facultatis et copiæ. Sed ex inſtrumento aliquando etiam ſigna naſcuntur, ut *ſpiculum in corpore inventum.* His adjicitur *Modus,* quem τρόπον di- 52
cunt, quo quæritur, *Quemadmodum quid ſit factum?* id [e] quod tum [f] ad qualitatem ſcriptumque pertinet, ut, *ſi negemus* [g] *adulterum* [h] *veneno licuiſſe occidere, ſed ferro* [i] *oportuiſſe:* tum [k] ad conjecturam [l] quoque, ut, *ſi dicam, bona mente factum, ideoque palam; mala, ideoque ex inſidiis, noctu* [m], *in ſolitudine.* In rebus autem omnibus, de qua- 53
rum vi aut natura quæritur, quaſque etiam citra complexum perſonarum, ceterorumque, ex quibus fit [n] cauſſa, per ſe intueri poſſumus, tria ſine dubio rurſus ſpectanda ſunt, *An ſit? Quid ſit? Quale ſit?* Sed, quia ſunt quidam loci argumentorum his [o] omnibus communes, dividi

[z] vel *om.* G. *et Vallæ liber.* [a] inopinatos G. [b] robuſtus Jenſ. [c] ille equis G. Jenſ. [d] *om.* G. [e] idque G. Jenſ. [f] *om.* Jenſ. [g] negem G. [h] ad. ferro occidiſſe, cum veneno licuiſſet occidere, ſed vel oport. Jenſ. [i] vel G. *Bur. conjicit latere hic nomen* telo. *Recte, puto.* [k] vel *inf.* Jenſ. [l] conjecturas G. Jenſ. [m] *om.* G. [n] ſit G. Jenſ. [o] *om.* G.

50. *apud Ciceronem*] Pro Milone c. 10.

52. *adulterum veneno*] De ſimili ſpecie vid. ſupra 3, 6, 27.

53. *ex quibus ſit cauſſa*] *Finitæ enim quæſtiones ſive cauſſæ ſunt ex complexu rerum, perſonarum, temporum, cæterorumque,* quod docuit noſter 3, 5, 7.

54 hæc tria genera non poſſunt, ideoque locis potius, ut in quoſque incurrent, ſubjicienda ſunt. Ducuntur igitur argumenta *ex finitione*, ſeu *fine*, nam utroque modo traditur. Ejus duplex ratio eſt: aut enim ſimpliciter quæritur, *ſitne hoc virtus?* aut antecedente[p] finitione, *Quid ſit virtus?* Ita aut univerſam[q] vim verbi complectimur, ut, *Rhetorice eſt bene dicendi ſcientia*; aut per partes, ut, *Rhetorice eſt recte inveniendi, et diſponendi, et eloquendi cum fir-*
55 *ma memoria, et cum dignitate actionis, ſcientia*; Præterea finimus aut *vi*, ſicut ſuperiora, aut ἐτυμολογίᾳ, ut *aſſiduum* ab ære dando, et *locupletem* a locorum, *pecunioſum* a pecorum copia. Finitioni ſubjecta maxime videntur *genus*, *ſpecies*, *differens*, *proprium*. Ex his omnibus argumenta ducun-
56 tur. *Genus* ad probandam ſpeciem minimum valet, plurimum ad refellendam: itaque *non, quia eſt arbor, platanus eſt*; *at, quod non eſt arbor, utique*[r] *platanus non eſt*: *Nec, quod non eſt virtus, utique poteſt eſſe juſtitia.* Itaque a genere perveniendum eſt ad ultimam ſpeciem: ut, *Homo eſt animal*, non eſt ſatis: id enim genus eſt: *mortale*, etiamſi eſt ſpecies, cum aliis tamen communis finitio: *ratio-*
57 *nale*, nihil ſupererit ad demonſtrandum, quod velis. Contra, ſpecies firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam, *quod juſtitia eſt, utique virtus eſt*; *quod non eſt juſtitia, poteſt eſſe virtus, ſi*[s] *eſt fortitudo, conſtantia, continentia.* Numquam itaque tolletur a ſpecie genus, niſi omnes ſpecies, quæ ſunt generi ſubjectæ, removeantur: hoc modo, *Quod neque immortale eſt, neque mortale, animal non eſt.* His adjiciunt *propria*, et *differen-*
58 *tia.* Propriis confirmatur finitio, differentibus ſolvitur. *Proprium* autem eſt, aut quod ſoli accidit, ut homini *ſermo*, *riſus*: aut quod utique accidit, ſed non ſoli, ut igni *calefacere*. Et ſunt ejuſdem rei plura propria, ut ipſius ignis *lucere*, *calere*. Itaque, quodcumque proprium deerit, ſolvet finitionem: non utique, quodcumque erit, con-
59 firmabit. Sæpiſſime autem, quid ſit proprium cujuſque, quæritur: ut, ſi per ἐτυμολογίαν dicatur, *Tyrannicidæ proprium eſt tyrannum occidere*, negemus: non enim, ſi traditum ſibi eum carnifex occiderit, tyrannicida vocetur[t];
60 nec, ſi imprudens vel invitus. Quod autem proprium non erit, differens erit, ut, *Aliud eſt ſervum eſſe, aliud ſer-*

[p] præcedente Jenſ. [q] univerſum G. *Forte* univerſim *vel* in univerſum, *quod jam placuit Aldo et al.* [r] *om.* G. [s] ut eſt G. ut ſi eſt Jenſ. [t] dicatur G.

vire: qualis esse in addictis quæstio solet, *Qui servus est, si manumittatur, fit libertus, non itidem addictus*: et plura, de quibus alio loco. Illud quoque *differens* vocant, 61
quum, genere in species diducto, species ipsa discernitur. *Animal*, genus; *Mortale*, species; *Terrenum* vel *Bipes*, differens: nondum enim proprium est, sed jam differt a marino vel quadrupede: quod non tam ad argumentum pertinet, quam ad diligentem finitionis comprehensionem. Cicero *genus et speciem*, quam eamdem *formam* vocat, *a fi-* 62
nitione diducit, et iis, quæ ad aliquid sunt, subjicit: ut, *si is, cui argentum omne legatum est, petat signatum quoque*, utatur genere: at, *si quis, cum* [u] *legatum sit ei, quæ viro mater familias* [x] *esset, neget debere* [y] *ei, quæ in manum non convenerit*, specie: quoniam duæ formæ sint matrimoniorum. *Divisione* autem adjuvari finitionem docet, eamque 63
differre a *partitione*: quod hæc sit totius in partes, illa generis in formas. Partes incertas esse, ut, *Quibus constet* [z] *respublica*; formas certas, ut, *Quot sint species rerumpublicarum*, quas tres accipimus, quæ populi, quæ paucorum, quæ unius potestate regerentur. Et ille quidem non his 64
exemplis utitur, quia scribens ad Trebatium, ex jure ea ducere maluit: ego apertiora posui. *Propria* vero [a] ad conjecturæ quoque pertinent partem: ut [b] proprium est boni, *recte facere*; iracundi, *verbis excandescere* [c]. At contra quædam in quibusdam utique non sunt, et ratio, quamvis [d] ex diverso, eadem est. *Divisio* et ad probandum 65
simili via valet, et ad refellendum. Probanti [e] interim satis est unum habere, hoc modo, *Ut sit civis quis, aut natus sit oportet, aut factus*: neganti [f], utrumque tollendum est, *Nec natus, nec factus est*. Fit hoc et multiplex, id- 66
que [g] est argumentorum genus ex remotione, qua [h] modo efficitur totum falsum, modo id, quod relinquitur, verum. Totum falsum est hoc modo, *Pecuniam credidisse te dicis: aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut inveniisti, aut furripuisti. Si neque domi habuisti, neque ab aliquo acce-*

[u] signatum *inf.* G. [x] matertera G. [y] *F. leg.* deberi. [z] constat G. [a] quoque G. *et pp. om.* [b] quia *inf.* G. Jens. [c] esse credantur aut contra G. Jens. [d] ita *inf.* G. Jens. [e] Probationi G. Jens. [f] *om. iid.* [g] ideoque et arg. Jens. ideoque est contra arg. G. [h] *Sic* G. quo *al.*

60. *in addictis*] Addictus servo quid distet, vid. 7, 3. 26. sq.

62. *Cicero*] Qui copiose præsertim et subtiliter ea tractat Top. 6. sqq.

67 *pisti, nec cetera, non credidisti.* Reliquum fit verum sic, *Hic servus, quem tibi vindicas, aut verna tuus est, aut emtus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus:* deinde remotis prioribus; supererit *alienus.* Periculosum, et cum cura intuendum genus: quia, si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum risu quo-
68 que tota res solvitur. Tutius, quod Cicero pro Cæcina facit, cum interrogat, *Si hæc actio non sit, quæ sit?* simul enim removentur omnia. Vel, cum duo ponentur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet sufficiat: quale Ciceronis est, *Unum quidem certe, nemo erit tam iniquus*[l] *Cluentio, qui mihi non concedat: si constet corruptum illud esse judicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico esse corruptum: si doceo non ab Habito, vinco ab Oppianico; si ostendo*
69 *ab Oppianico, purgo Habitum.* Fit etiam ex duobus, quorum necessaria[m] est alterutrum[n] eligendi adversario potestas, efficiturque, ut, utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio, *Utrum, cum Cottam appetisset, aut*[o] *cum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est?* Et pro Vareno, *Optio vobis datur, utrum velitis casu illo itinere Varenum usum esse, an hujus persuasu et inductu.*
70 Deinde utraque facit accusatori contraria. Interim duo ita proponuntur, ut utrumlibet electum idem efficiat[p], quale[q] est, *Philosophandum est, etiam si non est philosophandum.* Et illud vulgatum, *Quo schema, si intelligitur? quo*[r], *si non intelligitur?* Et, *Mentietur in tormentis, qui dolorem*
71 *pati potest: mentietur, qui non potest.* Ut sunt autem tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis consertus[s] est: habent enim omnia *initium*[t], *incrementum, summam,* ut, *jurgium, deinde cædes, et strages.* Est[u] ergo hic quoque

[l] inimicus G. Jens. [m] necesse est *ild.* [n] alterum Jens. [o] an G. [p] faciat G. [q] quare G. [r] quasi Jens. [s] consecutus G. [t] exordium Jens. [u] *om.* G.

68. *pro Cæcina*] c. 7. *Utrum hanc actionem habebis, qua nos usi sumus, an aliam quampiam, an omnino nullam? Nullam esse actionem dicere in re tam insigni tamque atroci, neque prudentiæ neque auctoritatis tuæ est: alia si qua forte est, quæ nos fugerit, dic, quæ sit? cupio discere.* Alter locus pro Cluentio habetur c. 23.

70. *etiam si non est philos.*] Non potest ostendi sine philosophiæ præsidiis eam esse vanam, noxiam, talem, a qua abstinendum sit: itaque vel ad hoc philosophandum fuerit, ut philosophandum non esse ostendas.

70. *schema*] *Schema* nimirum vel *figura* pro occultiore illa ratione aliquid indicandi, præsertim adversarium mordendi capitur, de qua 9, 1, 14. et 9, 2, 65.

argumentorum [x] locus invicem probantium. Nam et [z] ex initiis ſumma colligitur: quale eſt, *Non poſſum togam prætextam ſperare, cum exordium* [a] *pullum videam:* et contra, 72
Non dominationis cauſſa Syllam arma ſumſiſſe, argumentum eſt *dictatura depoſita*. Similiter et ex [b] *incremento* in utramque partem ducitur ratio, cum in conjectura, tum etiam in tractatu æquitatis, *An ad initium ſumma referenda ſit?* id eſt, *An ei cædes imputanda ſit, a quo furgium cœpit* [c]. Eſt argumentorum locus ex *ſimilibus*, *Si continentia virtus, utique et abſtinentia: Si fidem debet* [d] *tutor, et procurator*. Hoc eſt ex eo genere, quod ἐπαγωγὴν Græci vocant, 73
Cicero *inductionem*. Ex *diſſimilibus*, *Non, ſi lætitia bonum, et voluptas: Non, quod mulieri, idem pupillo* [e]. Ex *contrariis*, *Frugalitas bonum, luxuria enim malum: Si malorum cauſſa bellum eſt, erit emendatio pax: Si veniam meretur, qui imprudens nocuit, non meretur præmium, qui imprudens profuit*. Ex *pugnantibus* [f], *Qui eſt ſapiens, ſtultus non eſt*. Ex *ſequentibus*, ſive *adjunctis* [g], *Si eſt bonum juſtitia, recte* 74
judicandum: Si malum perfidia, non eſt fallendum. Idem retro. Nec [h] ſunt his diſſimilia, ideoque huic loco ſubjicienda, cum et ipſa naturaliter congruant: *Quod quis non habuit, non perdidit: Quem quis amat, ſciens non lædit: Quem quis hæredem ſuum eſſe voluit, earum habuit, habet, habebit*. Sed, cum ſint indubitata, vim habent pene ſignorum immutabilium [i]. Sed hæc *conſequentia* dico ἀκό- 75

[x] argumentum Jenſ. [z] *om.* G. Jenſ. [a] exodium G. *et al.* exomium h. e. ἐξώμιδα *conj.* Brodæus Miſc. 6, 12. [b] *om.* Jenſ. [c] cœperit G. [d] det Jenſ. [e] popillo Jenſ. populo G. [f] repugnantibus Jenſ. [g] advictis G. [h] quæ ſunt his ſimilia G. [i] innumerabilium G. Jenſ.

71. *exordium pullum*] Recte Regius et Moſellanus tuiti ſunt *exordium* h. e. initium texendi, quo pertinere *exordiendi* verbum Cicero ſatis docet, v. g. de Orat. 2, 33. extr. *Pertexe modo, quod exorſus es*: et c. 38. *Multa quærendo reperiunt non modo ea, quæ non poſſunt ipſi diſſolvere, ſed etiam, quibus ante exorſa, et potius detexta prope retexantur*. Porro *pullum exordium* quam repugnet *prætextæ*, idem Cicero nos doceat, qui *pullam tunicam* ſordido Verri objicit 4, 24. cum *prætexta* uti prætor deberet. Cum igitur et elegantem et planam ſententiam efficiat antiquum illud *exordium*, par eſt nos illo contentos nihil aliud quærere. Qui enim, quæſo vos, elegantius poſſit ex initiis ſumma colligi, quam veſtis ab *exordio?* aut quid *exomium* hic, vel *exodium?*

75. *Sed hæc conſequentia*] Diſtinguit inter *conſequentia*, ἀκόλουθα, et *ſequentia*, ἑπόμενα. Prioris rei exemplum eſt *bonitas* ratione *ſapientiæ*. *Conſequentia* igitur ad naturalem quandam conjunctionem atque nexum pertinent: *ſequentia* ad ordinem, ſucceſſionemque.

λεθα, est enim *consequens sapientiæ bonitas*: illa *sequentia*, ἐπαγόμενα [l], quæ postea facta sunt, aut futura. Nec sum de nominibus anxius: vocet enim, ut voluerit quisque, dum vis rerum ipsa manifesta sit; appareatque, hoc tempo-
76 ris, illud esse naturæ. Itaque non dubito hæc quoque *consequentia*, quamvis ex prioribus dent argumentum ad ea, quæ sequuntur. Quorum quidam duas species esse voluerunt: *Actionis*, ut pro Oppio, *Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere quî potuit? Temporis*, in Verrem, *Si finem Prætoris edicto afferunt Kalendæ Januarii, cur non*
77 *initium quoque edicti nascatur a Kalendis Januarii?* Quod utrumque exemplum tale est, ut idem in diversum, si retro agas, valeat. Consequens enim [m] est, eos, qui inviti duci
78 non potuerint [n], invitos non potuisse retineri. Illa quoque, quæ *ex rebus mutuam confirmationem præstantibus* ducuntur [o], quæ proprii generis videri quidam volunt, et vocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα [p], Cicero *ex rebus sub eamdem rationem venientibus*, fortiter [q] consequentibus junxerim [r]: *Si portorium Rhodiis locare honestum est, et Hermacreonti* [s]
79 *conducere*: et, *Quod discere honestum, et docere*. Unde illa, non hac ratione ducta [t], sed efficiens idem Domitii Afri sententia est pulchra, *Ego accusavi, vos damnastis*. Est *invicem consequens* et quod ex diversis idem ostendit: ut, *qui mundum nasci dicit, per hoc ipsum et deficere significet,*
80 *quia deficit omne, quod nascitur*. Simillima est his argumentatio, qua colligi solent *ex iis, quæ faciunt, ea, quæ efficiuntur*, aut contra: quod genus *a caussis* vocant. Hæc interim *necessario* fiunt [u], interim *plerumque*, sed *non necessario*. Nam *corpus in lumine utique umbram facit, et um-*

[l] παραγόμενα *iid.* [m] *om.* G. [n] potuerunt G. Jens. [o] ducentur Jens. [p] ἀλλήλας G. [q] forte Jens. *Sed fortiter tenendum illud* fortiter. *Vid. Bur.* [r] junxerit *id.* [s] Hermocr. G. Jens. [t] *Sic* G. *et* Voss. 2. *ap. Bur.* dicta *al.* [u] sunt Jens.

76. *hæc quoque conseq.*] Nihil deest; sed ita potest expleri interpretandi caussa oratio, *Non dubito, hæc quoque*, quæ jam proferam, esse dicique adeo posse *consequentia*.

76. *in Verrem*] 1, 42. extr. ubi *nascitur* habent boni libri, non *nascatur*.

77. *qui inviti duci*] Retro agi debuit hoc exemplum, *qui inviti retineri non potuerint, invitos non potuisse duci*: potest fieri, ut ipse Fabius memoria lapsus sit, vel certe antiquissimorum librariorum aliquis.

78. *Cicero*] De Invent. 1, 30. *Similitudo in contrariis, et paribus, et in iis rebus, quæ sub eandem cadunt rationem, maxime spectatur.* Utitur deinde eodem exemplo, *Nam, si Rhodiis turpe non est portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe est conducere.*

bra, ubicumque eſt, ibi eſſe corpus oſtendit. Alia ſunt, ut dixi, *non neceſſaria*, vel utrimque, vel ex altera parte. *Sol colorat: non utique, qui eſt coloratus, a ſole eſt. Iter pulverulentum facit: ſed nec omne iter pulverem movet; nec, quiſquis eſt pulverulentus, ex itinere eſt.* Quæ utique [x] fiunt, talia ſunt, *Si ſapientia bonum virum facit, bonus vir eſt utique ſapiens:* itemque [y], *Boni eſt honeſte facere; mali, turpiter:* et, *qui honeſte faciunt, boni; qui turpiter, mali recte* [z] *judicantur:* at [a] hoc plerumque, *Exercitatio robuſtum corpus facit; ſed non, quiſquis eſt robuſtus, exercitatus; nec, quiſquis exercitatus, robuſtus eſt: Nec, quia fortitudo præſtat, ne mortem timeamus, quiſquis mortem non timuerit, vir fortis erit exiſtimandus: Nec, ſi capitis dolorem facit, inutilis hominibus Sol eſt.* Et hæc ad hortativum maxime genus pertinent, *Virtus facit laudem, ſequenda igitur: at voluptas infamiam, fugienda igitur.* Recte autem monemur, cauſſas non utique ab ultimo eſſe repetendas [b]: ut Medea, *Utinam ne in nemore Pelio:* quaſi vero id eam fecerit 81 82 83 84

x talia *inſ.* Jenſ. y ideoque *omnes.* V. N. z *om.* G. Jenſ. a Ad hoc, exercitatio plerumque *omnes, niſi quod* Ac exerc. G. At exerc. *al. ap. Burm.* b retinendas Jenſ.

81. *vel utrimque, vel ex altera parte*] *Utrimque*, h. e. converſim, ut retro enuntietur prædicato in ſubjectum converſo, quorſum pertinet poſterius exemplum de itinere? *ex altera parte*, ubi converſarum ita propoſitionum altera non neceſſaria eſt, ut in exemplo de colore a ſole.

82. *itemque, Boni eſt*] Non ita connexa ſunt iſta, ut ratiocinativa convinctio hic locum habeat: ſed novum adfertur exemplum eorum, quæ neceſſario fiunt. Quæ cum ita eſſent, nihil peccatum a me audacia puto in ea, quæ Fabium adflixit, calamitate. Alterum enim vix excuſatione eget, cum *At* habeant aliquot libri antiqui: tranſponi autem duo, tria, plura verba, in his libris ſit ita frequens, ut adnotare ſupervacuum duxerimus.

83. *Nec, ſi capitis—Sol eſt*] Erat, cum et iſta non ſatis cohærere putarem ſuperioribus, ac de lacuna cogitarem. Sed re attentius conſiderata, exemplum hoc a ſuperioribus non differt. Nimirum, ſi ex eo, quod *ſol capitis dolorem facit*, colligas, *ergo inutilis eſt*, ex iis, quæ efficiuntur, colligas ad id, quod facit. Sed hoc plerumque, non ſemper procedere, hoc ipſo nempe loco docet Fabius.

83. *Utinam ne in nemore*] Ciceroni, qui de Fato, c. 15, his ipſis Medeæ Ennianæ laudatis verbis eleganter de illo vitio nimis ex alto cauſas repetentium diſputat; itemque auctori ad Herenn. 2, 22. qui plures Ennii verſus ex ipſo Medeæ Euripideæ initio converſos eodem conſilio retulit, addi poteſt Phædrus 4, 6, 6. ſq. ubi παρῳδίαν voluiſſe iſta videtur: ſuperavit quidem, niſi fallor, Ennium. Cæterum *ceciderit abiegna trabes*, ſingulari numero legendum, oſtendit hic Burmannus, et ad Cic. de N. D. 3, 30. ex Priſciano 7, p. 751. Daviſius. Utroque enim loco idem verſus legitur.

miseram aut nocentem, quod illic *ceciderit abiegna ad terram trabes*. Et Philocteta * Paridi, *Si imperasses*[c] *tibi, ego nunc non essem miser*: quo modo pervenire quo libet, retro
85 causas legentibus licet. His illud adjicere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur, quod *conjugatum* vocant: ut, *Eos, qui rem justam faciant, juste facere*, quod certe non eget probatione, *Quod compascuum est, compascere licere*.
86 Quidam hæc, quæ vel ex causis vel ex efficientibus diximus[d], alieno nomine vocant ἐκβάσεις, id est, *exitus*. Nam nec hic aliud tractatur, quam quid ex quoque eveniat. *Apposita*[e] vel *comparativa* dicuntur, quæ majora ex minoribus, minora ex majoribus, paria ex paribus probant[f].
87 Confirmatur[g] *conjectura* ex majore, *Si quis sacrilegium facit, faciet et furtum*: ex minore, *Qui facile ac palam mentitur, pejerabit*: ex pari, *Qui ob rem judicandam pecuniam*
88 *accepit, et ob dicendum falsum testimonium accipiet. Juris* confirmatio est ejusmodi[h], ex majore, *Si adulterum occidere licet, et loris cædere*: ex minore, *Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem?* ex pari, *Quæ pœna adversus interfectorem patris justa est, eadem adversus matris*: quorum
89 omnium tractatus versatur in[i] syllogismis. Illa magis[l] finitionibus aut qualitatibus prosunt, *Si robur corporibus bonum non est, minus sanitas: Si furtum scelus, magis sacri-*

* ut Philoctetes *conj. Francius.* [c] par esses Jens. dispar esse G. Pari, Duspari, (Διὸς πατρὶ) si imperasses *conj. Burm.* [d] duximus Jens. [e] appositiva *id.* [f] *om.* G. Jens. [g] confirmantur G. [h] hujus modi Jens. [i] *om.* G. [l] in *inf.* Jens.

84. *Philocteta Paridi*] Ex veteri nescio qua vel cujus tragœdia et hoc, in quo Philoctetes vulneris sui et miseriarum omnium per Trojanæ expeditionis occasionem susceptarum, causam in Paridis incontinentiam refert: quam hac formula, *Si tibi imperasses*, eleganter exprimi, ostendit Burm. Poterat forte non inepte illud Satyrici (Iuv. 6, 64.) adscribi, *Tuccia vesicæ non imperat*. Si quis lectionem Gothanam hujus loci, veram putans, omnino interpretari vellet, posset forte ita, *Si dispar esses*, h. e. minus formosus, venustus minus &c.

84. *pervenire quo libet*] Propter perpetuam illam seriem, qua devinctum inter se et connexum esse, quidquid usquam est, fuit, erit, hodierni etiam philosophi ambitiose contendunt.

85. *Cicero*] Topicorum c. 3. ubi etiam exemplo *compascui* utitur. Sed vel ideo hunc locum attingendum puto Rhetori, ut moneat illum vel maxime infinitis cavillationibus opportunum: ut, si quis neget esse *Ducem* exercitus, qui non præcedat et *ducat*; aut *homicidam* dicat, qui *hominem* in acie *cecidit*.

87. *conjectura*] Memineris, qui ista extra seriem totius operis legis, *conjecturam* ad facta et quæstionem, *An fecerit?* pertinere: cui juris disputatio opposita est.

legium: Si abſtinentia virtus, et continentia: Si mundus providentia regitur, adminiſtranda eſt reſpublica: Si domus ædificari ſine ratione non poteſt, quid agendum in[m] *navalium cura, et armorum?* Ac mihi quidem ſufficeret hoc genus, ſed in 90
ſpecies ſecatur. Nam et *ex pluribus ad unum*, et *ex uno ad plura*, (unde eſt, *Quod ſemel, et ſæpius*) et *ex parte ad totum, et ex genere ad ſpeciem*, et *ex eo quod continet, ad id quod continetur*, et[n] *ex difficilioribus ad faciliora*, et *ex longe poſitis ad propiora*, et ad omnia, quæ contra hæc ſunt, eadem ratione argumenta ducuntur. Sunt enim et hæc 91
majora et minora, aut certe vim ſimilem obtinent: quæ ſi perſequamur, nullus erit ea concidendi[o] modus. Infinita eſt enim rerum comparatio, *jucundiora, gratiora*[p], *magis neceſſaria, honeſtiora, utiliora*. Sed mittamus[q] plura, ne in eam ipſam, quam vito, loquacitatem incidam. Exemplorum quoque ad hæc infinitus eſt numerus, ſed 92
pauciſſima attingam. Ex majore, pro Cæcina, *Quod*[r] *exercitus armatos movet, id advocationem togatorum non videbitur moviſſe?* Ex faciliore, in Clodium et Curionem, *Ac vide, an facile fieri tu potueris, cum is factus non ſit, cui tu conceſſiſti.* Ex difficiliore, *Vide quæſo, Tubero, ut, qui de* 93
meo facto non dubitem, de Ligarii audeam confiteri. Et ibi, *An ſperandi Ligario cauſſa non ſit, cum mihi apud te locus ſit etiam pro altero deprecandi?* Ex minore, pro Cæcina, *Itane vero*[s] *ſcire eſſe armatos ſat eſt, ut vim factam probes; in manus eorum incidere non eſt ſatis?* Ergo, ut breviter 94
contraham ſummam, ducuntur argumenta a *perſonis, cauſſis*[t], *locis, tempore*, (cujus tres partes diximus, *præcedens, conjunctum, inſequens*) *facultatibus*, (quibus *inſtrumentum* ſubjecimus) *modo*, (id eſt, ut quidque ſit factum) *finitione, genere, ſpecie, differentibus, propriis, remotione, diviſione, initio, incrementis, ſumma, ſimilibus, diſſimilibus, pugnantibus, conſequentibus, efficientibus, effectis, eventis, jugatis, comparatione*, quæ in plures diducitur ſpecies. Illud adji- 95
ciendum videtur, duci argumenta, non a confeſſis tantum,

m ſi G. *non male.* n ut G. aut difficil. Jenſ. o conciliandi G. p graviora G. q omittamus Jenſ. r Qui *et mox* is G. s *om.* G. t cauſſa Jenſ.

89. *Si mundus provid.*] Stoicorum ſolennis argumentatio. Vid. 3, 5, 6. 5, 10, 14. 12, 2, 21.

92. *pro Cæcina*] c. 15. Librarius Gothanus et alii, qui in hoc loco *qui* et *is* legunt, aut ipſe forte adeo Fabius, *metum* cogitaſſe videntur.

sed etiam a fictione, quod[u] Græci καθ' ὑπόθεσιν vocant. Et quidem ex omnibus iisdem locis, quibus superiora,
96 quia totidem species esse possunt fictæ, quot veræ. Nam *fingere* hoc loco est proponere aliquid, quod, si verum sit, aut solvat quæstionem, aut adjuvet: deinde id, de quo quæritur, facere illi simile. Id quo[x] facilius accipiant juvenes nondum scholam egressi, primo familiaribus ma-
97 gis, quam[z] usitatis exemplis ostendam. Lex est[a], *Qui parentes non aluerit, vinciatur.* Non alit quis, et vincula nihilominus recusat. Utitur fictione, *si miles, si infans sit, si reipublicæ caussa absit.* Et illa contra optionem fortium,
98 *si tyrannidem petat*[b], *si templorum eversionem.* Plurimumque ea res virium habet contra scriptum. Utitur his Cicero pro Cæcina, *Unde tu, aut familia, aut procurator tuus. Si me villicus tuus solus dejeciisset, non*[c] *familia dejeciisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Si vero ne habeas quidem servum præter eum, qui me dejecerit,* et alia in eo-
99 dem libro plurima. Verum eadem fictio valet et ad qualitates, *Si Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset judicare, condemnaret L. Murænam.* Et ad amplificationem, *Si hoc tibi inter cœnam in illis immanibus poculis tuis accidisset.* Sic et, *Si respub.*
100 *vocem haberet.* Has fere sedes accepimus probationum in universum: quas neque generatim tradere sat est, cum ex

[u] quam G. Jens. [x] quod *iid.* [z] *Sic iid. et Vossianus ap. Burm.* magisque *a Regii conjectura omnes postea editi.* [a] *om.* G. Jens. [b] petas G. [c] non—de familia *om.* Jens. *et plures ap. Burm.*

96. *familiaribus magis, quam usitatis*] Revocavi lectionem, quam non satis provide Regius, præclare alioqui meritus de Fabio, mutaverat. Iis, qui nondum scholam egressi sunt, juvenibus familiaria sunt illa exempla declamationum *de parentibus alendis, de tyrannis, de præmiis fortium:* eadem vero parum sunt in vita atque in foro *usitata.* His igitur utendum est apud hos, qui nondum schola egressi, in forum nondum deducti sunt.

98. *Cicero pro Cæcina*] c. 19. ubi versatur in hoc argumento, *Si in verbis jus constituamus, omnem utilitatem nos hujus interdicti,* (unde vi &c.) *dum versuti et callidi volumus esse, amissuros.* Recitat deinde verba, et ostendit, quomodo, si quis ea re delectetur, calumniari eadem possit.

99. *Si Catilina*] Pro Muræn. c. 39. illud alterum, *Si hoc tibi inter cœnam,* Phil. 2, 25. tertium vero, *Si respub. vocem haberet,* est, certe quantum ad sententiam, Catil. 1, 7. Inprimis nobilis est illa fictio pro Milon. c. 29. *Fingite animis*— ubi ita concludit, *Hujus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis?* item illa pro Corn. Balbo, c. 6. *Si Cn. Pompeius abhinc annos quingentos fuisset* &c.

qualibet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur; neque per ſingulas ſpecies exſequi patitur natura rerum; quod qui ſunt facere conati, duo pariter ſubierunt incommoda, ut et nimium dicerent, nec tamen totum. Unde plurimi, cum in hos inexplicabiles laqueos incide- 101
runt, omnem etiam, quem ex ingenio ſuo potuerant habere, conatum, velut aſtricti certis legum vinculis, perdiderunt: et, magiſtrum reſpicientes, naturam ducem ſequi deſierunt[d]. Nam, ut per ſe non ſufficit ſcire, omnes pro- 102
bationes *aut a perſonis, aut a*[e] *rebus peti*, quia utrumque in plura dividitur: ita *ex antecedentibus* et *junctis* et *ſequentibus* trahenda eſſe argumenta qui acceperit, protinus in hoc ſit inſtructus, ut[f], quod in quaque cauſſa dicendum ſit ex his, ſciat: præſertim, cum plurimæ probationes in 103
ipſo cauſſarum complexu reperiantur, ita ut ſint cum alia lite nulla communes, eæque[g] ſint et potentiſſimæ, et minime obviæ[h], quia communia ex præceptis accepimus, propria[i] invenienda ſunt. Hoc genus argumentorum ſa- 104
ne dicamus *ex circumſtantia*, quia *τῶν περιστάσεων* dicere aliter non poſſumus, vel ex iis, quæ cujuſque[l] cauſſæ propria ſunt: ut in illo adultero ſacerdote, qui lege, qua unius ſervandi poteſtatem habebat[m], ſe ipſe[n] ſervare voluit, proprium eſt controverſiæ dicere, *Non unum nocentem ſervabis, quia, te*[o] *adultero dimiſſo, adulteram occidere non licebit*[p]. Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram ſine adultero occidi[q]. Et illa, in qua lata[r] lex eſt, *ut ar-* 105
gentarii dimidium ex eo, quod debebant, ſolverent: creditum ſuum totum exigerent. Argentarius[s] ab argentario ſolidum petit. Proprium ex materia eſt argumentum creditoris, ideirco adjectum eſſe in lege, *ut argentarius totum exigeret:* adverſus alios enim non opus fuiſſe lege: cum omnes præterquam ab argentariis totum exigendi jus haberent. Cum multa autem novantur in omni genere mate- 106

[d] deficierunt G. [e] *om.* G. [f] *om.* G. quid G. Jenſ. [g] hæque G. eaque Jenſ. [h] *om.* Jenſ. [i] *om.* Jenſ. [l] cujus *id.* [m] habet Jenſ. [n] ipſum G. [o] ante Jenſ. [p] licebat *id.* [q] occidere G. [r] *om.* G. *et quidam edd.* [s] *om.* G.

105. *Et illa, in qua*] Non habet *illa*, quo referatur. Sententia duce facile quidem ſuppleas, *Et illa* controverſia huc pertinet, *in qua lata lex eſt*: ſed dura tamen, id eſt minime Fabiana, videtur illa ellipſis.

105. *adverſus alios enim*] Nam dura fuiſſet argentariorum ſ. trapezitarum conditio, niſi creditum ab iis, a quibus poſſet, totum exigerent: itaque alii homines, qui debent argentario, plane non ſunt materia hujus legis: ſed argentarius debitor argentarii.

riæ, tum præcipue in iis quæſtionibus, quæ ſcripto conſtant, quia vocum eſt in ſingulis ambiguitas frequens, ad-
107 huc in conjunctis magis. Et hæc ipſa plurimum legum aliorumve ſcriptorum, vel congruentium, vel repugnantium complexu varientur neceſſe eſt: cum res rei, aut jus juris quaſi ſignum eſt. *Non debui tibi pecuniam; numquam me appellaſti, uſuram non* [t] *accepiſti, ultro a me mutuatus es.* Lex eſt, *Qui patri proditionis reo non affuerit, exheres ſit.* Negat: [u] *niſi ſi pater abſolutus ſit.* Quid ſigni? Lex al-
108 tera, *Proditionis damnatus cum advocato exſulet.* Cicero pro Cluentio Publium Popilium et Tiberium Guttam dicit, *non judicii corrupti, ſed ambitus eſſe damnatos.* Quid ſigni? *quod accuſatores eorum, qui erant ipſi ambitus dam-*
109 *nati, e lege ſint poſt hanc victoriam reſtituti.* Nec minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponendum, quam, quo modo ſit, quod propoſueris, probandum. Hic omnino [x] vis inventionis, ſi non major, certe prior. Nam UT tela ſupervacua ſunt neſcienti, quid petat: ſic argumenta, niſi prævideris, cui rei adhibenda ſint. Hoc eſt, quod com-
110 prehendi arte non poſſit. Ideoque, cum plures eadem dicerint, generibus quidem [z] argumentorum ſimilibus utentur; alius tamen alio plura, quibus [a] utatur, inveniet. Sit exempli gratia propoſita controverſia, quæ minime
111 communes cum aliis quæſtiones habet: *Cum Thebas evertiſſet Alexander, invenit tabulas, quibus centum talenta mutua Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur. Has, quia erat uſus commilitio Theſſalorum, donavit his ultro: poſtea reſtituti a Caſſandro Thebani repoſcunt Theſſalos.* Apud Amphictyonas agitur. *Centum talenta et credidiſſe eos conſtat,*

[t] *om.* Jenſ. [u] fit *inſ.* G. *quod firmat conjecturam Burm.* negabit. [x] Si non vis inv. major G. [z] *om.* G. Jenſ. [a] *om.* G.

107. *Negat: niſi*] *Negat* filius vel ipſius patronus, exheredem eſſe filium patris proditionis rei alio caſu, *niſi ſi pater abſolutus ſit.* Nimirum in hoc crimine lex hinc deterret omnes a patrocinio nocentis, quod exilii ſocietatem iis denuntiat: hinc filios a deſerenda parentum innocentia, cum exheredes facit.

108. *Cicero pro Cluentio*] c. 36. P. Popillius, et T. Gutta *cauſſam de ambitu dixerunt; qui accuſati ſunt ab iis, qui erant ipſi ambitus condemnati: quos ego non idcirco arbitror in integrum eſſe reſtitutos, quod planum fecerint, illos ob rem judicandam pecuniam accepiſſe; ſed, quod judicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent, ſe ad præmia legis venire oportere. Præmium legis* itaque fuit ipſa illa in integrum reſtitutio, ut ad honores, Senatumque adeo reditus pateret his, qui ambitus cauſa privati illis fuerant.

et non recepiſſe. Lis omnis ex eo, quod Alexander ea Theſſalis donaſſe dicitur, pendet. Conſtat illud quoque, 112
non eſſe his ab Alexandro pecuniam datam: quæritur ergo, *an perinde ſit, quod datum eſt, ac ſi pecuniam dederit?* Quid 113
proderunt argumentorum loci, niſi hæc prius videro, *nihil eum egiſſe donando, non potuiſſe donare, non donaſſe?* Et prima quidem actio facilis ac favorabilis repetentium jure, quod vi ſit ablatum: ſed hinc aſpera et vehemens quæſtio exoritur de jure belli, dicentibus Theſſalis, hoc[b] regna, populos, fines gentium atque urbium contineri. Inveni- 114
endum contra eſt, quo diſtet hæc cauſſa a ceteris, quæ in poteſtatem victoris venirent: nec circa probationem res hæret, ſed circa propoſitionem. Dicamus in[c] primis, *In eo, quod in judicium deduci poteſt, nihil valere jus belli: nec armis erepta, niſi armis poſſe retineri: Itaque, ubi illa valeant, non eſſe judicem: ubi judex ſit, illa nihil valere.* Hoc 115
inveniendum eſt, ut adhiberi poſſit argumentum, *Ideo captivos, ſi in patriam ſuam redierint, liberos eſſe, quia bello parta non niſi eadem vi poſſideantur.* Proprium eſt et illud cauſſæ, quod Amphictyones judicant: (ut[d] alia apud centumviros, alia apud privatum judicem in iiſdem quæſtionibus ratio[e].) Tum ſecundo gradu, non potuiſſe donari 116
a victore jus, *quia id demum ſit ejus, quod ipſe*[f] *teneat: jus, quod ſit incorporale, apprehendi manu non poſſe.* Hoc reperire difficilius, quam, cum inveneris, argumentis adjuvare: *ut alia ſit conditio heredis, alia victoris: quia ad illum jus,*

[b] hæc Jenſ. [c] primum G. Jenſ. *et al. ap. Bur.* [d] et G. [e] *Sic Voſſiani ap. Burm.* ſit *inſ. al.* [f] *om.* G.

112. *non eſſe his ab Alexandro*] Quid hoc ad rem facit, datane ſit ab Alexandro Theſſalis pecunia? At hoc multum ad rem faceret, *ſi Alexandro data eſſet a Theſſalis*, quibus ille ſatis feciſſet tabulis, quas Theſſali Thebanis ſui debiti teſtes dederant. Ita enim cenſerentur Theſſali, quod debebant Thebanis, ſolviſſe Alexandro, tum domino Thebarum. Quid multa? Leviſſima mutatione legendum arbitror, *non eſſe ab his*, Theſſalis puta, *Alexandro pecuniam datam*, et mox *ac ſi pecuniam dederint?* Si ita ſcripſit Quinctilianus, quid ſibi hæc velint, intelligo.

113. *nihil eum egiſſe*] Facilius omnia aſſequetur, qui attenderit, quomodo tria hæc Fabius perſequatur. De primo agit ſtatim; de altero ſ. 116; de tertio ſ. 118.

113. *hoc regna—contineri*] Niſi victoria juſtum poſſeſſionis titulum præbeat, *regna, populos, fines gentium atque urbium*, nunquam conquieſcere et ſtabili quaſi ſede locari poſſe.

115. *quod Amphictyones jud.*] Hinc enim forte argumentum ducitur, ipſos adverſarios eam controverſiam non ex jure belli, ſed per arbitros ordinarios Græciæ velle dirimi. Vid. ſ. 118.

117 *ad hunc res transeat.* Proprium deinde materiæ, *jus publici crediti transire ad victorem non potuisse, quia, quod populus crediderit, omnibus debeatur: et, quamdiu quilibet unus superfuerit, esse eum totius summæ creditorem: Thebanos au-*
118 *tem non omnes in Alexandri manu* [g] *fuisse.* Hoc non extrinsecus probatur, quæ vis est argumenti, sed ipsum per se valet. Tertii loci pars prior magis vulgaris, *non in tabulis esse jus:* itaque multis argumentis defendi potest. Mens quoque Alexandri duci debet in dubium, *honorarit eos, an deceperit.* Illud jam rursus materiæ proprium, et velut novæ controversiæ, *quod* [h] *restitutione recepisse jus, etiam si quod amiserint, Thebani videntur.* Hic et, quid Cassander velit, quæritur: sed vel potentissima apud Am-
119 phictyonas æqui tractatio est. Hæc [i] non idcirco dico, quod inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem, alioqui nec tradidissem; sed ne, si qui cognoverint ista, si cetera negligant, perfectos se protinus atque consummatos putent: et, nisi in ceteris, quæ mox præcipienda sunt, elaboraverint, mutam quam-
120 dam scientiam consecutos intelligant. Nec enim Artibus editis factum est, ut argumenta inveniremus: sed dicta sunt omnia, antequam præciperentur: mox ea scriptores observata et collecta ediderunt. Cujus rei probatio est, quod exemplis eorum veteribus utuntur, et ab oratoribus illa repetunt: ipsi nullum novum, et, quod dictum
121 non sit, inveniunt. Artifices ergo [i] illi, qui dixerunt: sed habenda iis quoque gratia est, per quos labor nobis detractus est. Nam, quæ priores beneficio ingenii singula invenerunt, nobis et non sunt requirenda, et nota [m] omnia. Sed non magis hoc sat est, quam palæstram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, cibis, ante omnia natura juvetur [n], sicut [o] contra ne illa quidem satis fine arte
122 profuerint. Illud quoque studiosi eloquentiæ cogitent, neque omnibus in cautis ea, quæ demonstravimus, cuncta posse reperiri: neque, cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula, et velut ostiatim pulsanda [p], ut sciant, an ad [q] probandum id, quod intendimus, forte respon-

[g] manus Jens. [h] quia G. [i] enim Jens. [i] quoque *id.* [m] sunt *inf. id.* [n] juvatur G. [o] sic Jens. [p] pulsandum *conj. Francius, quod probo, nisi malis* ostia tum pulsanda. [q] *om.* Jens.

118. *an deceperit*] Cum sciret nimirum, tabulis licet traditis, tamen nihil juris ea re accipere Thessalos non solvendi quod deberent.

120. *Nec enim Artibus*] Vid. supra 2, 5, 14.

deant: nisi cum discunt, et adhuc usu carent. Infinitam 123
enim faciet [r] ipsa res dicendi [s] tarditatem, si semper necesse sit, ut, tentantes unumquodque eorum, quod sit aptum atque conveniens, experiendo noscamus: nescio, an etiam impedimento futura sint, nisi et animi quædam ingenita natura, et studio exercitata velocitas, recta [t] nos ad ea, quæ conveniunt caussæ, ferant. Nam, UT cantus vo- 124
cis plurimum juvat sociata nervorum [u] concordia, si tamen tardior manus, nisi inspectis dimensisque singulis, quibus quæque vox fidibus jungenda sit, dubitet, potius fuerit esse contentum eo, quod [x] simplex canendi natura tulerit: ita hujusmodi præceptis debet quidem aptata [y] esse, et citharæ modo intenta ratio doctrinæ: sed hoc exercitatione 125
multa consequendum, ut, quemadmodum illorum artificum, etiam si alio spectent, manus tamen ipsa consuetudine ad graves, acutos, mediosque horum sonos fertur, sic oratoris cogitationem nihil moretur hæc varietas argumentorum et copia, sed quasi offerat se, et occurrat: et, UT literæ syllabæque scribentium cogitationem non exigunt, sic rationes [z] sponte quadam sequantur.

XI. Tertium genus ex iis, quæ extrinsecus adducuntur in caussam, Græci vocant παράδειγμα, quo nomine et generaliter usi sunt in omni similium appositione, et specialiter in iis, quæ rerum gestarum auctoritate nituntur. Nostri fere [a] *similitudinem* vocare maluerunt, quod ab illis παραβολὴ dicitur; hoc alterum, *exemplum*: quamquam et hoc, simile est; et illud, exemplum. Nos, quo facilius 2
propositum explicemus, utrumque παράδειγμα esse credamus, et ipsi appellemus *exemplum*. Nec vereor, ne videar repugnare Ciceroni, qui *collationem* separat [b] ab *exemplo*. Nam idem omnem argumentationem dividit in duas partes, *inductionem* et *ratiocinationem*, ut plerique Græcorum

[r] faciat G. [s] discendi Jens. *male*. [t] recte G. [u] numerorum G. [x] quo G. [y] apte Jens. [z] rationem G. [a] vero G. [b] separet G. Jens.

124. *sociata nervorum concor.*] Quæ citharœdum facit, in quo summa ars est. Vid. supra 1, 12, 3.

XI, 2. *collat. separat ab exemplo*] De Inv. 1, 30. ubi *comparabilis* tres facit partes sive species, *Imaginem*, *Collationem*, *Exemplum*; et *Collationem* ita finit, *Est oratio rem cum re ex similitudine conferens.* Sed idem p. p. c. 31. pr. *Omnis*, inquit, *argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem*: ac deinde inductionem dulcissimo dialogo Aspasiæ cum Xenophonte atque Xenophontis uxore, quem Socrates apud Æschinem refert, declarat.

in παραδείγματα et ἐπιχειρήματα: dixeruntque παράδειγμα, ῥητορικὴν ἐπαγωγήν. Nam illa, qua plurimum Socrates eſt
3 uſus, hanc habuit viam[c]; cum plura interrogaſſet, quæ fateri[d] adverſario neceſſe eſſet, noviſſime id, de quo quæ-rebatur, inferebat[e], cui ſimile conceſſiſſet. Id eſt *inductio*. Hoc in oratione[f] fieri non poteſt: ſed, quod illic
4 interrogatur, hic fere ſumitur. Sit igitur illa interroga-tio talis, *Quod eſt pomum generoſiſſimum? nonne, quod optimum?* concederetur. *Quid? equus qui*[g] *generoſiſſimus? nonne, qui optimus?* et plura in eumdem modum. Dein-de, cujus rei gratia rogatum eſt, *Quid homo? nonne is ge-*
5 *neroſiſſimus, qui optimus?* fatendum[h] erit. Hoc in teſtium interrogatione valet plurimum, in oratione perpetua diſſi-mile eſt: etenim ſibi ipſe reſpondet orator. *Quod pomum generoſiſſimum? puto, quod optimum; et quis equus? qui velociſſimus: ita hominum, non qui claritate naſcendi, ſed qui virtute maxime excellet.* Omnia igitur ex hoc genere ſum-ta, neceſſe eſt aut ſimilia eſſe, aut diſſimilia, aut contraria. Similitudo[i] aſſumitur interim et ad orationis ornatum: ſed illa, cum res exiget: nunc ea, quæ ad probationem
6 pertinent, exſequar. Potentiſſimum autem eſt inter ea, quæ ſunt hujus generis, quod proprie vocamus *Exemplum*, id eſt, rei geſtæ, aut ut geſtæ, utilis ad perſuadendum id, quod intenderis, commemoratio. Intuendum igitur, to-tum ſimile ſit, an ex parte: ut aut omnia ex eo ſumamus, aut quæ utilia erunt. Simile eſt, *Jure occiſus eſt Saturni-*
7 *nus, ſicut Gracchi.* Diſſimile, *Brutus occidit liberos proditionem molientes; Manlius virtutem filii morte multavit.* Contrarium, *Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit; Verres eadem ſociis abſtulit.* Et probandorum et culpandorum ex his confirmatio eoſdem gradus habet.
8 Etiam in iis, quæ futura dicemus, utilis ſimilium admo-nitio eſt: ut, ſi quis dicens, *Dionyſium idcirco petere cuſtodes ſalutis ſuæ, ut, eorum adjutus armis, tyrannidem occupet*, hoc referat exemplum, *eadem ratione Piſiſtratum ad domi-*
9 *nationem perveniſſe.* Sed, ut ſunt exempla interim tota ſi-milia, ut hoc proximum: ſic interim ex majoribus ad mi-

[c] *F.* vim: *nec tamen* viam *damnavero.* [d] confiteri G. Jenſ. [e] infe-reret G. [f] ratiocinatione Jenſ. [g] *om. id.* [h] fatendum erit *om.* G. [i] Diſſimilitudo G. Jenſ.

7. *Marcellus ornamenta*] Ex Cic. Verr. 4, 55. ubi elegans utriuſque comparatio.

nora, ex [l] minoribus ad majora ducuntur. *Si propter matrimonia violata urbes eversæ sunt, quid fieri adultero par est? Tibicines, cum ab urbe discessissent, publice revocati sunt: quanto magis principes civitatis viri, et bene de republica meriti, cum invidiæ cesserint, ab exilio reducendi?* Ad 10
exhortationem vero præcipue valent imparia. *Admirabilior in femina, quam in viro, virtus.* Quare, si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferent momenti Horatius et Torquatus, quantum illa mulier, cujus manu Pyrrhus est interfectus: et ad moriendum non tam Cato et Scipio, quam Lucretia: quod ipsum est ex minoribus [m] ad majora. Singula igitur horum generum ex Ci- 11
cerone (nam unde potius?) exempla ponamus. Simile est hoc pro Muræna, *Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro, peterem: superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam:* Majus minoris, pro Milone, *Negant, intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc [n] homines stultissimi* 12
disputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur: Minus majoris, *Occidi, non Spurium Melium, qui annona levanda, jacturaque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur [o], in suspicionem incidit regni appetendi,* &c. deinde, *Sed eum (auderet enim dicere, cum patriam periculo liberasset) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus,* et totus in Clodium locus. *Dissi-* 13
mile plures [p] cauſſas [q] habet: fit enim *genere, modo, tempo-*

l ex—majora *om.* G. m majoribus ad minora G. Jenſ. n hæc G.
o videbatur G. Jenſ. p ex ſe *inſ. iid.* q caſus G.

9. *Tibicines—revocati*] Hiſtoria ex Liv. 9, 30. Potuit huic exemplo locus eſſe, et forte uſus illo aliquis eſt, cum de Cicerone revocando ſermo eſſet.

10. *Pyrrhus interfectus*] In mediis Argis, tegula in ipſum dejecta a muliere, cujus filium ipſe petebat. Graphice, ut ſolet, atque ita, ut intereſſe te putes, mortem Pyrrhi deſcribit Plutarchus in Parall. p. 741. H. Steph.

10. *Scipio*] Ne quis hic erret cum Moſellano, eſt ille Q. Cæcilius Metellus, alterum poſt Catonem Pompeianarum reliquiarum decus et lumen, de quo Florus 4, 2, 68. *Jam Scipio nave fugiebat: ſed adſecutis eum hoſtibus, gladium per viſcera exegit: et, ubi eſſet, quodam requirente, reſpondit hoc ipſum,* BENE SE HABET IMPERATOR! Reliquos hic laudat Freinſh.

11. *pro Muræna*] c. 8. pro Milon. c. 3. et c. 27. pro Cluentio denique illud de P. Africano c. 48. nam cætera per majorem orationis partem ſparſa.

re, loco, ceteriſque, per quæ fere omnia Cicero præjudicia, quæ de Cluentio videbantur facta, ſubvertit: [r] contrario vero exemplo cenſoriam notam, laudando cenſorem Africanum, qui eum, quem pejeraſſe conceptis verbis palam dixiſſet, teſtimonium etiam pollicitus, ſi quis contra diceret, nullo accuſante, traducere equum paſſus eſt: quæ, 14 quia erant longiora, non ſuis verbis expoſui. Breve autem apud Virgilium contrarii exemplum eſt,

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo.

15 Quædam autem ex iis, quæ geſta ſunt, tota narrabimus: ut Cicero pro Milone, *Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu Caii Marii, propinquus ejus imperatoris interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quam perpeti turpiter maluit: atque hunc ille ſummus vir ſcelere ſolutum, periculo liberavit.* 16 Quædam ſignificare ſatis erit, ut idem, ac pro eodem, *Neque enim poſſet aut* [s] *Hala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut, me conſule, Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos interfici nefas eſſet.* Hæc ita dicentur, prout 17 nota erunt, vel utilitas cauſſæ aut decor poſtulabit. Eadem ratio eſt eorum, quæ ex poeticis fabulis ducuntur [t], niſi quod iis minus affirmationis adhibetur: cujus uſus qualis eſſe deberet, idem optimus auctor ac magiſter elo- 18 quentiæ oſtendit. Nam hujus quoque generis eadem in oratione reperietur exemplum: *Itaque hoc, judices, non ſine cauſſa etiam fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris ulciſcendi cauſſa matrem necaviſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolum divina, ſed* 19 *etiam ſapientiſſimæ deæ ſententia liberatum.* Illæ quoque fabulæ, quæ [u], etiam ſi originem non ab Æſopo acceperunt, (nam videtur earum primus auctor Heſiodus) nomine tamen Æſopi maxime celebrantur, ducere animos ſo-

[r] E *inſ.* Jenſ. [s] *om.* G. Jenſ. [t] dicuntur G. Jenſ. [u] *om.* G.

14. *apud Virgilium*] Æn. 2, 540. Tum Cic. pro Milon. c. 4 et 3.

19. *originem non ab Æſopo*] De hac re diſputatum recentiori quoque ætate, nec prætermiſſa Quinctiliani auctoritas, v. g. a Gaſp. Bacheto Meziriaci Domino in Vita Æſopi p. 60. edit. 1716. Sed noviſſima diſputatio inter Anglos agitata. Vid. Bentleii Diſſert. de epiſtolis Phalaridis &c. ac fabulis Æſopi, cum Wottoni Cogitt. de erud. ant. et recent. edita Lond. 1697. 8vo. p. 134. Sed πάντα περὶ πάντων dedit Fabricius B. G. 2, 9.

INSTITUTO DE ESTUDIOS RIOJANOS
BIBLIOTECA

lent, præcipue ruſticorum, et imperitorum: qui et ſimplicius, quæ ficta ſunt, audiunt, et capti voluptate facile iis, quibus delectantur, conſentiunt. Siquidem et Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxiſſe nota illa de membris humanis adverſus ventrem diſcordantibus fabula. Et Horatius ne in poemate quidem humilem generis hujus uſum putavit, in illis verſibus [x],

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni, &c.

Αἶνον Græci vocant, et αἰσωποπλόκητον [z], ut dixi, λόγες [a] μυθικὰς, noſtrorum quidam, non ſane recepto in uſum nomine, *apologationem*. Cui confine eſt παροιμίας [b] genus illud, 21
quod eſt velut fabella [c] brevior, et per allegoriam accipitur, *Non noſtrum*, inquit [d], *onus: bos clitellas*. Proximas 22
exemplo [e] vires habet *ſimilitudo*, præcipueque illa, quæ [f] ducitur citra ullam tranſlationum mixturam ex rebus pene paribus [g]. *Ut, qui accipere in campo conſueverunt* [h], *iis candidatis, quorum nummos ſuppreſſos eſſe putant, inimiciſſimi* [i] *ſolent eſſe: ſic ejuſmodi judices* [l] *infeſti tum reo venerant.* Nam παραξολὴ, quam Cicero *collationem* vocat, longius 23
res, quæ comparentur [m], repetere ſolet. Nec hominum modo inter ſe opera ſimilia ſpectantur, ut Cicero pro Muræna facit, *Quod ſi e portu ſolventibus ii* [n], *qui jam in* [o] *portum ex alto invehuntur, prædicere ſummo ſtudio ſolent et tempeſtatum rationem, et prædonum, et locorum: quod natura fert* [p], *ut iis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo me tandem animo eſſe oportet, prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reip.* [q] *tempeſtates eſſe ſubeundas?* ſed et

[x] qd. (*f.* quando) dixit *inf.* G. 2. [z] eſopius, (αἰσωπιὰς) G. 2. *quod rectum puto. Vid. Viri docti ad Phædri pr.* Æſopus G. [a] καὶ Λιβυκὰς G. *Vid. Fabric. B. G.* 2, 9, 6. p. 396. [b] παροιμιον G. *qui alias in Græcis emendatiſſimus.* [c] fabula G. [d] inque ydoneus nos clit. G. 2. [e] exempli G. G. 2. Jenſ. [f] qua dicitur citra illam G. 2. [g] patribus G. 2. [h] conſuevet G. 2. [i] minutiſſimi G. 2. [l] jud. infeſti tum venerat G. 2. [m] parantur G. parentum Jenſ. [n] *om.* G. [o] e portu in altum G. [p] affert in G. affert *etiam* Jenſ. [q] *om.* G. Jenſ.

21. *Non noſtrum onus*] Oſtenderunt viri docti ſumtum ex Cic. Att. 5, 15. ubi de provincia ſua, *Clitellæ*, inquit, *bovi ſunt impoſitæ, plane non eſt noſtrum onus: ſed feremus, modo ſit annuum. Clitellas* aſinorum eſſe, dilucide in primis apparet ex Horat. epiſt. 1, 12, 8.

22. *Ut, qui accipere*] Cic. pro Cluentio c. 27. extr. Quod ſequitur de *collatione*, eſt de Inv. 1, 30. deinde pro Muræna c. 2.

a mutis atque etiam inanimis interim hujuſmodi ducitur.
24 Et, quoniam ſimilium alia facies in tali ratione, admonendum eſt, rarius eſſe in oratione illud genus, quod εἰκόνα Græci vocant, (quo exprimitur rerum aut perſonarum imago: ut Caſſius: *Quis iſtam*[r] *faciem planipedis*[s] *ſenis torquens?*) quam id, quo[t] probabilius fit, quod intendimus: ut, ſi animum dicas excolendum, ſimilitudine utaris terræ, quæ neglecta ſentes atque dumos, culta[u] fructus creat: aut, ſi ad curam reip. horteris, oſtendas[x] apes etiam[z] formicaſque, non modo muta, ſed etiam parva animalia,
25 in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum illud eſt Ciceronis, *Ut corpora noſtra ſine mente, ita civitas ſine lege, ſuis partibus, ut nervis ac ſanguine et membris, uti non poteſt.* Sed, ut hac[a] corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio, *equorum*; pro Archia, *ſaxorum* quoque
26 uſus eſt ſimilitudine. Illa (ut dixi) propiora, *ut remiges ſine gubernatore, ſic milites ſine imperatore nihil valere.* Solent tamen fallere ſimilitudinum[b] ſpecies: ideoque adhibendum eſt his judicium. Neque enim, *ut navis utilior nova, quam vetus, ſic amicitia*: vel, *ut laudanda, quæ pecuniam ſuam pluribus largitur, ita, quæ formam.* Verba ſunt in his ſimilia, *vetuſtatis*, et *largitionis*: vis quidem longe
27 diverſa, *pecuniæ*, et *pudicitiæ* *. Itaque in hoc genere

[r] iſte? *conj. Burm. quam veram puto.*
[s] lanipedi G. Jenſ. *et al. ap. Bur.*
[t] quod G. Jenſ.
[u] exculta *iid.*
[x] oſtendes Jenſ.
[z] eſſe G.
[a] hoc G. Jenſ.
[b] ſimilitudinem G.
* amicitiæ Jenſ. *et quidam al. ap. Burm.* V. N.

24. *Caſſius*] Caſſium Severum intelligit Burmannus, Tragœdiarum ſcriptorem.

24. *planipedis ſenis*] Si hæc vera eſt lectio, intelligemus mimum larvatum, cujus diſtortam faciem imitetur hic ſenex: hoc enim genus *planipedes* dictos, ſatis bona lexica oſtendunt. Atque hoc placet Burmanno. Sin *lanipedis* arrideat, et ſane magnæ ſunt auctoritates; intelligam ſenem podagricum pedes lana involutos habentem, et præ dolore os ſubinde diſtorquentem.

24. *ſi animum dicas excolendum*] Horatius ad villicum ſuum epiſt. 1, 14, 3. *Certemus, ſpinas animone ego fortius, an tu Evellas agro?*

25. *Ciceronis*] Pro Cluentio c. 53. pro Archia c. 8.

26. *quæ formam*] h. e. uſuram corporis juvenilis et viro maturi. Sic paſſim ὥραν Græcis, ſic *ætatem* Latinis uſurpari conſtat. De *forma* occurrunt jam Tibullus 1, 13, 51. *Sit procul a nobis, formam cui vendere cura eſt*, et Petro. 126. *Formam proſtituis, ut vendas.*

27. *pecuniæ, et pudicitiæ*] Locus, ut mihi videtur, lacuna corruptus, ſed cui mederi non difficile eſt. Meminerimus autem, pro *pudicitiæ* eſſe in bonis libris *amicitiæ*. Quod cum viderent viri docti non congruere *pecuniæ*, quippe cui in ultimo exemplo non *amicitia* reſpondet, ſed *forma*, ſive, quod hoc loco idem

maxime quæritur, an ſimile ſit, quod infertur. Etiam in illis interrogationibus Socraticis, quarum paullo ante feci mentionem, cavendum, ne incaute reſpondeas: ut apud Æſchinem Socraticum male reſpondit [c] Aſpaſiæ [d] Xenophontis uxor, quod Cicero his verbis transfert, *Dic mihi, quæſo, Xenophontis uxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum* [e] *illius, an tuum malis* [f]*? Illius* [g]*, inquit. Quid? ſi veſtem et ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuum, an illius malis? Illius vero, reſpondit. Age, inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne* [h] *tuum, an illius malis?* Hic mulier erubuit merito: male enim reſponderat, *ſe malle alienum aurum* [i]*, quam ſuum:* nam eſt id improbum. At, ſi reſpondiſſet, *malle ſe aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet,* potuiſſet pudice reſpondere, *malle ſe virum ſuum talem eſſe, qualis melior eſſet.* Scio quoſdam inani diligentia per minutiſſimas iſta partes ſecuiſſe, et eſſe aliquid minus ſimile, ut *ſimia homini*, et ut marmora deformata prima manu: aliquid plus, ut illud, *Non ovum tam ſimile ovo:* et diſſimilibus ineſſe ſimile, ut eſt [l] *formicæ* et *elephanto* genus, quia ſunt animalia: et ſimilibus diſſimile, ut,

28 29 30

——*Canibus catulos, et matribus hœdos*;

differunt enim ætate: contrariorum quoque aliter accipi oppoſita, ut *noctem luci*; aliter noxia, ut [m] *frigidam* [n] *febri*; aliter repugnantia, ut *verum falſo*; aliter diſparata [o], ut *dura non duris:* ſed, quid hæc ad præſens propoſitum

31

[c] reſpondet G. [d] Aſpaſia Jenſ. *male. nam Aſpaſia interrogat. Vid. ſupra ad ſ. 2.* [e] utrumne G. Jenſ. [f] reſpondet *inſ.* G. [g] vero ageſis *inſ.* G. *deinde* Quid ſi—Age, inquit *om.* [h] utrumne tuum virum G. Jenſ. [i] virum G. [l] *om.* G. Jenſ. [m] aquam *inſ. iid.* [n] in *inſ.* G. [o] ſeparata G. Jenſ.

valet, *pudicitia:* hoc nomen ſubſtituerunt, legeruntque adeo, *vis quidem longe diverſa pecuniæ et pudicitiæ.* Sed illa cura induxit cicatriculam vulneri, non ſanitatem. Apertum enim eſt, de ambobus, quæ modo propoſuerat, exemplis ſimilitudinis diſſimilis judicare hic Fabium. Quemadmodum igitur *vetuſtatis* ex uno, et *largitionis* ex altero mentionem facit, in quibus verbis ſimilitudinem agnoſcit: ita, quæ diſſimilia ſunt, non in altero tantum, ſed in utroque exemplo debuit commemorare, ſi conſtare ſibi, et, qualis eſt, doctor dilucidus eſſe voluit. Scripſit igitur, niſi fallor, *vis quidem longe diverſa pecuniæ et formæ, navis et amicitiæ.* Repetitio τῆς et primæ omiſſioni locum dedit. Succeſſit tentata, quam diximus, curatio, qua hanc noſtram cupimus et ſperamus eſſe feliciorem.

30. *Canibus catulos*] Virg. Ecl. 1, 23.

32 magnopere pertineant, non reperio. Illud eſt annotandum, magis argumenta duci ex jure [p] ſimili: ut Cicero in Topicis, *Ei* [q], *cui domus uſusfructus relictus ſit, non reſtituturum heredem, ſi corruerit, quia non reſtituat ſervum, ſi is deceſſerit*: ex contrario, *Nihil obſtat, quo minus juſtum matrimonium ſit mente coeuntium, etiam ſi tabulæ ſignatæ non fuerint. Nihil enim proderit ſignaſſe tabulas, ſi mentem ma-*
33 *trimonii non fuiſſe conſtabit*: ex diſſimili, quale eſt Ciceronis pro Cæcina, *Ut, ſi quis me exire domo coegiſſet armis, haberem actionem: ſi quis intrare prohibuiſſet, non haberem.* Diſſimilia ſic deprehenduntur, *Non, ſi qui* [r] *argentum omne legavit, videri poteſt ſignatam quoque pecuniam reliquiſſe; ideo etiam, quod eſt in nominibus, dari voluiſſe creditur.*
34 Ἀναλογίαν [s] quidam a ſimili ſeparaverunt, nos eam ſubjectam huic generi putamus. Nam, *ut unum ad decem, ſic decem ad centum*, ſimile certe eſt: et, *ut hoſtis, ſic malus civis.* Quamquam hæc ulterius quoque procedere ſolent. *Si turpis dominæ conſuetudo cum ſervo, turpis domini* [t] *cum ancilla; Si mutis animalibus finis voluptas, idem homini.*
35 Cui rei facillime occurrit ex diſſimilibus argumentatio. *Non idem eſt dominum cum ancilla coiſſe, quod dominam cum*

[p] voce G. [q] eum—heredi G. Jenſ. [r] quis *iid.* [s] ἀποσιωπᾶν G. [t] domino G. Jenſ. *nec male, cum etiam* dominæ *tertius caſus eſſe queat.* Domini *eſt a correctione Reg.*

32. *Cicero in Top.*] c. 3. *Si ædes eæ corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum uſusfructus legatus eſt, heres reſtituere non debet, nec reficere, non magis quam ſervum reſtituere, ſi is, cujus uſusfructus legatus eſt, deperiſſet.* Recte igitur ſe habet reſtituta a Regio, et ſervata a cæteris lectio.

33. *pro Cæcina*] c. 12. ſic legitur hodie, *Si qui me exire domo mea coegiſſent armis, haberem actionem; ſi qui introire prohibuiſſent, non haberem?*

33. *Non, ſi qui argentum*] Cic. Top. 3. *Non, ſi uxori vir legavit omne argentum, quod ſuum eſſet; idcirco, quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt.* Videtur Fabius conjunxiſſe hic illud, quod Cicero paullo ante ut a genere ductum commemorat, *Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata.*

34. *ut hoſtis, ſic malus civis*] Proportio cum ſit inter quatuor; deeſſe hic duo apparet. Poſſis ſuſpicari, *ut hoſtis ad hoſtem, ſic malus civis ad bonum.*

34. *dominæ conſuetudo cum ſervo*] *Quædam enim feminæ* (Petronium audis c. 126, idoneum auctorem) *ſordibus calent, nec ad libidinem concitantur, niſi aut ſervos viderint,—Viderint matronæ, quæ flagellorum veſtigia oſculantur.* Hinc legibus coercita libido in alienis etiam ſervis inſaniens, quarum auctor Claudius, domeſticæ turpitudinis ultor hac quidem parte ſeverus: bonus autem maritus Juſtinianus eas abrogavit Cod. 7, 24. de SCto Claudiano tollendo. Vid. Lipſ. et Gronov. ad Tac. An. 12, 53. et P. Fab. Semeſtr. 1, 25.

ſervo: Nec, ſi mutis finis voluptas, rationalibus[u] *quoque:* immo ex contrario[x], *Quia mutis, ideo non rationalibus.* Adhibetur extrinſecus in cauſſam et *auctoritas.* Hæc ſe- 36
cuti Græcos, a quibus κρίσεις dicuntur, *judicia* aut *judicationes* vocant, non[z], de quibus ex cauſſa dicta ſententia eſt; (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) ſed, ſi quid ita viſum gentibus, populis, ſapientibus viris, claris civibus, illuſtribus poetis, referri poteſt. Nec hæc quidem 37
vulgo dicta[a], et recepta perſuaſione populari, ſine uſu[b] fuerint teſtimonia. Sunt enim quodammodo[c] potentiora etiam, quod non cauſſis accommodata, ſed liberis odio et gratia mentibus, ideo tantum dicta factaque, quia aut honeſtiſſima, aut veriſſima videbantur. An vero me de incommodis 38
vitæ diſſerentem non adjuvabit earum perſuaſio nationum, *quæ fletibus natos, lætitia defunctos proſequuntur?* Aut, ſi miſericordiam commendabo judici, nihil proderit, quod prudentiſſima civitas Athenienſium, *non eam pro affectu, ſed pro numine accepit?* Jam illa ſeptem præcepta ſapientum, 39
nonne quaſdam vitæ leges exiſtimamus? Si cauſſam veneficii dicat adultera, non Marci Catonis judicio damnata videatur[d], *qui nullam adulteram non eamdem eſſe veneficam dixit*[e]*?* Jam ſententiis quidem poetarum non orationes modo ſunt refertæ, ſed libri etiam philoſophorum: qui quamquam inferiora omnia præceptis ſuis ac literis credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis[f] verſibus non faſtidierunt. Neque eſt ignobile exemplum, *Mega-* 40
reos[g] *ab Athenienſibus, cum de Salamine contenderent, victos*

[u] rationabilibus *hic et mox iid.* [x] contrariis G. [z] *om.* G. Jenſ. *et al.* [a] dicam G. [b] riſu G. [c] vel *inſ.* G. Jenſ. [d] videtur G. [e] *om.* G. [f] pluribus G. [g] Megaros G. Megarius Jenſ.

36. *non, de quibus ex cauſſa*] Gratiæ habendæ Regio, propter quem, et interpoſitam ab eo negationem hic locus utcumque intelligitur. Interim nondum puto uſque quaque ſanum. Quæ enim hæc definitio judiciorum aut judicationum, *de quibus ex cauſſa dicta ſententia eſt?* judicia potius ſunt ſententia ipſa majoris partis judicum de cauſſa aliqua.

38. *fletibus natos—proſeq.*] Thracum quidam, *Trauſos* nominat Herodotus 5, 4. Add. Sext. Empir. Pyrrh. Hypot. 3, 24. ſ. 232. ubi et reliquorum Deorum hominumque ſententias, qui vita mortem potiorem duxerint, commemorat, quibus ſi addideris notata Fabricio, nihil magnopere, quod ad hunc locum pertineat, deſiderabis.

38. *pro numine accepit*] Sacrata illi ara. Plures quidem βωμοὺς commemorat Sextus Empiricus contra Math. 9, 187. Sed ſynecdochen eſſe putat ὁ πάνυ Fabricius, cum reliqui, quos magno numero laudat, unius tantum meminerint.

Homeri versu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur, significans, *Ajacem naves suas Athenienſibus junxiſſe.*
41 Ea quoque, quæ vulgo recepta sunt, hoc ipso, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt: quale est, *Ubi amici, ibi opes:* et, *Conscientia mille testes:* et apud Ciceronem, *Pares autem* (*ut*[h] *est in vetere proverbio*) *cum paribus facillime*[i] *congregantur:* neque enim durassent hæc
42 in æternum, nisi vera omnibus viderentur. Ponitur a quibusdam, et quidem in parte prima, Deorum auctoritas, quæ est ex responsis, ut, *Socratem esse sapientissimum.* Id rarum est: tamen utitur eo Cicero in libro de aruspicum responsis, et in concione contra Catilinam, cum *signum Jovis columnæ impositum populo ostendit:* et pro Ligario, *cum causam Caii Cæsaris meliorem, quia hoc*[k] *Dii judicaverint, confitetur.* Quæ cum propria causæ sunt, *divina testimonia* vocantur: cum aliunde arcessuntur, *argumenta.*
43 Nonnumquam contingit[l] judicis quoque, aut adversarii, aut ejus, qui ex diverso agit, dictum aliquod aut factum assumere ad eorum, quæ intendimus, fidem. Propter quod fuerunt, qui exempla et has auctoritates probationum inartificialium esse arbitrarentur, quod ea non inve-
44 niret orator, sed acciperet. Plurimum autem refert. Nam *testis*, et *quæstio*, et his similia, et de ipsa re, quæ in judicio est, pronuntiant[m]: extra petita, nisi ad aliquam præsentis disceptationis utilitatem ingenio applicantur, nihil per se valent.

XII. Hæc fere de *probatione*, vel ab aliis tradita, vel usu percepta[n], in hoc tempus sciebam. Nec mihi fiducia

[h] ut est in *om. ap. Cic.* [i] maxime G. [k] hæc G. [l] contigit judicis, aut G. [m] renuntiant G. *et al. ap. Burm.* [n] præcepta Jens.

40. *Homeri versu*] Ἰλ. β'. 558. ubi illi, Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας, subjungitur, Στῆσε δ' ἀγὼν, ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες. Hunc ipsum versum quidam apud Plutarchum et Diogenem Laertium a Solone suppositum Homero putant, quos laudat, ac Diogenis locum erudite explicat, et, quæ alii veteres de hoc ipso versu et hac historia dixerint, docet, Regius interpres, Rex Homericorum interpretum, Samuel Clarke.

41. *Ubi amici*] Plaut. Trucul. 4, 4, 32. *Verum est verbum, quod memoratur, ubi amici ibidem opes.* Sed *opus*, i. e. labores, molestias, legi vult Lambinus, et recepit Gronovius.

41. *apud Ciceronem*] De Sen. c. 3. pr. Deinde, contra Catilinam locus est 3, 8 et 9. pro Ligario autem c. 6. In quo quidem aliter sensit Lucanus, nobili illo versu 1, 128. *Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.* Addi poterat insignis locus pro Milon. c. 31. ubi divino consilio et instinctu periisse Clodium contendit.

est, ut ea[o] sola esse contendam; quin[p] immo hortor ad quærendum, et inveniri posse fateor: quæ tamen adjecta fuerint, non multum ab his abhorrebunt. Nunc breviter, quemadmodum sit utendum his, subjungam. Traditum fere est, *Argumentum oportere esse confessum: dubiis enim probari dubia quî possunt?* Quædam tamen, quæ in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. *Occidisti virum, eras enim adultera.* Prius de adulterio convincendum est, ut, cum id cœperit esse pro certo, fiat incerti argumentum. *Spiculum tuum in corpore occisi inventum est:* negat *suum:* ut probationi profit, probandum est. Illud hoc loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quam quæ ex dubiis facta sunt certa. *Cædes a te commissa est, cruentam enim*[q] *vestem habuisti:* non est tam grave argumentum, si fatetur, quam si convincitur. Nam, si fatetur, multis ex caussis potuit cruenta esse vestis; si negat, hic caussæ cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Non enim videtur in negando mentiturus fuisse, nisi desperasset, id posse defendi, si confiteretur. Firmissimis argumentorum singulis instandum, infirmiora congreganda sunt: quia illa per se fortia, non oportet circumstantibus obscurare, ut, qualia sunt, appareant: hæc, imbecilla natura, mutuo auxilio sustinentur. Itaque[r], si non possunt valere, quia magna non sunt, valebunt, quia multa sunt, quæ ad ejusdem rei probationem omnia spectant. Ut, si quis hereditatis gratia hominem occidisse dicatur, *Hereditatem sperabas, et magnam hereditatem, et pauper eras, et tum maxime a creditoribus appellabaris: et offenderas eum, cujus heres eras, et mutaturum tabulas sciebas.* Singula levia sunt, et communia: universa vero nocent, etiamsi[s] non ut fulmine, tamen ut grandine. Quædam argumenta ponere satis non est, adjuvanda sunt: ut, *si*[t] *cupiditas caussa sceleris fuit; quæ sit vis ejus:* [u]*ira; quantum efficiat in animis hominum talis affectio:* ita et firmiora erunt ipsa, et plus habebunt decoris, si non nudos et velut carne spoliatos artus[v] ostenderint. Multum etiam refert, si argumento nitemur[x] odii, *utrum*[z] hoc *ex invidia* sit, *an ex injuria, an ex ambitu? vetus, an novum? adversus inferiorem, parem, an superiorem? alienum an propinquum?* Suos habent omnia ista tractatus, et ad utilitatem partis ejus, quam tuemur[a],

1 2 3 4 5 6 7

[o] mea G. [p] qui immo Jens. [q] *om.* G. Jens. [r] Ita quæ non poss. G. [s] etsi G. si etiam Jens. [t] *om.* G. Jens. [u] *Forte inf.* si. [v] actus Jens. *male.* [x] utemur G. *puto recte.* [z] an G. [a] tuetur G.

8 referenda sunt. Nec tamen omnibus semper, quæ invenerimus, argumentis onerandus est judex: quia et tædium afferunt, et fidem detrahunt. Neque enim potest judex credere satis esse ea potentia, quæ non putamus ipsi sufficere, qui dicimus [b]. In rebus vero apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem mortale
9 lumen inferre. His quidam probationes adjiciunt, quas παθητικὰς vocant, ductas ex affectibus [c]. Atque Aristoteles quidem potentissimum putat ex eo, qui dicit, si *fit vir optimus*: quod ut optimum est; ita longe quidem, sed se-
10 quitur tamen, *videri*. Inde enim illa nobilis Scauri defensio, *Quintus Varius Sucronensis* [d] *ait Æmilium Scaurum rempub. populi Romani prodidisse; Æmilius Scaurus negat.* Cui simile quiddam feciſſe Iphicrates dicitur, qui cum Aristophontem, quo accusante similis criminis reus erat, interrogasset, *An is accepta pecunia remp. proditurus esset?* isque id negasset; *Quod igitur*, inquit, *tu non feciſſes, ego*
11 *feci*. Intuendum autem et, qui sit, apud quem dicimus: et id, quod illi maxime probabile videatur, requirendum: qua de re locuti sumus et in [e] procœmii et suasoriæ præ-
12 ceptis. Altera ex affirmatione probatio est, *Ego hoc feci: Tu mihi hoc dixisti*: et, *O facinus indignum!* et similia: quæ non debent quidem deesse orationi, et, si desunt, multum nocent: non tamen habenda sunt inter magna

[b] diximus G. Jens. [c] affectis Jens. [d] Succonensis *id. male.* Sucronensis *etiam boni libri Valerii.* [e] *om.* G. Jens.

9. *Aristoteles*] Rhet. 2, 1. de moribus oratoris agit, et postulat s. 9. φρόνησιν, ἀρετὴν, εὔνοιαν, sed ita tamen, ut passim περὶ τοῦ δοκεῖν se agere ostendat. Scilicet facillima via πρὸς τὸ δοκεῖν est εἶναι. Sed potest etiam fieri, ut alium locum Aristotelis signet Fabius.

10. *nobilis Scauri defensio*] De qua eadem Val. Max. 3, 7, 8.

10. *Iphicrates — Aristophontem*] Personarum et temporum rationes diligenter, ut solet, excussit Burmannus. Quam heroicis argumentis uti solitus sit Iphicrates, vir nominis sui, ostendit laudatus et ipse a Burmanno Polyænus Strateg. 3, 9, 29. ubi eandem forte causam, προδοσίας certe δίκην, commemorat, in qua, Aristophonte accusante, cum videret in contrariam sibi sententiam propensos judices, παρέφηνέ πως τὸ ξίφος τοῖς δικασταῖς. Absolutus tum metu judicum, sed post de vi postulatus, Εὐθὺς ἂν εἶπε, inquit, ὑπὲρ Ἀθηναίων μὲν στρατηγῶν, ὑπὲρ ἐμαυτοῦ δὲ πρὸς Ἀθηναίους μηκέτι.

12. *ex affirmatione probatio*] h. e. adseveratione: hanc enim, nec præterea aliam, verbi vim esse, loca in Lexicis adhuc producta satis declarant. Quare non fuit, cur mutari *affirmationem* in *asseverationem* contra librorum omnium fidem vellet Regius, quem scilicet scholasticorum ratio decepit, qui simpliciter *adfirmare* et *negare* sibi opponunt. Contra pro asseveratione passim noster v. g. 4, 2, 125. Add. 5, 13, 55.

præsidia, cum hoc in eadem caussa fieri ex utraque parte similiter possit. Illæ firmiores ex sua cujusque persona 13
probationes, quæ credibilem rationem subjectam habent: ut *vulneratus, aut filio orbatus non fuerit alium accusaturus, quam nocentem; quando, si negotium innocenti facit, liberet eum noxa, qui admiserit.* Hinc et patres adversus liberos, 14
et [f] adversus suos quisque necessarios auctoritatem petunt. Quæsitum etiam, potentissima [g] argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos: an summo, ut inde [h] dimittant: an partita primo summoque; ut Homerica dispositione in medio sint infirma: an [i] a minimis crescant: Quæ, prout ratio caussæ cujusque postulabit, ordinabuntur, uno (ut ego censeo) excepto, *ne a potentissimis ad levissima decrescat oratio.* Ego hæc breviter de- 15
monstrasse contentus, ita posui, ut locos ipsos et genera, quam possem apertissime, ostenderem. Quidam exsecuti sunt verbosius, quibus placuit propositа locorum [l] communium materia, quo [m] quæque res modo dici posset, ostendere: sed mihi supervacuum videbatur. Nam et [n] 16
fere apparet, quid *in invidiam* [o], quid *in avaritiam*, quid *in testem inimicum*, quid *in* [p] *potentes amicos* dicendum sit: et de omnibus his omnia dicere infinitum est, tam hercule, quam si controversiarum, quæ sunt, quæque futuræ sunt [q], quæstiones, argumenta, sententias tradere velim. Ipsas autem argumentorum velut sedes non me quidem 17
omnes ostendisse confido, plurimas tamen. Quod eo diligentius faciendum fuit, quia declamationes, quibus [r] ad pugnam forensem velut præpilatis exerceri solebamus,

[f] et adv. suos *om.* Jens. [g] potissima G. [h] idem Jens. [i] aut Jens. an ut animis G. [l] verborum G. [m] quæ G. [n] *om.* G. Jens. [o] injuriam *iid.* [p] pro teste amico *iid. et plur. ap. Bur. Sed, quam damus, etiam tuetur Cod. Bern. in Addendis Burm.* [q] sint Jens. [r] *om. id.*

14. *inde dimittant*] Ut ab ipsis illis potentissimis inde argumentis dimittant ad sententias ferendas judices.

14. *Homerica dispositione*] Apud Homerum Ἰλ. Δ'. 297. Ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν καὶ ὀχέσφι, Πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν σῆσεν πολέας τε καὶ ἐσθλούς, Ἕρκος ἔμεν πολέμοιο, κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν, Ὅφρα καὶ ἢν ἐθέλων τις ἀναγκαίη πολεμίζῃ.

16. *in potentes amicos*] Fabius hic eos locos exempli caussa commemoravit, quibus *in* h. e. contra alios dicitur: dixit, ut hoc utar, *in* adversarii sui *potentem amicum* Chrysogonum fortiter pro S. Roscio Amerino Tullius c. 43. sqq.

17. *velut præpilatis*] Int. armis vel hastis, quas non a pilo acutas, spiculo munitas, sed a pila præfixa obtusas atque innoxias (ut sunt hodie gladii, in quibus arma vibrare docentur tirones, *Rappir* nostris, Gallis *Fleurets*) contra vulgi superioris errorem idoneis argumentis

olim jam ab illa vera imagine orandi receſſerunt, atque ad ſolam compoſitæ voluptatem, nervis carent: non alio medius fidius vitio dicentium, quam quo mancipiorum negotiatores formæ puerorum, virilitate exciſa, lenoci-
18 nantur. Nam, UT illi robur ac lacertos, barbamque ante omnia, et alia, quæ natura propria[s] maribus dedit, parum exiſtimant decora: quæque fortia, ſi liceret, forent, ut dura molliunt: ita nos habitum ipſum orationis virilem, et illam vim ſtricte robuſteque dicendi, tenera quadam elocutionis cute operimus: et, dum levia ſint ac nitida,
19 quantum valeant, nihil intereſſe arbitramur. Sed mihi, naturam intuenti[t], *nemo non vir ſpadone formoſior erit*: nec tam averſa umquam videbitur ab opere ſuo providentia, ut debilitas inter optima inventa ſit: nec id ferro ſpecioſum fieri putabo, quod, ſi naſceretur, monſtrum erat. Libidinem juvet ipſum effeminati[u] ſexus mendacium, numquam tamen hoc continget malis moribus regnum,
20 ut, ſi qua pretioſa fecit, fecerit[x] et bona. Quapropter eloquentiam, licet hanc[z] (ut ſentio enim dicam[a]) libidinoſam reſupina voluptate auditoria probent, nullam eſſe exiſtimabo, quæ ne minimum quidem in ſe indicium maſculini et incorrupti, ne dicam gravis et ſancti viri,
21 oſtendet. An[b] vero ſtatuarum artifices, pictoreſque clariſſimi, cum corpora quam ſpecioſiſſima[c] fingendo pingendove efficere[d] cuperent, numquam[e] in hunc inciderunt[f] errorem, ut *Bagoam* aut *Megabyzum aliquem* in exemplum

[s] proprie G. [t] intueri Jenſ. [u] effeminatum *id.* [x] ferent G. [z] hac G. [a] dicamus Jenſ. [b] At *id.* [c] ſpecioſiſſime *id.* [d] effingere *id.* [e] umquam G. tamen *inf.* Jenſ. [f] inciderent G.

et auctoritatibus jam in Fabriano Theſauro, Lipſio Salmaſioque ducibus, oſtenſum eſt. Et tamen cœcutiit Harduinus in Plinii loco, qui vel unus in viam revocare debebat olim errantes. De locuſta marina agit ſive carabo 9, 30. ſ. 50. eique tribuit cornua, *quæ ſunt propria rotunditate præpilata*, ut cochlearum ſcilicet vulgarium. Quid ad hæc Harduinus? interpretatur *Pilorum inſtar, ſive haſtilium in mucronem acuta.*

21. *Bagoam aut Megabyzum*] De *Bagoa* res nota vel ex Curtio, nobiliſſimos Perſicorum Eunuchos hoc nomine fuiſſe. Unde in ſuſpicionem venit eruditis, v. g. Freinſhemio in Ind. ipſum forte nomen ſignificare caſtratum. Firmat eam loco Plinii, qui 13, 4. ſ. 9. de genere palmarum, *Babylone*, inquit, *natæ uno in horto Bagoï, ita enim vocant ſpadones, qui apud eos etiam regnavere.* Quid Burtono ac Relando ea de re videatur, beneficio Cl. Seelenii cognoſci ſimul poteſt in illius λειψάνοις linguæ vet. Perſ. h. v. pag. 22. De *Megabyzo* diſerte Strabo 14. p. 950. a. in Epheſi deſcriptione, Ἱερέας δ' εἶχον εὐνούχους ἐξ ἐκάλουν Μεγαλοβύζους. De his aliiſque Megabyzis ſ. Megalobyzis copioſe Burm. ad h. l. Diſtinctius ali-

operis fumerent[g] ſibi, ſed *Doryphoron* illum aptum[h] vel militiæ vel palæſtræ, aliorumque[i] juvenum bellicoſorum et athletarum corpora[l], quæ eſſe decora vere exiſtimarint: nos, qui oratorem ſtudemus effingere, non arma, ſed tympana eloquentiæ demus? Igitur et ille, quem in- 22
ſtituimus, adoleſcens, quam maxime poteſt, componat ſe ad imitationem veritatis: inituruſque frequenter forenſium certaminum pugnam jam in ſchola victoriam ſpectet, et ferire vitalia ac[m] tueri ſciat: et præceptor id maxime exigat, et inventum præcipue probet. Nam, ut ad pejora juvenes laude ducuntur, ita laudari in bonis gaudent[n]. Nunc illud mali eſt, quod neceſſaria plerumque 23
ſilentio tranſeunt, nec in dicendo videtur inter bona utilitas. Sed hæc et in alio nobis tractata ſunt opere, et in hoc ſæpe repetenda. Nunc ad ordinem inceptum revertamur.

XIII. Refutatio dupliciter accipi poteſt. Nam et pars defenſoris tota eſt poſita in refutatione: et quæ dicta ſunt ex diverſo, debent utrimque diſſolvi: et hæc[o] eſt proprie, cui in cauſſis quartus aſſignatur locus. Sed utriuſque ſimilis conditio eſt. Neque vero ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti poteſt, quam in confirmatione: nec locorum aut ſententiarum, aut verborum et figurarum alia eſt conditio. Affectus plerumque hæc pars mitiores habet. Non ſine cauſſa tamen difficilius ſemper 2

[g] aſſumerent Jenſ. [h] *om. id.* [i] aliorum quoque juvenum bellicorum G. Jenſ. *et al. ap. Bur.* [l] corpora exiſtimarint *omiſſis rel.* G. corp. decorare exiſt. Jenſ. *et al. ap. Bur.* [m] aut Jenſ. [n] mallet G. *forte fuit* mallent, *aut potius* malunt. [o] hoc G. Jenſ.

quanto et illuſtrius is, cui Strabonis etiam locum debemus, V. C. Tib. Hemſterhuiſ. ad Lucia. Timon. p. 134. quod opus cum maxime Wetſteniana prela, iſta ſcribentibus nobis, exercebat, fauſtis omnibus in lucem tandem aliquando, nobis etiam ex parte aliqua opitulantibus, exiturum.

21. *Doryphoron illum*] Plurium artificum hoc nomine opera laudat Plinius 34, 8. In primis nobilis eſt Polycleti Jupiter Doryphorus, quem ſibi magiſtrum artis dicebat fuiſſe Lyſippus ap. Cic. Bruto. c. 86. Forte Polycleto debent hoc Dii, quod in nummis prope omnibus ſunt Doryphori h. e. haſtati.

22. *tympana*] Effeminatorum Deæ Phrygiæ ſacerdotum, Bacchantiumque mulierum inſtrumenta. De illis Ovid. Faſt. 4, 183. *Ibunt ſemimares et inania tympana tundent*, et mox ἱερὸν λόγον ritus interpretatur: de his idem Met. 4, 29. in Hymno Baccharum, *Quacunque, O Bacche, ingrederis, clamor juvenilis, et una Femineæ voces, impulſaque tympana palmis.*

23. *in alio opere*] De cauſis corruptæ eloquentiæ, quod, Tacito ab aliis inſcriptum, exſtare putat, et ſub nomine Quinctiliani edidit Heumannus meus. Add. 6. pr. 3.

est creditum (quod Cicero sæpe testatur) *defendere*, quam *accusare*. Primum, quod est res illa simplicior: proponitur enim uno modo, dissolvitur varie: cum accusatori satis sit plerumque, verum esse id, quod objecerit: patronus *neget, defendat, transferat, excusetᵖ, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat:* quare indirecta fere, atque, ut sic dixerim, clamosa[q] est actio: hinc mille fle-
3 xus et artes desiderantur. Tum accusator præmeditata[r] pleraque domo affert: patronus etiam[s] inopinatis frequenter occurrit. Accusator dat testem[t]: patronus ex re[u] ipsa refellit. Accusator[x] criminum invidia, etsi falsa sit, materiam dicendi trahit, *de parricidio, sacrilegio, majestate:* quæ patrono tantum neganda sunt. Ideoque accusationibus etiam mediocres in dicendo sufficerunt: bonus defensor nemo, nisi qui eloquentissimus fuit. Nam, ut, quod sentio, semel siniam, TANTO est accusare, quam defendere, quanto facere, quam sanare, vulnera facilius.
4 Plurimum autem refert, et *quid* protulerit adversarius, et *quo modo*. Primum igitur intuendum est, id, cui respondituri sumus, proprium sit ejus judicii, an ad causam extra

ᵖ accuset G. ᵠ *Forte* dumosa. ʳ præmeditate G. Jens. ˢ et G. ᵗ testes G. ᵘ ex ipso Jens. ˣ *Forte inf.* a.

2. *proponitur uno modo*] Passim de actoris opere utitur hoc verbo Fabius. Vid. supra ad 3, 6, 9.

2. *clamosa est actio*] Accusatoris actionem *clamosam* esse novimus, defensorem magis decet, si quid universim dici debeat, *submissio*, certe munera, quæ hic Fabius commemorat, pleraque *submissam* potius quam *clamosam* orationem videntur postulare. Tum cum *indirecta* oratione commercii nihil aut affinitatis est *clamosæ*: non clamant, non tumultuantur, sed silentio repunt, qui per ambages aut per compendia supervenire, et opprimere hostem volunt. Porro difficile non est clamare, si quis latera habeat, quod imperitissimis sæpe præclare contingit; difficultatem autem defensionis ostendere vult Fabius. Denique ad *clamosam* orationem quid *mille flexus et artes?* Quid igitur? *clamosa* profecto *actio* hic locum non habet. Videamus, an *dumosa* melius conveniat: quæ vix apice uno alteroque minutissimo a *clamosa* differt in scriptura monachorum? Difficile sane impeditumque iter per dumos, ubi si directa semper via pergere velis, nihil agas; sed flectendo, declinando, indirecto itinere, tandem quo velis pervenias. Sed nimis forte verborum de causa vincibili, si vel nudam ponas.

3. *accusationibus mediocres*] Ideo in accusatione aliqua illustri fere tirocinia ponebant adolescentes, qui ad oratoris gloriam adspirarent. Plura exempla habet Cic. de Off. 2, 13 et 14: ac pro Cœlio c. 7. ait, eum *conjurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisse*: et adolescens fuit accusator Cœlii Atratinus, P. Valerius Triarius autem M. Æmilii Scauri, C. Rabirii T. Labienus. Add. Cic. de Orat. 2, 48.

4. *quid—quo modo*] Prius jam exsequitur, alterum deinde s. 25.

arceſſitum. Nam, ſi eſt proprium; aut negandum, aut defendendum, aut transferendum: extra hæc in judiciis fere nihil eſt. *Deprecatio* quidem, quæ eſt ſine ulla [a] ſpe- 5
cie defenſionis, rara admodum, et apud eos ſolos judices, quì nulla certa pronuntiandi forma tenentur: quamquam illæ quoque apud C. Cæſarem et Triumviros pro diverſarum partium hominibus actiones, etiam ſi precibus utuntur, adhibent tamen patrocinia: niſi hoc non [a] fortiſſime defendentis eſt, dicere, *Quid aliud egimus, Tubero, niſi ut, quod hic poteſt, nos poſſemus?* Quod ſi quando apud Prin- 6
cipem, aliumve, cui, utrum velit, liceat, dicemus [b], dicendum erit, dignum quidem morte eum, pro quo loquemur, clementia [c] tamen ſervandum eſſe vel talem: primum omnium non erit res nobis cum adverſario, ſed cum judice; deinde forma deliberativæ magis materiæ, quam judicialis [d] utemur. Suadebimus enim, ut laudem humanitatis potius, quam voluptatem ultionis concupiſcat. A- 7
pud judices quidem, ſecundum legem [e] dicturos ſententiam, de confeſſis præcipere ridiculum eſt. Ergo, quæ neque negari, neque transferri poſſunt, utique defendenda ſunt [f], qualiacumque ſint: aut cauſſa cedendum. Negandi duplicem oſtendimus formam, *aut non eſſe factum; aut non hoc eſſe, quod factum ſit.* Quæ neque defendi, neque transferri poſſunt, utique neganda: nec ſolum, ſi finitio poteſt eſſe pro nobis, ſed etiam ſi nuda infitiatio ſupereſt. *Teſtes* erunt? multa in eos dicere licet: *Chiro-* 8
graphum? de ſimilitudine literarum differendum. Utique nihil erit pejus, quam confeſſio. Ultima eſt *actionis controverſia*, cum defendendi negandive non eſt locus, *tranſlatio* [g]. Atqui quædam ſunt, quæ neque negari, neque 9

[a] illa Jenſ. [a] *om.* Jenſ. *male.* [b] dicemus *om.* G. *et multi, ipſe quoque Bur. Sed habet* Jenſ. *et boni libri plures. Contra* dicendum erit *expungi vult Regius, cui aliqui paruere. Et ſane facilius abeſſe poteſt.* [c] clementi G. *recte puto. Et ita al. ap. Bur.* [d] juridic. G. [e] leges Jenſ. [f] ſint qu. ſunt *id.* [g] i. (*pro* id eſt) relatio G. Jenſ. *et al. ap. Bur.*

5. *Quid aliud egimus*] Ex Ligariana c. 4. pr.

7. *cauſſa cedendum*] Fuit, qui *cadendum* legi debere putaret. Sed *cadit* cauſſa, qui infeliciter eam defendit; *cedit*, qui non defendit.

8. *tranſlatio*] Hoc nomen interpretandi cauſa adſcriptum ab ipſo Fabio, arbitror, qui *actionis controverſiam* vellet ſolenni apud rhetoras appellatione declarare. Illud deinde vel fugientibus literis, vel quacunque de cauſa vel errore, mutatum ut ſupra ſcripſimus. Hoc maneat, *actionis controverſiam* eſſe Quinctiliano *tranſlationem*, de quo apertiſſime conſtabit, ſi quis 3, 6, 68. velit conſiderare, et cum 7, 5.

defendi, neque transferri poſſunt. *Adulterii rea eſt, quæ, quum anno vidua fuiſſet, enixa eſt:* lis non erit. Quare illud ſtultiſſime præcipitur, quod defendi non poſſit, ſilentio diſſimulandum, ſi quidem eſt id, de quo judex pronun-
10 tiaturus eſt. At, ſi extra cauſſam ſit adductum, et tamen[h] conjunctum, malim quidem dicere, nihil id ad quæſtionem, nec eſſe in his morandum, et minus eſſe, quam adverſarius dicit: tamen velut huic ſimulationi oblivionis ignoſcam. Debet enim bonus advocatus pro rei ſalute brevem negligentiæ reprehenſionem non pertimeſcere. Videndum etiam[i], ſimul nobis plura aggredienda ſint, an
11 amolienda ſingula. Plura ſimul invadimus, ſi aut tam infirma ſunt[l], ut pariter impelli poſſint: aut tam moleſta, ut pedem conferre cum ſingulis non expediat: tum enim toto corpore[m] obnitendum[n], et, ut ſic dixerim, directa[o]
12 fronte pugnandum eſt. Interim, ſi reſolvere ex parte diverſa dicta difficilius erit, noſtra argumenta cum adverſariorum argumentis conferemus: ſi modo, hæc ut valentiora videantur, effici poterit. Quæ vero turba valebunt, diducenda erunt: ut, quod paullo ante dixi, *Heres eras, et pauper, et magna pecunia appellabaris a creditoribus, et offenderas*[p], *et mutaturum tabulas teſtamenti ſciebas.* Urgent
13 univerſa. At[q], ſi ſingula quæque diſſolveris, jam illa flamma, quæ magna congerie convaluerat, diductis, quibus alebatur, concidet: UT, ſi vel maxima flumina in rivos diducantur, qualibet tranſitum præbent. Itaque[r] propoſitio quoque ſecundum hanc utilitatem acommodabitur, ut ea nunc ſingula oſtendamus, nunc complectamur
14 univerſa. Nam interim quod pluribus collegit adverſarius, ſatis eſt ſemel proponere: ut, ſi multas cauſſas faciendi, quod arguit, reo dicet[s] accuſator fuiſſe: nos, non enumeratis ſingulis, ſemel hoc intuendum negemus, quia non, quiſquis cauſſam faciendi ſceleris habuit, et fecerit.
15 Sæpius tamen[t] accuſatori congerere argumenta, reo diſ-

[h] tantum G. [i] an *inſ.* Jenſ. [l] *om. id.* [m] corde G. [n] enitendum Jenſ. [o] detecta *id.* [p] eum cujus heres eras *inſ.* G. *gloſſam puto.* [q] ut Jenſ. et G. [r] Ita prop. quæ G. [s] dicit G. [t] autem Jenſ.

ubi *actionis quæſtio* vocatur, componere. Quin verba, quæ hic mox ſequuntur, ſatis hoc declarant, *quæ neque negari, neque defendi*, neque transferri *poſſunt*: item ea, quæ poſuit ſ. 4. *aut negandum, aut defendendum, aut* transferendum.

12. *hæc ut valentiora*] Noſtra nimirum: non opus eſt hic monere, quoties boni ſcriptores *hoc* ad remotius referant. Sic noſter tum alias, tum 6, 1, 9.

ſolvere expediet. Id autem, quod erit ab adverſario dictum, quo modo refutari debeat, intuendum eſt. Nam, ſi erit palam falſum, negare ſatis eſt: ut pro Cluentio Cicero, *eum, quem dixerat accuſator epoto poculo concidiſſe, negat eodem die mortuum.* Palam etiam contraria, et ſuper- 16
vacua, et ſtulta reprehendere, nullius eſt artis: ideoque nec rationes eorum, nec [u] exempla tradere neceſſe eſt. Id quoque (*obſcurum* vocant) quod ſecreto, et ſine teſte, aut argumento dicitur factum, ſatis natura ſua infirmum eſt; ſufficit enim, quod adverſarius non probat: item, ſi ad 17
cauſſam non pertinet. Eſt tamen interim oratoris efficere, ut quid aut contrarium eſſe, aut a cauſſa diverſum, aut incredibile, aut ſupervacuum, aut noſtræ potius cauſſæ videatur eſſe conjunctum. *Objicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxerit*: aſperum crimen: ſed [x] contrarium oſtendit Cicero, quia iidem accuſatores objecerint [z] Oppio, quod is voluerit exercitum largiendo corrumpere. *Teſtes* 18
in Cornelium accuſator lecti a tribuno codicis pollicetur: facit hoc Cicero ſupervacuum, quia idem [a] fateatur ipſe. *Petit accuſationem in Verrem Quintus Cæcilius, quod fuerat quæſtor ejus*: ipſum Cicero ut pro [b] ſe videretur effecit [c]. Ce- 19
tera, quæ proponuntur, communes locos habent. Aut enim *conjectura* excutiuntur, an vera ſint; aut *finitione*, an propria; aut *qualitate*, an inhoneſta, iniqua, improba, inhumana, crudelia, et cetera, quæ ei generi accidunt. Ea- 20
que non modo in propoſitionibus aut rationibus, ſed in toto genere actionis, intuenda, An ſit *crudelis?* ut Labieni in Rabirium lege perduellionis; *Inhumana?* ut Tuberonis Ligarium exſulem accuſantis, atque id agentis, ne ei Cæſar ignoſcat; *Superba?* ut in Oppium ex epiſtola Cottæ reum factum. Proinde [d] *præcipites, inſidioſæ, impotentes* deprehenduntur. Ex quibus tamen fortiſſime inva- 21
ſeris, quod eſt aut omnibus periculoſum, ut dicit Cicero pro Tullio [e], *Quis hoc ſtatuit umquam, aut cui concedi, ſine ſummo omnium periculo, poteſt, ut eum jure potuerit occidere, a quo*

[u] *om.* Jenſ. [x] id *inf.* G. Jenſ. [z] objecerunt *iid.* [a] *om.* G. Jenſ. [b] provideretur G. [c] efficit Jenſ. [d] *Forte* perinde. [e] Rullio, Quis ergo Jenſ.

15. *diſſolvere*] Separatim ad ea reſpondere.

15. *pro Cluentio*] c. 60. *Nego illum adoleſcentem, quem ſtatim epoto poculo mortuum eſſe dixiſtis, omnino illo die eſſe mortuum: magnum et impudens mendacium!*

17. *contrarium*] i. e. contradictorium, ut mox ſ. 17.

18. *lecti a tribuno codicis*] Explicavimus ſupra 4, 4, 8. Add. mox ſ. 26. et infra 10, 5, 13.

metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur? aut ipsis judicibus, ut pro Oppio monet pluribus, *ne illud actionis genus*
22 *in equestrem ordinem admittant.* Nonnumquam tamen quædam bene contemnuntur, vel tamquam levia, vel tamquam ad causam nihil pertinentia. Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc simulatio interim hucusque procedit, ut, quæ dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus.
23 Quoniam vero maxima pars eorum similibus constat, rimandum erit diligentissime, quid sit in quoque, quod assumitur, dissimile. Id [f] *in jure* facile deprehenditur. Est enim scriptum de rebus utique diversis, tantoque magis ipsarum rerum differentia potest esse manifesta. Illas vero *similitudines*, quæ ducuntur ex mutis animalibus, aut
24 inanimis, facile est eludere. *Exempla* rerum varie tractanda sunt, si nocebunt: quæ si vetera [g] erunt, fabulosa

[f] om. Jens. [g] vera Jens. *et putat Regius* vetera *esse a Correctoribus.*

22. *quædam bene contemnuntur*] Cic. pro Rosc. Amer. c. 29. *Quæ mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur; ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui causam dicit, pertinebant. De quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare.*

23. *maxima pars eorum*] Ea, quæ ab adversario dicuntur, maximam partem constant similibus: non his modo, quæ proprie ita dicuntur, atque exemplis, ut video accipere quosdam: sed quatenus omnis juris ad factum, definiendi ad definitionem, assumtionis denique omnis ad propositionem, applicatio similitudine quadam et convenientia constat; qua similitudine et convenientia refutata, omnis quoque argumentorum vis perit. Hoc ita se habere inde cogitur, quod *maximam partem* iis constare docet Fabius, ac ipse deinde non *similitudines* modo proprie dictas, et *exempla*, sed ante hæc *jus* et *scriptum*; post, *judicata* etiam commemorat.

23. *facile est eludere*] Hoc vel Populiæ M. F. dicto constat: *quæ miranti cuidam, quid esset, quapropter aliæ bestiæ nunquam marem desiderarent, nisi cum prægnantes vellent fieri? respondit, Bestiæ enim sunt!* apud Macrob. 2, 5. extr. Itemque Reginæ viduæ, quam tuturis viduatæ exemplo vel laudare aliquis vel admonere cum vellet, ab ea audivit, *Quin tu patferes mihi narras!*

24. *quæ si vetera erunt*] Pendet animus inter duas lectiones, alteram a Regio propositam, quæ sola transpositione, blandissimo utique remedio, constat, (*vera* enim fuisse in libris jam indicatum supra est) et ita habet, *Quæ si dubia erunt, fabulosa dicere licebit; sin vera, maxime quidem dissimilia.* Altera hæc est, proxime ad probatam Obrechto Burmannoque accedens, nec ipsa destituta auctoritate, *Quæ si vetera erunt, fabulosa dicere licebit*; (ob id ipsum nempe, quod sunt vetera) *si indubia*, (vel quod recentis memoriæ, vel quod gravibus ex antiquitate testibus nituntur) *maxime quidem dissimilia.* Et nunc magis fere hoc placet: credo, quia posteriore loco posui: receptæ profecto lectioni anteponendum ita mihi videtur, ut ea quæ satis certa esse judico.

dicere licebit; sive [h] dubia, maxime quidem dissimilia. Neque enim fieri potest, ut paria sint omnia: ut, si Nasica post occisum Gracchum defendatur exemplo Ahalæ [i], a quo Melius [k] est interfectus; *Melium regni affectatorem fuisse; a Graccho leges modo latas esse populares: Ahalam magistrum equitum fuisse; Nasicam privatum esse*, dicatur. Si defecerint 25
omnia, tum videndum erit, an obtineri possit, ne illud quidem recte factum. Quod de exemplis, idem etiam *de judicatis* observandum. Quod autem posui, referre, *quo* quidque *modo* accusator dixerit, huc pertinet, ut, si est minus efficaciter elocutus [l], ipsa ejus verba ponantur; si acri et vehementi fuerit usus oratione, eamdem rem nostris verbis mitioribus proferamus: ut Cicero pro Cornelio, *Codicem attigit:* 26
et protinus cum quadam defensione: ut, si pro *luxurioso* dicendum sit, *Objecta est paullo liberalior vita.* Sic et pro *sordido parcum*, pro *maledico liberum* dicere licebit. Uti- 27
que numquam committendum est, ut adversariorum dicta cum sua confirmatione referamus, aut etiam loci [m] alicujus exsecutione adjuvemus, nisi cum eludenda [n]: *Apud exercitum mihi fueris, inquit; tot annis* [o] *forum non attigeris; abfueris tam diu; et, cum tam longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitarunt,* [p] *dignitate contendas?* Præ- 28
terea in [q] contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro contra Bostarem [r] facit, velut orationem diversæ partis imitatus: aut pluribus propositionibus junctis, ut pro Vareno, *Cum iter per agros et loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt, deinde Populenum occisum esse, illico Varenum vinctum adservatum* [s], *dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet.* Quod est utique faciendum [t], si erit incredibilis rei ordo, et [u] ipsa expositione fidem perditurus. Interim 29
per partes dissolvitur, quod contextu [x] nocet: et plerumque id est tutius. Quædam contradictiones natura sunt

[h] sin dubia *quidam MSS. et edd. ap. Burm.* si indubia *al. ap. eundem.* [i] Naalæ G. alæ Jens. [k] M. Ælius G. [l] locutus Jens. [m] joci *id.* [n] eluenda G. [o] annos G. [p] de *inf.* G. Jens. [q] de G. [r] Bostarem G. Jens. [s] observasset Jens. [t] *om.* G. Jens. [u] ex G. [x] contextum G.

25. *Quod autem posui*] Supra s. 4.

25. *verbis mitioribus*] Hæc est illa *derivatio verborum*, ille ὑποκορισμός, de quo ad 3, 7, 25.

26. *Codicem attigit*] Vid. supra s. 18.

27. *Apud exercitum*] Servius dixerat, indignum esse, Murænam, qui absens fuisset, sibi in Consulatu mandando præferri, qui Roma non discesserit. Hoc crimen augendo et exsequendo eludit Cicero c. 9.

singulæ: id exemplis non eget. *Communia* bene apprehenduntur, non tantum, quia utriusque sunt partis, sed, quia plus prosunt respondenti. Neque enim pigebit, quod sæpe monui, referre. COMMUNE qui prior dicit,
30 contrarium facit [z]. Est enim contrarium, quo adversarius bene uti potest. *At enim non veri simile est tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc veri simile est tantum scelus Oppium esse conatum?* Artificis autem est, invenire in actione adversarii, quæ inter semet ipsa pugnent, aut pugnare videantur: quæ aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt: ut in caussa Cæliana: *Clodia aurum se Cælio commodasse dicit, quod signum magnæ familiaritatis est; venenum sibi paratum, quod summi odii argumentum est.*
31 Tubero Ligarium accusat, *quod is in Africa fuerit; et quæritur, quod ab eo ipse in Africam non sit admissus.* Aliquando vero præbet ejus rei occasionem minus considerata ex adverso dicentis oratio: quod accidit præcipue cupidis [a] sententiarum, ut ducti occasione dicendi non respiciant, quid dixerint, dum locum præsentem, non totam caussam
32 intuentur. Quid tam videri potest contra Cluentium, quam censoria nota? Quid tam contra eumdem, quam filium ab Egnatio corrupti judicii, quo Cluentius Oppia-
33 nicum circumvenisset, crimine exheredatum? At hæc Cicero pugnare invicem ostendit. *Sed tu, Acci* [b], *consideres, censeo, diligenter, utrum censorium judicium grave velis esse, an Egnatii. Si Egnatii: leve est, quod censores de ceteris subscripserunt. Ipsum enim Egnatium, quem tu gravem esse*

[z] facit—contr. *om.* Jens. [a] cupiditas Jens. *Forte* cupiditate. [b] Atti G. Jens.

29. *quod sæpe monui, referre*] Quod sæpe præcepi his, qui me audirent, et, quoties aliquis eorum in ea re peccasset, monui, hoc etiam huc in literas referre non gravabor. Nam in ipso hoc opere sæpe certe non monuit. Dixit tamen aliquid de procœmio communi 4, 2, 71.

30. *quæ inter semet ipsa pugnent*] Exemplis Ciceronianis pro Cælio c. 21. 23. et pro Ligario c. 3. addi potest indicatus a Pareo locus Apulei, apol. p. 136. sq. ed. Scip. Gent. *Nonne vos puditum est frivola et inter se repugnantia simul promere, et utraque tamen reprehendere? Annon contraria accusatis? peram et baculum ob auctoritatem: carmina et speculum, ob hilaritatem: unum servum, ut deparci, tres libertos, ut profusi.* Sed obiter illud monendum, sapientem judicem hic facile sibi fucum fieri non passurum, cum contrariis vitiis homines indulgere per vices, quin eodem tempore, soleant, cum inconstantes esse, cum diversis consiliis pro parvi temporis diversitate uti, e. i. g. a.

33. *Cicero—ostendit*] Locus est totus legendus c. 48.

vis, ex [c] *ſenatu ejecerunt. Sin autem cenſorium, hunc ipſum Egnatium, quem pater cenſoria ſubſcriptione* [d] *exheredavit, cenſores in ſenatu, cum patrem ejicerent* [e]*, retinuerunt.* Illa 34
magis vitioſe dicuntur, quam acute reprehenduntur, *argumentum dubium* pro neceſſario, *controverſum* pro confeſſo, *commune* [f] pro proprio, *vulgare, ſupervacuum* [g]*, conſtitutum contra fidem.* Nam et illa accidunt parum cautis, ut crimen augeant, quod probandum eſt; de facto diſputent, cum de auctore quæratur; impoſſibilia aggrediantur; pro effectis relinquant vix dum inchoata; de homine dicere, quam de cauſſa malint; hominum vitia [h] rebus 35
affignent, ut, *ſi quis decemviratum accuſet, non Appium*; manifeſtis repugnent [i]; dicant, quod aliter accipi poſſit; ſummam quæſtionis non intueantur; non ad propoſita reſpondeant: quod unum aliquando recipi poteſt, cum mala cauſſa adhibitis extrinſecus remediis tuenda eſt, ut, *cum peculatus reus Verres, fortiter et induſtrie tuitus* [k] *contra piratas Siciliam dicitur.* Eadem adverſus contradictiones no- 36
bis oppoſitas præcepta ſunt: hoc tamen amplius, quod circa eas multi duobus vitiis diverſis laborant. Nam quidam etiam in foro tamquam rem moleſtam et odioſam prætereunt: et [m] iis plerumque, quæ compoſita domo attulerunt, contenti, ſine adverſario dicunt: et ſcilicet [n] multo magis in ſcholis, in quibus non ſolum contradictiones omittuntur, verum etiam materiæ ipſæ ſic plerumque finguntur, ut nihil dici pro parte altera poſſit. Alii dili- 37

[c] de G. [d] ſuppræſcriptione Jenſ. [e] ejeciſſent G. rejeciſſent Jenſ.
[f] pluribus *inſ.* G. pro pluribus *inſ.* Jenſ. [g] ſervis *inſ.* G. Jenſ. *quod a ſerius aliorum ap. Burm. non diſtat.* [h] vitam *iid.* [i] pugnant, dicent Jenſ.
[k] tutatus G. [m] Etenim G. Jenſ. [n] ſi licet Jenſ.

33. *cenſoria ſubſcriptione*] Eſt, credo, luſus in hac formula. *Subſcribere* dicuntur cenſores, cum in tabulis ſub nomine civis, quem notarunt, cauſſam notæ vel animadverſionis ſuæ ſubſcribunt; unde circa hunc ipſum locum *ſubſcriptionem* ſæpe pro ipſa nota ponit Tullius. Egnatius, ſenex delirus, levis, et parum ſibi conſtans, notatus ipſe a cenſoribus, cenſuram in filium ſuum exercet, et exheredationi cauſſam *ſubſcribit* &c.

34. *commune pro proprio*] Non contemnendum videtur illud *pluribus*: efficit certe adpoſitum, ne *commune* eo intellectu ſumatur, quo ante paullo ſ. 29.

34. *ſupervacuum*] *Serius* illud, quod libri quidam hic ſubjungunt, gloſſa forte eſt, exemplum certe, *ſupervacui*. Quæ enim *ſero*, cum tempus et opportunitas præteriit, fiunt, dicuntur, illa ſupervacua: nota puellæ fabula, quæ, ut vis videri poſſet, quod ab amatore ante aliquot dies paſſa fuerat, *Quid ſi*, inquit, *jam clamores tollam?*

35. *tuitus Siciliam*] Hortenſii argumentum, quod divine repellit libri quinti principio Tullius.

gentia lapsi, verbis etiam vel sententiolis omnibus respondendum putant, quod est et infinitum, et supervacuum[o]: non enim caussa reprehenditur, sed actor: quem ego semper videri malim sic disertum, ut, si dixerit, quod rei profit[p], ingenii credatur laus esse, non caussæ: si[q] forte
38 quod[r] lædat, caussæ, non ingenii culpa. Itaque illæ reprehensiones, aut obscuritatis, qualis *in Rullum* est[s]; aut infantiæ in dicendo, qualis *in Pisonem*; aut[t] inscitiæ rerum verborumque, et insulsitatis etiam, qualis *in Antonium* est, accommodantur[u] justis odiis: suntque utiles ad conciliandum iis, quos invisos facere volueris, odium.
39 Alia respondendi patronis ratio: et aliquando tamen eorum non *oratio* modo, sed *vita* etiam, *vultus* denique, *incessus*, *habitus* recte incusari solet: ut adversus Quintium Cicero, non hæc solum, *sed ipsam etiam prætextam demissam ad talos*, insectatus[x] est. Presserat enim turbulentis
40 concionibus Cluentium Quintius. Nonnumquam elevandæ invidiæ gratia, quæ asperius dicta sunt, eluduntur: ut a Cicerone Triarius. Nam[z], cum Scauri columnas per urbem plaustris[a] vectas esse dixit, *Ego porro*, inquit, *qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.* Et magis hoc in accusatores concessum est, quibus conviciari ali-

[o] superiora Jens. *male.* [p] profuerit G. Jens. [q] quando *inf.* Jens. [r] non G. Jens. [s] fuit, inf. Jens. [t] *om.* G. *id.* [u] ut *inf. id.* [x] sectatus G. [z] *om.* G. [a] paluſtris Jens.

37. *ego semper videri malim*] Hoc vult: Si mihi causa tuenda sit, malim actorem, qui contra me dicat, judicibus sic videri disertum, ut, quæ juvant ipsius causam, ab ingenio ipsius; quæ lædunt, ab ipsa causa profecta arbitrentur. Sic enim vehementer malam putabunt causam, quæ ne isto quidem ingenio ornari possit. Ita contra ea pro Patrono est, non ipsum ingeniosum judicibus, sed causam ipsius bonam videri. Sæpius hoc inculcat Fabius, ne auram et ventum laudis dum captant adolescentes, causam prodant.

38. *in Rullum*] 2, 5. Nimirum causæ intererat, Rullum hominem stolidum ac vanum videri. Nimis lepida sunt verba, quam ut prætermitti possint: *Explicat orationem sane longam, et verbis valde bonis. Unum erat, quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset, quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum caussa fecerit, an hoc genere eloquentiæ delectetur, nescio. Tamen, si qui acutiores in concione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere, suspicabantur.* Pisoni c. 1. *tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguæ* objicit. In Philippica altera multa passim in stuporem Antonii circa artem rhetoricam, præsertim c. 17.

39. *adv. Quintium*] Tribunum plebis c. 40. *Facite, ut non solum mores ejus, et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.*

quando patrocinii fides cogit. Illa vero adverſus omnes 41
et recepta, et non inhumana [b] conqueſtio, ſi callide quid
tacuiſſe [c], breviaſſe, obſcuraſſe, diſtuliſſe dicuntur. De-
fenſionis quoque permutatio reprehenditur ſæpe, ut [d] At-
tius adverſus Cluentium, Æſchines adverſus Cteſiphon-
tem facit: cum ille Ciceronem lege uſurum modo, hic
minime de lege dicturum Demoſthenem queritur. De- 42
clamatores vero in primis ſunt admonendi, ne contradic-
tiones eas ponant, quibus facillime reſponderi poſſit; neu
ſibi ſtultum adverſarium fingant. Facimus autem, quod
maxime uberes loci, populareſque ſententiæ naſcuntur,
materiam dicendi nobis, quo [e] volumus, ducentibus: ut
non ſit inutilis ille verſus,

Non male reſpondit, male enim prior ille rogarat.

Fallet hæc nos in foro conſuetudo, ubi adverſario, non ipſi 43
nobis reſpondebimus. Aiunt Accium [f] interrogatum, cur
cauſſas non ageret, cum apud eum in tragœdiis tanta vis
eſſet optime reſpondendi [g], hanc reddidiſſe rationem, *quod*
illic ea dicerentur, quæ ipſe vellet, in foro dicturi adverſarii
eſſent, quæ minime vellet. Ridiculum eſt ergo in exercita- 44
tionibus, quæ foro præparantur, prius cogitare, quid re-
ſponderi, quam quid ex diverſo dici poſſit. Et bonus
præceptor non minus laudare diſcipulum debet, ſi quid
pro diverſa, quam ſi quid pro ſua parte acriter excogita-
vit [h]. Rurſus aliquid in ſcholis permittendum ſemper, 45
in foro raro. Nam loco a petitore primo contradictione
uti quî poſſumus, ubi vera res agitur, cum adverſarius ad-
huc nihil dixerit? Incidunt tamen plerique in hoc vitium 46
vel conſuetudine declamatoria, vel etiam cupiditate di-
cendi: dantque de ſe reſpondentibus venuſtiſſimos luſus,
cum modo, *ſe vero nihil dixiſſe, neque tam ſtulte dicturos*;
modo, *bene admonitos ab adverſario, et agere gratias, quod*
adjuti ſint, jocantur; frequentiſſime vero, id quod firmiſ-
ſimum eſt, *numquam iis reſponſurum adverſarium fuiſſe, quæ*
propoſita non eſſent, niſi illa ſciret vera eſſe, et ad fatendum
conſcientia eſſet impulſus: ut pro Cluentio Cicero, *Nam hoc* 47

[b] humana *id.* [c] acuiſſe Jenſ. accuiſſe G. [d] ſicut Appius Jenſ.
[e] quod G. [f] Attium G. [g] *om.* Jenſ. *Sic nimirum*, tanta vis eſſet? op-
time reddidiſſe *&c.* [h] *Sic* G. excogitarit *al.*

41. *Attius adv. Cluentium*] Locum ipſum ex c. 52. mox ſ. 47. proferet Fabius. Æſchinis querela eſt in ipſo procemio.

47. *pro Cluentio*] c. 52. ut modo dictum.

perſæpe dixiſti[l], *tibi ſic renuntiari, me habere in animo cauſſam hanc præſidio legis defendere: itane eſt? ab amicis imprudentes videlicet prodimur? et eſt neſcio quis de iis, quos amicos nobis arbitramur, qui noſtra conſilia ad adverſarium deferat? Quiſnam hoc tibi renuntiavit? quis tam improbus fuit? cui ego autem narravi? Nemo (ut opinor) in*
48 *culpa eſt: nimirum tibi iſtud lex ipſa renuntiavit.* At quidam, contradictione non contenti, totos etiam locos explicant, *Scire ſe hoc dicturos adverſarios, et ita perſecuturos.* Quod factum venuſte noſtris temporibus elusit Vibius Criſpus, vir ingenii jucundi et elegantis, *Ego vero*, inquit,
49 *iſta non dico: quid enim attinet illa bis dici?* Nonnumquam tamen aliquid ſimile contradictioni poni poteſt, ſi quid ab adverſario teſtationibus comprehenſum in advocationibus jactatum ſit[l]; reſpondebimus enim rei ab illis dictæ, non a nobis excogitatæ: aut, ſi id genus erit cauſſæ, ut proponere poſſimus certa, extra quæ dici nihil poſſit: ut, cum res furtiva in domo deprehenſa ſit, dicat neceſſe eſt reus, aut *ſe*[m] *ignorante illatam*, aut *depoſitam apud ſe*, aut *donatam ſibi*: quibus omnibus, etiam ſi propoſita non ſint,
50 reſponderi poteſt. At in ſcholis recte et[n] contradictionibus occurremus, ut in utrumque locum, id eſt primum et ſecundum, ſimul exerceamur. Quod niſi fecerimus, numquam utemur contradictione: non enim erit, cui reſpon-
51 deamus. Eſt et illud vitium, nimium ſoliciti, et circa omnia momenta luctantis. Suſpectam enim facit judici cauſſam, et frequenter, quæ ſtatim dicta omnem[o] dubitationem ſuſtuliſſent, dilata ipſis præparationibus fidem perdunt, quia patronus et aliis crediderit opus fuiſſe. Fidu-

[l] dixi Jenſ. dixit G. [l] *om.* G. Jenſ. [m] ſi G. [n] plenaribus *inf.* G. Jenſ. *et al, ap. Burm.* V. N. [o] communem G.

49. *teſtationibus—jactatum*] *Teſtationes* eſſe abſentium teſtium conſignata teſtimonia jam ſupra 5, 7, 33. indicatum eſt. Has igitur teſtationes jam in manu habet litigator, de his jactari poteſt inter ejus advocatos ante ipſam cauſæ dictionem, et ſic pervenire ejus notitia ad adverſarium.

50. *recte et contradictionibus*] In voce *plenaribus*, quam hic inſeri monuimus, latet aliquid, quod deeſſe hic ſentio; quomodo elocutus ſit Fabius, dicere non facile eſt. Hoc vult, in ſchola contradictionibus fictis quoque occurrendum eſſe, ut ita exercitati, etiam cum deinde in foro ſecundo loco dicendum ac reſpondendum eſt, non deprehendantur. *Velitaribus* in ſcriptura veteri totidem lineis conſtat, quot *plenaribus*: illud tam commodum eſſet huic loco, quam hoc abſonum eſt. Hariolari certe fraudi nobis non fuerit.

ciam igitur orator præ se ferat, semperque ita dicat, tamquam de caussa optime sentiat. Quod (sicut omnia) in 52
Cicerone præcipuum est. Nam illa summa cura securitatis est similis, tantaque in oratione auctoritas, ut probationis locum obtineat, dubitare nobis non audentibus. Porro, qui scierit, quid pars adversa, quid nostra habeat valentissimum, facile judicabit, quibus maxime rebus vel occurrendum sit, vel instandum. Ordo quidem in parte 53
nulla minus affert laboris. Nam, si agimus, nostra confirmanda sunt primum: tum, quæ nostris opponuntur, refutanda. Si respondemus, prius incipiendum est a refutatione. Nascuntur autem ex his, quæ contradictioni op- 54
posuimus, aliæ contradictiones, euntque interim longius: UT gladiatorum manus, quæ secundæ vocantur, fiunt et tertiæ, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat[p]: et quartæ, si geminata captatio est, ut bis[q] cavere, bis repetere oportuerit. Quæ ratio et ultra ducit. Sed 55
illam[r] etiam, quam supra ostendi, simplicem ex affectibus atque ex affirmatione sola probationem recipit refutatio; qualis est illa Scauri, de qua supra dixi: quin nescio, an etiam frequentior, ubi quid negatur. Videndum præcipue utrique parti, ubi sit rei summa. Nam fere accidit, 56
ut in caussis multa dicantur, de paucis judicetur. In his probandi refutandique ratio est, sed adjuvanda viribus di-

[p] erit Jens. [q] etiam *inf.* G. Jens. [r] *Sic Ald. Steph. et al. ap. Bur.* *ipse et rel.* illa.

54. *gladiatorum manus*] Ictus certi generis, aut motus minimum hic et 9, 1, 20. hac appellatione notari, apertum est, et firmavit hanc notionem Lipsius Sat. 2, 20. jam Burmanno hic laudatus, qui et ipse aliquot loca de divite penu sua attulit. Sed nondum tamen hic locus satis omnibus forte perspicuus est. Tentabimus illum hypothesi quadam reddere planiorem. Ponimus igitur *primam manum* in ludo gladiatorio dictam esse, qua gladiator cavet ictum adversarii atque depellit; *secundam*, qua adversarium ipse petit: quia prius est, humanius, justius, tueri corpus suum; alterum, alienum ferire. Jam, quæ alioquin *secunda manus* erat, fiet *tertia* numero, respectu ejus, qui prior vibratione quadam armorum, quæ ita *prima* fuit *manus*, ictum adversarii evocavit, quem deinde *secunda manu* depulit: sed eadem fiet *quarta* ordine, si evitato *tertia manu* ictu adversarii secundo, jam repetendi illius opportunitas est: ita potest *quinta* fieri, et *sexta*, et deinceps. Eadem ratione succedere sibi objectiones et responsiones, uno verbo *contradictiones* possunt: *replicationem, duplicationem, triplicationem*, et sic deinceps, possis vocare ex disciplina ICtorum, v. g. Ulpiani l. 2. π. de exceptionibus.

55. *supra ostendi*] 5, 12, 12. De Scauri autem refutatione ibid. 5, 10.

centis, et adornanda. Quamlibet enim sint ad docendum [s], quod volumus, accommodata, tamen erunt infir-
57 ma, nisi majore quodam oratoris spiritu impleantur. Quare et illi communes loci *de testibus, de tabulis, de argumentis*, aliisque similibus, magnam vim animis judicum afferunt; et hi proprii, quibus factum quodque laudamus, aut contra, *justum* vel *injustum* docemus, *majus* aut *minus*, *asperius* aut *mitius*. Ex his autem alii ad comparationem [t] singulorum argumentorum faciunt, alii ad plurium, alii
58 ad totius causæ inclinationem. Ex quibus sunt, qui [u] præparent animum judicis; sunt, qui [u] confirment. Sed præparatio quoque aut confirmatio aliquando totius causæ est, aliquando [v] partium, et perinde [x], ut cuique conve-
59 niunt, subjicienda. Ideoque miror [y] inter duos diversarum sectarum velut duces non mediocri contentione quæsitum, *Singulisne quæstionibus subjiciendi essent loci?* ut Theodoro placet: *An prius docendus judex, quam movendus?* ut præcipit Apollodorus: tamquam perierit hæc ratio media, et nihil cum ipsius causæ utilitate sit deliberandum. Hæc præcipiunt, qui ipsi non dicunt in foro: ut ACIES [z], a securis otiosisque compositæ, ipsa pugnæ
60 necessitate turbentur. Namque omnes fere, qui legem dicendi, QUASI quædam mysteria, tradiderunt, certis non inveniendorum modo argumentorum locis, sed concludendorum quoque nos præceptis alligaverunt: de quibus brevissime prælocutus [a], quid ipse sentiam, id est, quid clarissimos [b] oratores fecisse videam, non tacebo.

XIV. Igitur *enthymema* et *argumentum* ipsum, id est rem, quæ probationi alterius adhibetur, appellant, et argumenti elocutionem. Eam vero [c] dixi duplicem: *ex*

[s] *Sic emendavit Regius.* dicendum *al.* [t] probationem Jens. [u] quæ *id.* [v] aliqui G. [x] proinde G. Jens. [y] minor Jens. [z] artes G. Jens. *et plures ap. Bur. et intelliguntur sane* Artes rhetoricæ. *Sed hic metaphora utitur Fabius.* [a] prolocutus G. [b] præclarissimos G. Jens. [c] ut *inf.* G. Jens.

56. *oratoris spiritu impleantur*] Inest cum nave comparatio: quam non iatis est esse habilem et bene ædificatam; spiritu vela implente opus est, ut procedat &c.

59. *tamquam perierit hæc*] Videtur imitatus illud Aristoteleum, quod retulimus ad 4, 2, 32.

60. *Quasi quædam mysteria*] Adfert hic de hoc usu vocis quædam Burmannus, in primis Cic. de Orat. 1, 47. *Explicet nobis, et illa dicendi mysteria enuntiet.* Add. deinde 5, 14, 27.

XIV, 1. *dixi*] Supra 5, 10. pr. Illud pro Ligario est c. 6. pro Milone autem posterius c. 16, et prius c. 29.

conſequentibus, quod habet propoſitionem, conjunctamque ei protinus probationem: quale pro Ligario, *Cauſſa tum*[d] *dubia, quod erat aliquid in*[e] *utraque parte, quod probari poſſet: nunc*[f] *melior ea certe judicanda eſt, quam etiam*[g] *Dii adjuverunt:* habet enim propoſitionem[h] probationemque[i], non habet concluſionem: ita eſt ille imperfectus ſyllogiſmus. *Ex pugnantibus* vero, quod etiam ſolum *enthymema* 2 quidam vocant, fortior multo probatio eſt. Tale eſt Ciceronis pro Milone, *Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis.* Quod quidem 3 etiam aliquando multiplicari ſolet, ut eſt ab eodem, et pro eodem reo, factum, *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem*[k] *impune, non eſt auſus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitavit occidere?* Optimum autem videtur enthymematis 4 genus, cum propoſito diſſimili vel contrario ratio ſubjungitur: quale eſt Demoſthenis, *Non enim, ſi quid unquam contra leges factum eſt, idque tu es imitatus, idcirco te convenit pœna liberari: quin*[l] *e contrario damnari multo magis. Nam ut, ſi quis eorum damnatus eſſet, tu hæc non ſcripſiſſes: ita, damnatus tu ſi fueris, non ſcribet alius.* *Epicherematos* 5 et quatuor et quinque et ſex etiam factæ ſunt partes a quibuſdam; Cicero maxime quinque defendit, ut ſit *propoſitio*, deinde *ratio* ejus, tum *aſſumtio*, et ejus *probatio*, quinta *complexio:* quia vero[m] interim et propoſitio non egeat rationis, et aſſumtio probationis, nonnumquam etiam complexione opus non ſit, et quadripartitam, et tripartitam, et[n] bipartitam quoque fieri poſſe ratiocinationem. Mihi, et plurimis nihilo minus auctoribus, tres 6 ſummum[o] videntur. Nam ita ſe habet natura, ut ſit, de quo quæratur, et per quod probetur: tertium adjici poteſt velut ex conſenſu duorum antecedentium. Ita erit

[d] tamen *iid.* [e] pro G. [f] etiam *inſ.* G. [g] *om.* G. Jenſ. [h] rationem *iid.* [i] propoſitionemque G. [k] quem impune *om.* G. Jenſ. [l] ſed *iid.* [m] *om.* G. [n] et bip. *om.* G. [o] ſolummodo G.

4. *Demoſthenis*] Adv. Androtionem non procul ab initio p. m. 419. B. Οὐ γὰρ, εἴ τι πάποτε μὴ κατὰ τὰς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτ' ἐμιμήσω· διὰ τοῦτ' ἀποφύγοις ἂν δικαίως, ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον ἀλίσκοιο· ὥσπερ γάρ, εἴ τις ἐκείνων πρόθλοι, σὺ ταῦ' ὐκ ἂν ἔγραψας· ὥστε, ἂν σὺ νῦν δίκην δῷς, ἄλλος οὐ γράψει. Simile de eadem re enthymema Cic. Verr. 3, 89. *Si is, qui erit adductus in judicium*, &c.

5. *Cicero quinque*] Rhet. 1, 35. ſqq. Quanquam non utitur hic epicheiremato nomine, ſed *ratiocinationem* vocat.

prima *intentio*, ſecunda *aſſumtio*, tertia *connexio*. Nam confirmatio primæ, ac ſecundæ partis exornatio, eiſdem
7 cedere poſſunt, quibus ſubjiciuntur. Sumamus autem ex Cicerone quinque partium exemplum. *Melius gubernantur ea, quæ conſilio reguntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur.* Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis, et quam copioſiſſimis verbis approbari putant oportere. Hoc ego totum cum [p] ſua ratione unum puto: alioqui ſi ratio pars eſt, eſt autem varia ra-
8 tio, plures partes eſſe dicantur. Aſſumtionem deinde ponit, *Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, adminiſtratur.* Hujus aſſumtionis quarto in loco jam porro inducunt probationem, de quo idem [q], quod ſupra, di-
9 co. Quinto inducunt loco complexionem, quæ aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo, *Conſilio igitur mundus adminiſtratur:* aut, unum in locum cum conduxerit breviter propoſitionem [r] et aſſumtionem, adjungit, quid [s] ex his conficiatur, ad hunc modum, *Quod ſi melius geruntur, quæ conſilio, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur; nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, adminiſtratur* [t]*: conſilio igitur mundus admi-*
10 *niſtratur.* Cui parti conſentio. In tribus autem, quas fecimus, partibus non eſt forma ſemper eadem, ſed una, in qua idem concluditur, quod intenditur. *Anima immor-*

[p] in G. Jenſ. [q] id G. [r] expoſ. G. Jenſ. [s] quod G. [t] regitur G.

6. *erit prima intentio*] Non ſatis commode eam, quæ *propoſitio* eſt Ciceroni, *intentionem* vocat. Eſt enim *intentio* probanda propoſitio, eſt materialiter (in dialecticis enim ſpinis verſamur) eadem quæ concluſio ſive complexio. Facit hoc admiſſum, ut deinde etiam ſ. 10—13. parum exquiſite rationes ſubducat.

10. *idem concluditur, quod intenditur*] Hic apparet, quod modo de vitioſa appellatione *intentionis* dictum eſt. Si tres ſunt partes epichirematis, quas conſtituit ſ. 6: ſi porro hic idem concluditur, quod intenditur, *aſſumtio* erit totum hoc, *Nam, quidquid ex ſe ipſo movetur, immortale eſt: anima autem ex ſe ipſa movetur*; quod ſane nemo dixerit. Commodius ergo ſupra ſ. 6. tres partes faceres, Fabi, (vel ſi quis nimium tibi licere in Fabium voluiſti) *propoſitionem, aſſumtionem, complexionem*, et hic diceres, interdum præponi, quod efficere epichiremate velimus, eamque *intentionem* vocari, neque, quantum ad rem, a complexione differre. Ut *rogatio* eſt, dum promulgatur, rogatur; *lex*, cum perrogata et perlata eſt: ſic *intentio*, cum primum profertur, *complexio* cum approbata eſt. Poteſt autem tuto interdum omitti *complexio*, cum *intentio* prolata eſt, et v. v. Poteſt interdum *propoſitio* tanquam nota omnibus atque indubia præteriri, interdum *aſſumtio* &c.

talis eſt. Nam, quidquid ex ſe ipſo movetur, immortale eſt: anima autem ex ſe ipſa movetur, immortalis igitur eſt anima. Hoc ſit non ſolum in ſingulis argumentis, ſed in totis cauſſis, quæ ſunt ſimplices, et in quæſtionibus. Nam et hæ 11
primam habent propoſitionem [u], *Sacrilegium commiſiſti, hominem* [v] *occidiſti. Non, quiſquis hominem occidit, cædis reus tenetur*: deinde rationem. Sed hæc eſt in cauſſis et quæſtionibus longior, quam in ſingulis argumentis: et plerumque ſumma complexione [x], vel per enumerationem, vel per brevem concluſionem teſtantur, quid effecerint. In hoc genere propoſitio dubia eſt, de hac enim quæritur. Altera eſt complexio, non par intentioni, ſed vim habens 12
parem, *Mors nihil ad nos: nam, quod eſt diſſolutum, ſenſu caret: quod autem ſenſu caret, nihil ad nos.* In alio genere non eadem propoſitio eſt, quæ connexio [z]. *Omnia animalia meliora ſunt, quam inanima; nihil autem melius eſt mundo, mundus igitur animal.* [Hic poteſt videri de re contentio] Potuit enim [a] ſic conſtitui ratiocinatio, *Animal eſt mundus, omnia enim animalia meliora ſunt, quam inanima.* Ceterum hæc [b] propoſitio aut confeſſa eſt, ut proxima; 13

[u] expoſ. G. Jenſ. [v] hom. occ. *om. iid.* [x] complexio G. [z] *Vid. not.* [a] *Forte leg.* etiam. [b] *Forte leg.* ceterum et: *vid. not.*

12. *Altera eſt complexio*] Hæc ſectio tota parum digna Fabio, viro alias acutiſſimo. Argumentationes ipſæ bonæ, ſolennes quidem et philoſophis quibuſdam probatæ: ſed, quæ de argumentandi ratione dicit, illa a dialecticis, et rhetoricis adeo rationibus nimis abhorrent. Qua de re in præfatione dicimus, et, quam hoc nihil obeſſe debeat ejus gloriæ, oſtendimus. Neque vero non ſunt hic quædam ab librariis corrupta, de quibus jam dicemus.

12. *Mors nihil ad nos*] In hac ratiocinatione an nihil erraverit Fabius, jam non diſputo: ſed ita partes ejus numerat. Intentio eſt, *Mors nihil ad nos:* aſſumtio, *Quod eſt diſſolutum, ſenſu caret:* etenim diſerte hanc aſſumtionem vocat mox ſ. 13. Complexio non par intentioni, ſed parem vim habens, *quod ſenſu caret, nihil ad nos.* Interim nemo non, qui Ariſtotelice ratiocinari didicit, concluſionem hic deſiderat, ſeu *complexionem connexionemve* malis, hujus ſententiæ, Ergo *mors nihil ad nos.* Notemus hæc propter ea, quæ jam porro obſervanda ſunt.

12. *Hic poteſt—contentio*] Nemo arbitror, dicere poteſt, quid ſibi hæc verba, hoc quidem in loco, velint. Hariolor adnotamentum eſſe ſtudioſi hominis, qui indicavit in margine id, quod modo nota proxima obſervatum eſt; uſus his verbis, *Hic poteſt videri deee complexio* vel *connexio.* Hæc adnotatio in ipſum contextum intempeſtive et loco paullo poſteriore relata; *deeſſe* illud per compendium ſcriptum in *de re* mutatum; quo facto, cum *connexioni* vel *complexioni* locus non jam eſſet, *contentionem* aliquis Criticus ſubſtituit, idemque forte *etiam* poſt *potuit* in *enim* mutavit.

13. *Ceterum hæc propoſitio*] Multo facilior et Quinctilianea magis

aut probanda, ut, *Qui beatam vitam vivere*[c] *volet, philoſophetur, oportet:* non enim conceditur: cetera ſequi, niſi confirmata prima parte, non poſſunt. Eſt[d] et aſſumtio interim confeſſa, ut, *Omnes autem volunt beatam vitam vivere*[c]; interim probanda, ut illa, *Quod eſt diſſolutum, ſenſu caret:* cum, ſoluta corpore anima an ſit immortalis, vel
14 ad tempus certum maneat, ſit in dubio. Quam aſſumtionem alii *rationem* vocant, alii *epicherema*. *Epicherema*[e] autem nullo differt a ſyllogiſmis, niſi quod illi et plures habent ſpecies, et vera colligunt veris: Epicherematis frequentior circa credibilia eſt uſus. Nam, ſi contingeret ſemper controverſa confeſſis probare, vix eſſet in hoc ge-
15 nere uſus oratoris. Nam, quid ingenio eſt opus, ut dicas, *Bona ad me pertinent, ſolus enim*[f] *ſum filius defuncti, vel ſolus heres; cum jure bonorum poſſeſſio teſtati*[g] *ſecundum*
16 *tabulas teſtamenti detur, ad me igitur pertinent.* Sed, cum ipſa ratio in quæſtionem venit, efficiendum eſt certum id, quo[h] probaturi ſumus, quod incertum eſt: ut, ſi ipſa forte intentione dicatur, *Aut filius non es, aut non es legitimus, aut non es ſolus:* itemque[i], *Aut heres non es, aut juſtum teſtamentum non eſt, aut capere non potes, aut habes coheredes:* efficiendum eſt juſtum[k], propter quod bona[l] ad-
17 judicari nobis debeant. Sed tum eſt neceſſaria illa ſumma

[c] videre G. Jenſ. *ex ſacro ſermone monachis familiari.* [d] ut aff. G. Jenſ. *et al.* [e] *om.* G. *i. e. ſemel tantum ponit.* [f] *om.* G. [g] inteſtati G. Jenſ. [h] quod *omnes quod ſciam.* Quo *et* quod *etiam alias confunduntur ſæpiſſime.* [i] itaque G. [k] *Forte leg.* iſtud. [l] nobis adjudicata bona debeantur G.

fuerit oratio, ſi legamus, *Ceterum et propoſitio*; cui reſpondeat deinde, *eſt et aſſumtio:* id quod ſentient, credo, qui Fabianæ orationis uſu quodam et quaſi guſtu imbuti recordantur, illum ſæpius per copulativas particulas, poſita præſertim convinctione *et* in protaſi, ita inter ſe conjungere amare membra æque vel longius etiam diſſita. v. g. 3, 6, 27. *Eſt laus et operum*, in primis 6, 3, 39. *et a Cicerone* &c. Si quis tamen *hæc* retinere maluerit, ille quæret etiam, et forte inveniet, quomodo non abſurde ita dicere potuerit Fabius.

16. *quo probaturi ſumus*] Nemo non videt ſic legendum eſſe. *Id, quo probaturi ſumus*, eſt definitio *rationis:* hoc ſi in quæſtionem veniat, ante omnia certum efficiendum eſt. Nempe dormitant interdum etiam acres oculi, de attentione remittunt etiam diligentes: quam multa igitur nos fugerint?

16. *efficiendum eſt juſtum*] Quid *juſtum* ſibi hic velit, non exputo. Sed eorum, quæ in intentione adverſarii negata ſunt, unum quoddam *efficiendum* ſ. probandum a petitore eſt. Igitur ſuſpicor, *efficiendum eſt iſtud, propter quod bona nobis adjudicari debeant*, h. e. aut efficiendum *filium eſſe, aut legitimum, aut ſolum* &c.

connexio, cum intervenit oratio[m] largior. Aliquando sufficiunt intentio ac ratio, *Silent*[n] *leges inter arma, nec se exspectari jubent, cum ei, qui exspectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda.* Ideoque id enthymema, quod est ex consequentibus, rationi simile dixerunt. Sed et singula quoque[o] interim[p] recte ponuntur: ut ipsum illud, *Silent leges inter arma.* Et a ratione fas 18
est incipere, deinde concludere: ut ibidem, *Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderet, interfici impune voluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet?* Variat[q] autem hic adhuc, et rursus rationem tertio loco ponit, *cum videat, aliquando gladium nobis ad*[r] *occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus.* Prioris autem partis duxit 19
ordinem, *Insidiatori autem et latroni quæ potest inferri injusta nex?* hæc intentio: *Quid comitatus nostri, quid gladii volunt?* hæc ratio: *Quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret:* hæc ex intentione et ratione connexio. Huic generi probationis tribus occurritur modis, 20
id est, per omnes partes. Aut enim expugnatur intentio, aut assumtio, aut conclusio, nonnumquam omnia: [sed[s] hæc omnia tria sunt.] Intentio expugnatur, *Jure occidi eum, qui insidiatus sit.* Nam prima statim pro Milone quæstio est, *an sit ei fas lucem intueri, qui a se hominem necatum esse fateatur.* Expugnatur assumtio omnibus iis, 21
quæ de refutatione diximus. Et ratio quidem nonnumquam est vera, cum ejus[t] propositio vera non sit: interim veræ propositionis falsa ratio est. *Virtus bonum est,* verum est: si quis rationem subjiciat, *quod ea locupletes faciat,* veræ intentionis falsa sit ratio. Connexio aut vera negatur, cum aliud colligit, quam id, quod ex prioribus conficitur: aut nihil ad quæstionem dicitur pertinere. Non 22

[m] orator G. male. [n] enim *inf.* Jens. [o] *om.* G. quæ Jens. [p] quæ *inf.* G. [q] variant—ponunt—videant G. Jens. [r] ad occ. hom. *om.* G. Jens. [s] *Glossam aut adsumentum puto.* [t] et G.

17. *Silent leges*] Ex Miloniana c. 4.

19. *Prioris partis duxit ordinem*] Mirum est, quæ hic comminiscantur interpretes: hoc dicit Fabius, In exemplo, quod jam proferetur, Cicero eam partem, quæ natura prior est, priore loco etiam collocavit, ordinisque adeo supra s. 6. proposîti rationem habuit, secus atque in proximo fecerat, ubi *ratio s. assumtio,* quæ secunda est ordine, tertio loco posita.

20. *conclusio*] Contra conclusionem alias disputare ineptum habetur. Sed vide, ut explicet hoc Fabius s. 22.

est vera, sic, *Insidiator jure occiditur: nam, qui curavit, ut vim afferat ut hostis, debet etiam ut hostis repelli: recte igitur Clodius, ut hostis, occisus est.* Non utique. Nondum enim Clodium insidiatorem ostendimus: sed sit vera con-
23 nexio, *Recte igitur insidiator, ut hostis, occiditur.* Nihil ad nos. Nondum enim Clodius insidiator apparet. Sed, ut
18 potest esse vera intentio[u] et ratio, et tamen falsa connexio:
24 ita, si illa falsa[x] sunt, numquam est vera connexio. *Enthymema* ab aliis oratorius syllogismus, ab aliis pars dicitur syllogismi, propterea quod syllogismus utique conclusionem et propositionem habet, et per omnes partes efficit, quod proposuit: enthymema tantum intenta intelligi
25 contentum sit. Syllogismus talis, *Solum bonum virtus: nam id demum bonum est, quo nemo male*[y] *uti potest: virtute nemo male uti potest: bonum est ergo virtus.* Enthymema ex consequentibus, *Bonum est virtus, qua nemo male uti potest.* Et contra, *Non est bonum pecunia: non enim bonum, quo quisquam male uti potest: pecunia potest quis*[z] *male uti: non igitur*
26 *bonum est pecunia.* Enthymema ex pugnantibus, *An bonum est pecunia, qua quisque potest male uti? Si pecunia, quæ est in argento signato, argentum est; qui argentum omne legavit, et pecuniam, quæ est in argento signato, legavit: argentum autem omne legavit: igitur et pecuniam, quæ est in argento, legavit:* habebit formam syllogismi. Oratori satis est dicere, *Cum argentum legaverit omne*[a], *pecuniam quoque lega-*

[u] connexio et t. f. intentio et rat. *conj. Regii, quam sequuntur quidam al.* [x] *Sic* G. Jens. *et optimi quique MSS. atque editi.* Si illa vera sunt, nunquam est falsa connexio *ex Regii correctione al. et ipse Bur.* [y] malus G. [z] quisque G. [a] omnem G. *Forte utrumque jungi debet,* cum arg. leg. omne, omnem pec. q. l.

23. *et tamen falsa connexio*] Si non recte inferatur nimirum, aut si, quod monetur s. 22. ad quæstionem nihil pertineat.

23. *si illa falsa sunt*] Potest quidem subjungi connexio s. conclusio vera materialiter, ut loquuntur, sed non formaliter, sive ob id vera, quia sequatur ex præpositis. Turbavit hic interpretes, quod Aristotelicum præceptum ingesserunt, In recta argumentatione *ex veris falsum sequi non potest.* Sed hoc non ponit hic Fabius; verum, quot modis falsa argumentatio esse possit, ostendit.

24. *utique concluf. et propof.*] Suspicabar aliquando pro *conclusione* legendum *assumtionem*, quod conclusio neque ab enthymemate abesse possit: possit abesse *assumtio*. Sed, cum Fabius *intentionem* nonnunquam intelligat eam ipsam, quæ alio nomine est *conclusio*, id nempe, quod efficere vel firmare volumus, vid. s. 10; *assumtionem* autem pro *ratione* capiat seu *medio* Aristotelis *termino*; quæ duo utique in omni enthymemate adesse debent, propositio nempe probanda, et ea, per quam probatur: relinquuntur ex ipsius rationibus *conclusio* et *propositio*, quæ ab enthymemate abesse queant.

vit, quæ eſt in argento. Peregiſſe mihi videor ſacra tra- 27
dentium artes, ſed conſilio locus ſupereſt. Namque ego,
ut in [b] oratione ſyllogiſmo quidem aliquando uti nefas
non duco, ita conſtare totam, aut certe confertam eſſe ag-
greſſionum et enthymematum ſtipatione minime velim.
Dialogis enim et dialecticis diſputationibus erit ſimilior,
quam noſtri operis actionibus, quæ quidem inter ſe plu-
rimum differunt. Namque illi homines docti, et inter 28
doctos verum quærentes, minutius et ſcrupuloſius ſcru-
tantur omnia, et ad liquidum confeſſumque perducunt:
ut qui ſibi et inveniendi et judicandi vindicent partes,
quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Nobis ad 29
aliorum judicia componenda eſt oratio, et ſæpius apud
omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum
loquendum eſt; quos niſi et delectatione allicimus, et vi-
ribus trahimus, et nonnumquam turbamus affectibus: ip-
ſa, quæ juſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus. Locu- 30
ples et ſpecioſa vult eſſe eloquentia: quorum nihil conſe-
quetur, ſi concluſionibus certis et crebris, et in unam
prope formam cadentibus conciſa, et contemtum [c] ex hu-
militate, et odium ex quadam ſervitute, et ex copia ſatie-
tatem, et ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur 31
non ſemitis, ſed campis: non uti fontes anguſtis fiſtulis
colliguntur, ſed ut latiſſimi [d] amnes totis vallibus fluat, ac
ſibi viam, ſi quando non acceperit, faciat. Nam quid mi-
ſerius [e] legem illam, VELUT præformatas infantibus lite-
ras, perſequentibus, et, ut Græci dicere ſolent, QUEM
mater amictum dedit, ſolicite cuſtodientibus? Propoſitio [f] 32
ac concluſio ex [g] conſequentibus et repugnantibus [h], non
inſpiret? non augeat? non mille figuris variet ac verſet?
ut ea naſci, et ipſa provenire natura, non manu facta, et

[b] ſine ratione ſyll. qu. aliq. nefas duco G. [c] quaſi *inſ.* G. [d] beatiſſimi G. *et al. ap. Burm.* [e] illa miſ. lege—perſequentium—cuſtodientium G. Jenſ. [f] Quis non inſpiret *omiſſis reliquis ex Vallæ libro conj. Burm.* [g] et Jenſ. [h] propugn. G.

27. *ſacra tradentium artes*] Sic ſupra *myſteria* dixit 5, 13, 60.

32. *Propoſitio ac concluſio*] Locus paullo ob id difficilior, quia Fabius, id quod tum reliqui boni doctores, tum ipſe præſertim facere ſolet, præceptum ipſum de enthymemate non nude ſed cum exornatione quadam proponendo, ita inſtituit, ut, quas figuras commendet, appareat. Verba, *Propoſitio ac concluſio ex conſequentibus et repugnantibus*, ſunt ipſa enthymematis definitio. (Vid. ſ. 25 et 26.) Compara ſimiliter de anacephalæoſi præcipientem Fabium 6, 1, 2.

32. *inſpiret*] Vid. ad 2, 5, 8.

arte ſuſcepta [i], magiſtrum fateri ubique videantur? Quis umquam ſic dicit [k] Orator? Nonne apud ipſum Demoſthenem pauciſſima hujuſmodi [l] reperiuntur? Quæ apprehenſa Græci magis (nam hoc ſolum nobis pejus [m] faciunt) in catenas ligant, et inexplicabili ſerie connectunt, et indubitata colligunt, et probant confeſſa, et ſe antiquis per hoc ſimiles vocant. Deinde interrogati numquam reſpondebunt [n], quem imitentur. Sed de figuris alio loco. Nunc illud adjiciendum, ne iis quidem conſentire me, qui ſemper argumenta ſermone puro et dilucido et diſtincto, ceterum minime lato ornatoque putant eſſe dicenda. Namque ea diſtincta quidem ac perſpicua debere eſſe confiteor: in rebus vero minoribus etiam ſermone ac verbis quam maxime propriis, et ex uſu. At, ſi major erit materia, nullum ornatum his, qui modo non obſcuret, ſubtrahendum puto. Nam et ſæpe plurimum lucis affert illa tranſlatio, cum etiam ipſi [o] juriſconſulti, quorum ſummus circa verborum proprietatem labor eſt, *litus* eſſe audeant dicere, qua [p] fluctus *eludit* [q]. Quoque quid natura magis aſperum, hoc pluribus condiendum eſt voluptatibus, et nimis ſuſpecta argumentatio, diſſimulatione: et multum ad fidem adjuvat audientis voluptas. Niſi forte exiſtimamus Ciceronem male in hac ipſa argumentatione dixiſſe, *ſilere leges inter arma*, et *gladium nobis interim ab ipſis porrigi legibus*. His tamen habendus modus, ut ſint ornamento, non impedimento.

[i] *Sic* G. *et al. ap. Bur.* ſuſcepta *al. Vid. ſ.* 35. [k] duxit G. vixit Jenſ. *Forte leg.* dixit. [l] viri vel artis Jenſ. juris vel artis G. *recepta lectio eſt e correct. Regii.* [m] non *inſ.* Jenſ. [n] reſpondent G. [o] *om.* G. [p] quam G. [q] alludit Jenſ. elidit *liber Vallæ, et conj. Ja. Douzæ apud Burm.*

32. *Quis umquam ſic dicit*] Nimirum, ut nuda et dialectica enthymemata torqueret, ſpinoſos et oſſeos ſyllogiſmos proponeret. Apud ipſum Demoſthenem, patrem eloquentiæ, invictum argumentis, cujus plurima leguntur hodie, pauciſſima exſtant ita nuda enthymemata: quæ apprehendunt κακόζηλοι quidam, et quod ille parciſſime fecit, ad id omnem orationem componunt. Vide mihi ſuaves tranſlationes: *in catenas ligant, inexplicabili ſerie connectunt*; quibus illi argumentationum formalium et dialecticarum *laquei* et *decipulæ* ſignantur.

32. *numquam reſpondebunt*] h. e. reſpondere ita, ut fidem faciant, poſſunt. Nam, in quo *ſimiles ſe antiquis vocant*, imitari illos volunt videri. Verum oſtendere tamen non poſſunt, qui ita conſtipaverit, et conferta poſuerit enthymemata.

32. *alio loco*] Libro 9. tribus prioribus capitibus.

34. *litus—qua fluctus eludit*] De hac nobili, ſed multum diſputata etymologia dicimus ad Colum. 4, 20, 2. Nimirum eo propendet animus, ut putem verbo *elidit* hic uſos ICtos.

35. *Ciceronem*] Vid. ſupra ſ. 17.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER SEXTUS.

PROŒMIUM.

HÆC, Marcelle Victori, ex tua [a] voluntate maxime ingressus [b], tum si qua ex nobis ad juvenes bonos pervenire posset utilitas, noviſſime pene et [c] neceſſitate quadam officii delegati mihi, ſedulo laborabam, reſpiciens tamen illam curam meæ voluptatis, qui [d] filio, cujus eminens ingenium ſolicitam quoque parentis [e] diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hereditatis videbar: ut, ſi me, quod æquum [f] et optabile fuit, fata intercepiſſent,
2 præceptore tamen patre uteretur. At me fortuna id agentem diebus ac noctibus, feſtinantemque metu meæ mortalitatis, ita ſubito proſtravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus, quam ad me, pertineret. Illum enim, de quo ſumma conceperam, et in quo ſpem unicam ſenectutis meæ [g] reponebam, repetito [h] vulnere orbitatis amiſi.
3 Quid nunc agam? aut quem ultra eſſe uſum mei, diis re-

[a] ſua Jenſ. [b] ingreſſus ſum, ſi qua ad juv. G. [c] etiam G. [d] quæ Jenſ. qua *vel* quod *conj. Reg.* [e] parentibus *id.* a parentibus *conj. Reg.* [f] peræquum G. [g] *om.* G. Jenſ. [h] repentino G.

1. *officii delegati*] Inſtituendi nepotes ſororis Domitiani. vid. proœm. libri 4.

1. *voluptatis*] Pro *curam meæ voluptatis* malit Heuſ. *curæ meæ voluptatem*. Plura ad hunc et proximum librum obſervavit vir doctiſſimus: ſed hic potiora modo locum inveniunt, vel ad hoc ut intelligatur, multa adhuc ab illo ſperari poſſe.

probantibus[i], credam? Nam ita forte[k] accidit, ut eum quoque librum, quem *de cauſſis corruptæ eloquentiæ* emiſi[l], jam ſcribere aggreſſus, ſimili ictu ferirer. Tunc[m] igitur optimum fuit, infauſtum opus, et quidquid hoc eſt in me infelicium literarum, ſuper immaturum funus conſumturis viſcera mea flammis injicere, neque[n] hanc impiam vivacitatem novis inſuper curis fatigare. Quis enim mihi 4
bonus parens ignoſcat, ſi ſtudere amplius poſſum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem[o], ſi quis in me eſt alius uſus vocis, quam ut incuſem deos, ſuperſtes omnium meorum? nullam terras deſpicere providentiam teſter[p]? ſi non meo caſu, cui tamen nihil objici, niſi quod vivam, poteſt; at illorum certe, quos utique immeritos mors acerba damnavit: erepta mihi prius eorumdem matre, quæ nondum expleto ætatis undeviceſimo anno duos enixa filios, quamvis acerbiſſimis rapta fatis, felix[q] deceſſit. Ego vel hoc uno malo ſic eram afflictus, ut me jam nulla 5
fortuna poſſet efficere felicem. Nam cum omni virtute, quæ in feminas cadit, functa[r], inſanabilem attulit marito dolorem: tum[s] ætate tam puellari, præſertim meæ comparata, poteſt et ipſa numerari inter vulnera orbitatis. Liberis tamen ſuperſtitibus oblectabar[t]: et, quod nefas 6
erat, ſæva[u], ſed optabat ipſa, me ſalvo maximos[x] cruciatus

[i] repugnantibus G. [k] *om.* Jenſ. [l] amiſi *id. male.* [m] Num G. nunc Jenſ. [n] ne—fatigae G. *h. e.* fatigarem. [o] infirmitatem Jenſ. *et al. Sed recte* firmitatem G. [p] teſtor G. [q] infelix G. Jenſ. *male.* [r] fit *inf. iid.* [s] ea G. [t] orbitabar Jenſ. *et al. gloſſa inepti hominis.* [u] ſerva G. Jenſ. ſera *al. utrumque a* ſæva *parum abeſt.* [x] maxime cruciatu e præc. G.

3. *de cauſſis corruptæ eloquentiæ*] Vid. ad 5, 12, 23.

3. *impiam vivacitatem*] Quæ ſuperſtes eſſe ſuſtineat ſuis liberis: eadem ratione, ut *ſceleratæ matres* ſæpe in monumentis antiquis vocantur, quæ filios amiſere. Vid. Burmannus ad Quinctiliani noſtri declam. 10, 7. p. 218. ubi hanc appellationis hujus rationem adfert, quod infelices omnes eoſdem putarent facinoroſos illo ipſo deorum, qui ſemper juſti, judicio declarari. Quod mihi aliter videtur. Quorſum enim iſtæ in deos iræ, quas hoc ipſo etiam in loco vir ſapiens alioquin evomit? Sed nimirum *impii, ſcelerati, crudeles* (Grut. p. 762, 2.) ſibi videntur ob id ipſum, quod ſuperſtites eſſe ſuſtinent, id quod nimis aperte hic locus in primis ſ. 12. indicat, et præclare notavit ipſe vir doctiſſimus, qui etiam optime *vivacitatem* de protracta longius vita interpretatus eſt.

6. *ſæva, ſed optabat*] *Sæva* in hoc, quod ante maritum, cui tantum creatura dolorem eſſet, mori vellet, et quod *nefas* cuperet, h. e. turbato mortalitatis ordine, puella ante virum jam inclinatæ ætatis, decedere. Interim ipſa tamen feliciter in hoc deceſſit, quod voti damnata eſt, quod cruciatus maximos e morte filii paullo poſt morituri

præcipiti via effugit. Mihi filius minor quintum egreſſus
7 annum, [z] prior alterum ex duobus eruit lumen. Non ſum ambitioſus in malis, nec augere lacrimarum cauſſas volo[a]: utinamque eſſet ratio minuendi. Sed diſſimulare quî poſſum, quid illi gratiæ in vultu, quid jucunditatis in ſermone, quos ingenii [b] igniculos, quam præſtantiam [c] placidæ, et (quod [d] ſcio vix poſſe credi tantum) altæ mentis oſtenderit [e]? qualis amorem quicumque alienus [f] infans
8 merereturⁿ. Illud vero inſidiantis, quo me validius cruciaret, fortunæ fuit, ut ille mihi blandiſſimus, me ſuis nutricibus, me aviæ [g] educanti, me omnibus, qui ſolicitare

[z] nec *inſ.* Jenſ. in malis nec agere *inſ.* G. *it.* G. 2. *niſi quod* ne *pro* nec *habet, et Voſſ.* 2. *et Mureti, niſi quod* augere *legunt.* ut in malis agerem *Regius, quod ſervarunt rel.* [a] *om.* G. [b] ingenio Jenſ. [c] ſubſtantiam G. Jenſ. [d] quam G. *et al. Forte* quam ſcio vix p. c. tantam. [e] *Sic G.* oſtendit Jenſ. oſtenderet *rel.* [f] alterius G. [g] avis G. *male.*

hauriendos effugit, quo nomine ſe ipſi gratulatum mox dicit. Tria porro in tanto luctu ſolatii argumenta ipſe habuit Fabius, primo filios ſuperſtites; deinde quod voti damnata eſſet uxor, ſævi illius quidem in ſe, ſed voti tamen; denique quod dolore ex funere prioris filii ipſa careret. Igitur nihil opus videtur a lectione recepta recedere, et cum Mureto Var. lect. 18, 20. tranſpoſitionem comminiſci nimis, ut videtur, audacem, quod minus eſt neceſſaria. Ita autem ille, *felix deceſſit, et, quod nefas erat, ſed optabat ipſa, me ſalvo maximos cruciatus præcipiti via effugit. Ego vel hoc uno malo — liberis tamen ſuperſtitibus oblectabar: mihi filius minor.* In qua tranſpoſitione illud etiam deſidero, quod hæc ultima, *mihi filius minor* cet. nimis abrupta videntur, et nulla ratione connexa præcedentibus. Contra ea, ubi præceſſit mentio uxoris felicis aliqua parte, ſe quaſi opponit cum vehementia: *ipſa effugit; mihi filius,* &c. *Sera* eſſe in G. docet Heuſ. in G. 2. plane omitti, quod ipſe probat. Ego nihil hic deſiderem, ſi abſit: ſed bonam ſententiam habere, ſi ſit *ſæva*, oſtendiſſe mihi videor.

6. *prior alterum ex duobus*] Omiſi igitur quatuor verba, quæ in pleriſque editis hæc præcedunt: idque eo juſtius me feciſſe puto, quod conjecturam Mureti l. c. aperte firmant auctoritates ſupra laudatæ. Nimirum librarius, verſum unum qui prætervidiſſet, verba, *in malis nec augere*, ſcripſerat: deinde, cum nollet deformari litura codicem elegantem, vel plane diſſimulavit errorem ſuum, vel, quod in Gothanis membranis ſæpiuſcule factum, exiguis punctulis ſubſcriptis (quæ vel mox evanuerunt, vel certe fugerunt deſcriptores) ea ſuperflua eſſe notavit. Hæc verba deinde cum utcunque connectere et aptare reliquis conarentur homines, illud *ut in malis agerem* inde exortum eſt. Quî factum ſit, ut Jenſonius de toto illo aſſumento ſolum *nec* habeat, ex illa hypotheſi de punctulis ratio reddi poteſt. Poteſt nempe codice uſus eſſe, in quo ſola ſub *nec* punctula evanuerant.

7. *vix poſſe credi tantum*] Alii ſic ordinant iſta, et legunt, *et (quod ſcio vix poſſe credi) jam tum altæ mentis.* Non diſplicet ea lectio Burmanno, et ſic videtur Heumanno: magna argumenta.

ſolent illas ætates, anteferret. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atque laudem omnem ſupergreſſa, paucos ante menſes ceperam, gratulor. Minus enim eſt, quod flendum meo nomine, quam quod illius gaudendum eſt. Una poſt hæc Quinctiliani mei ſpe ac voluptate ni- 9
tebar: et poterat ſufficere ſolatio. Non enim floſculos, ſicut prior, ſed jam decimum ætatis ingreſſus annum, certos atque deformatos fructus oſtenderat. Juro per mala 10
mea, per infelicem conſcientiam, per illos manes, numina doloris mei, has me in illo vidiſſe virtutes ingenii, non modo ad percipiendas diſciplinas, quo nihil præſtantius cognovi, plurima expertus, ſtudiique jam tum non coacti, (ſciunt præceptores) ſed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis, ut prorſus poſſet[h] hinc[i] eſſe tanti fulminis metus; quod obſervatum fere eſt, CELERIUS occidere feſtinatam maturitatem; et eſſe neſcio quam, quæ ſpes tantas decerpat, invidiam, ne videlicet ultra, quam homini[l] datum eſt, noſtra provehantur[m]. Etiam illa fortuita ad- 11
erant omnia, vocis jucunditas claritaſque, oris ſuavitas, et in utracumque[n] lingua, tamquam ad eam demum natus eſſet, expreſſa proprietas omnium literarum. Sed hæc ſpes adhuc: illa majora, conſtantia, gravitas, contra dolores etiam ac metus robur. Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione menſium octo valetudinem tulit? ut me in ſupremis conſolatus eſt? quam etiam deficiens, jamque[o] non noſter, ipſum illum alienatæ mentis errorem circa ſolas literas habuit? Tuoſne ego (O meæ ſpes ina- 12
nes) labentes oculos, tuum[p] fugientem ſpiritum vidi? Tuum[p] corpus frigidum, exſangue complexus, animam recipere, auramque communem haurire amplius potui? dignus his cruciatibus, quos fero, dignus his cogitationi-

[h] poſſit *omnes, quod ſciam. Sed* poſſet *confecutio flagitat.* [i] hic G. Jenſ. [l] *om.* G. [m] provehatur G. [n] utranque G. [o] quamque G. Jenſ. [p] tum G.

8. *illi dolori—gratulor*] Illud eſt, quod ante inter ſolatii argumenta poſuit, *illam maximos cruciatus præcipiti via effugiſſe.*

10. *numina doloris mei*] Illuſtravit hanc formulam, totamque *per manes jurandi* rationem more ſuo Burmannus.

10. *plurima expertus*] Qui tot ingenia juvenum diſciplinæ meæ traditorum cognoverim.

11. *jamque non noſter*] Cui nempe mors manus jam injeciſſet. Illuſtrat Burmannus illo Ovid. Art. 2, 93. *At pater infelix, jam non pater, Icare, clamat.*

11. *circa ſolas literas*] In aliis ſibi rebus conſtitit, patrem novit, &c.

13 bus. Tene [q] consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum patris [r] admotum, te avunculo prætori generum destinatum, te omnium spe Atticæ [s] eloquentiæ candidatum, superstes parens tantum ad [t] pœnas [u], amisi [x]? Et, si non cupido lucis, certe patientia vindicet te reliqua mea ætate. Nam frustra mala omnia ad crimen fortunæ rele-
14 gamus. Nemo, nisi sua culpa, diu dolet. Sed vivimus,

[q] tune G. [r] prius G. Jens. *et al. ap. Bur.* [s] acutæ *iid.* [t] *om. iid.* [u] poenis Jens. [x] *om. id. et omnes libri antiqui.*

13. *honorum patris*] Vel adoptivi, vel etiam naturalis, ipsius nempe Fabii, quem et ipsum Consularia ornamenta adeptum constat. Vid. Dodwellus Annal. §. 34. sq. De adoptivo, quisquis ille fuerit, vel ideo magis placet, quod adoptionem ipsam causam spei illius facere videtur, cum qua scilicet hereditas et census amplissimus conjunctus esset, sine quo oneri potius est honos: et non nimis lautum fuisse Fabio censum, vel inde constat, quod Plinius junior *modicum facultatum* vocat, et ad dotem filiæ illius contulit quinquaginta millia nummum. (Vid. 6, 32.)

13. *Atticæ eloquentiæ*] Nimirum *Attice dicere, est optime dicere*, ut noster ait infra 12, 10, 26.

13. *ad pœnas, amisi*] Si certum sit, illud *amisi* esse e conjectura Regii, de quo tamen dubitandi causam præbet Gothanus, si recte hic attendi: videndum, an non illo carere possimus. Et sane, cum sit oratio vehemens, lugubris, convenit illi, interceptum quasi singultu unum alterumque verbum videri. Nihil nobis quidem commodius visum ipso *vidi*. *Ego labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi—Tene* vidi *consulari nuper* &c. *superstes parens tantum ad pœnas*, h. e. cruciatus et dolores; quod illa ætate satis frequens. V. g. Plin. 2, 16. s. 21. *Cruciabatque* leonem *inedia, tum* pœna *in ipsis ejus telis*, de esse inter dentes adhærente, it. 8, 6. *Balænæ pariendi* pœnis *invalidæ*. it. 28, 4. s. 7. *Si quem pœniteat ictus eminus cominusve illati, et statim exspuat mediam in manum, qua percussit, levatur illico percussus a* pœna. Neque tamen Fabius plane hic a propria illa *pœnæ* notione recedit: sed noxium se quodam modo fatetur, ita tamen, ut ipsum illud in quo peccet, etiam pœna sit. In quo peccat igitur? quod vivere vel cupit, vel certe sustinet: quorum negat prius, posterius fatetur. Ipsa illa igitur, *si non cupido lucis, certe patientia*, inquit, *vindicet te*, fili; injuriam, quam vivendo tibi infero, expiet, *reliqua mea ætate*, qua vivam nempe ἑαυτοντιμωρούμενος. Ultimum verbum omittunt etiam Gothani codices. Unde hanc lectionem exsculpit Heusingerus, *Te ne—superstes parens tantum ad pœnas, et, si non cupido lucis, certe patientia vindicet*, (hic omittit *te*, quod habent omnes) *reliqua mea ætate*. Sic erunt tres vindices, *superstes parens*, ejus *cupido lucis*, ejus *patientia lucis*: *te* quod omissum diximus, inculcatum putat ab his, qui et *amisi* intulerint sententiæ, quam non caperent, explendæ causa. Affectus dicentis, ut duriorem forte extrusit sententiam, quam deinde fingendo mollire voluere critici; ita excusare emendationem posse videtur, alio loco non temere admittendam.

14. *diu dolet*] Cum possit finem doloris omnis et miseriarum, mortem, invenire. Frustra itaque omnia mala nostra fortunæ imputamus, quæ evitare licebat.

et aliqua vivendi ratio quærenda eſt, credendumque doctiſſimis hominibus, qui unicum adverſorum ſolatium literas putaverunt. Si quando tamen ita reſederit[z] præſens impetus, ut aliqua tot luctibus alia cogitatio inſeri poſſit, non injuſte petierim moræ veniam. Quis enim dilata ſtudia miretur, quæ potius non abrupta eſſe mirandum eſt? Tum, ſi qua minus fuerint effecta iis, quæ levius ad- 15
huc afflicti cœperamus, [imperitiæ[a] aut] fortunæ remittantur: quæ, ſi quid mediocrium alioqui noſtro ingenio virium fuit, ut non extinxerit, debilitavit[b] tamen[c]. Sed vel propter hoc nos contumacius erigamus, quod[d] illam ut perferre nobis difficile eſt, ita facile contemnere. Nihil enim ſibi adverſus me reliquit, et infelicem quidem, ſed certiſſimam tamen attulit mihi ex his malis ſecuritatem. Boni[e] autem conſulere[f] noſtrum laborem vel prop- 16
ter hoc certum[g] eſt, quod in nullum jam proprium uſum perſeveramus, ſed omnis hæc cura ad alienos, ut alienis utilis (ſi modo quid utile ſcribimus) ſpectat. Nos miſeri, ſicut facultates patrimonii noſtri, ita hoc opus aliis paravimus[h], aliis relinquemus.

I. *Peroratio* ſequebatur, quam *cumulum* quidam, *concluſionem* alii vocant. Ejus duplex ratio eſt, poſita aut in rebus, aut in affectibus[i]. *Rerum repetitio* et[l] congregatio, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, a[m] quibuſdam Latinorum *enumeratio*, et memoriam judicis reficit, et totam ſimul cauſſam ponit ante oculos, et, etiamſi per ſingula minus moverat[n], turba valet. In hac, quæ repetemus, 2
quam breviſſime dicenda ſunt, et, quod Græco verbo patet, decurrendum per *capita*. Nam, ſi morabimur, non jam enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda ſunt, et aptis[o] excitanda ſententiis, et figuris utique varianda: alioqui nihil eſt odioſius recta illa repetitione, velut memoriæ judicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles: 3
optimeque in Verrem Cicero, *Si pater ipſe judicaret, quæ*

[z] referit Jenſ. [a] *Quid ſi* imperiis fortunæ? *Certe* imperi aut fortunæ *eſt in* V. C. *Almel.* injuriæ *conj. Schelius.* impedienti fort. *conj. Bur.* [b] debil. tamen *om.* Jenſ. [c] jam meus G. *et al.* [d] que Jenſ. [e] Bonis G. Jenſ. [f] conſolari Jenſ. [g] cæcum Jenſ. *unde* æquum *conj. Muretus:* certum *forte corruptum ex* rectum. [h] præparabimus Jenſ. *certe futurum melius convenire videtur, et nota perpetua literarum* b *et* v *confuſio.* [i] effectibus Jenſ. [l] etiam *id.* [m] *om.* G. [n] moveret G. [o] apertis Jenſ.

I, 3. *in Verrem Cicero*] 5, 52. et alterum 5, 72. qua utraque ἀνακεφαλαίωσει nihil poteſt eſſe ſplendidius, auguſtiuſque.

diceret, cum hæc probarentur? et deinde ſubjecit enumerationem: aut, cum idem [p] in eumdem, *per invocationem deorum ſpoliata a prætore templa* dinumerat. Licet et dubitare, num quid nos fugerit: et, quid reſponſuri ſint adverſarii his et his: aut, quam ſpem accuſator habeat om-
4 nibus ita defenſis. Illa vero jucundiſſima, ſi contingat aliquod ex adverſario ducere [q] argumentum: ut, ſi dicas, *Reliquit vero hanc partem cauſſæ*; aut, *Invidia premere maluit*; aut, *Ad preces confugit*; et, *Merito, cum ſciret hæc et*
5 *hæc.* Sed non ſunt ſingulæ ſpecies proſequendæ [r], ne ſola videantur, quæ forte nunc dixero: cum occaſiones [s] et ex cauſſis, et ex dictis adverſariorum, et ex quibuſdam fortuitis quoque oriantur. Nec referenda modo noſtra, ſed poſtulandum [t] etiam ab adverſariis, ut ad quædam re-
6 ſpondeant. Id autem, ſi et actionis ſupererit locus, et ea propoſuerimus, quæ refelli non poſſunt. Nam provocare, quæ inde ſint fortia, non arguentis eſt, ſed monentis [u].
7 Id unum epilogi genus viſum eſt pleriſque Atticorum, et philoſophis fere omnibus, qui de arte oratoria ſcriptum aliquid reliquerunt. Id ſenſiſſe Atticos credo, quia Athenis affectus movere etiam per præconem prohibebatur orator. Philoſophos minus miror, apud quos vitii eſt loco, affici: nec boni mores videntur, ſic a vero judicem averti: nec convenire bono viro vitiis uti. Neceſſarios tamen affectus [x] fatebuntur, ſi aliter obtineri vera, et juſ-
8 ta, et in commune profutura non poſſint. Ceterum, illud conſtitit inter omnes, etiam in aliis partibus actionis, ſi multiplex cauſſa ſit, et pluribus argumentis defenſa, utiliter ἀνακεφαλαίωσιν fieri ſolere: ſicut nemo dubitaverit multas eſſe cauſſas, in quibus nullo loco ſit neceſſaria, ſi breves et ſimplices fuerint. Hæc pars *perorationis* accuſatori
9 patronoque æque communis eſt. Affectibus quoque eiſdem fere utuntur: ſed rarius hic, ille ſæpius ac magis.

[p] et *inſ.* G. [q] dicere Jenſ. [r] perſeq. G. [s] accuſationes G. Jenſ. [t] eſt *inſ.* G. [u] moventis G. male. [x] effectus Jenſ.

5. *non ſunt ſingulæ*] Eſt epanorthoſis, qua ipſe ſe revocat Fabius. Pauperis eſt numerare pecus.

6. *quæ inde ſint fortia*] h. e. ab altera parte, contra quam dicimus. Frequens eſt, adverbia loci adhibere de perſonis: ut, *unde petitur*, pro reo; vid. Gronov. ad Cic. fam. 7, 11. Sic Ter. Adelph. 1, 1, 21. *Nati filii duo: inde ego hunc majorem adoptavi mihi.*

9. *rarius hic, ille ſæpius*] Etiam hoc loco *hic* ad remotius, *ille* ad propius refertur: quod apud noſtrum etiam ſæpe obſervamus: v. g. 5, 13, 12. Sic mox 6, 1, 21. it. 6, 2, 21.

Nam huic concitare judices, illi flectere convenit. Verum et accusator habet interim lacrimas ex miseratione ejus rei, quam [z] ulciscitur: et reus de indignitate calumniæ conspirationis vehementius interim queritur. Dividere igitur hæc officia commodissimum, quæ plerumque sunt, ut dixi, procœmio similia, sed liberiora, plenioraque. In- 10
clinatio [a] enim judicum ad nos petitur initio parcius [b], cum admitti satis est, et oratio tota supereſt: in epilogo vero est, qualem animum judex in consilium ferat, et jam nihil amplius dicturi sumus, nec restat, quo servemus [c]. Est igitur utrisque commune, conciliare sibi, avertere ab 11
adversario judicem, concitare affectus, et componere. Et brevissimum quidem hoc præceptum dari utrique parti potest, ut totas causæ vires orator ante oculos ponat: et, cum viderit, quid *invidiosum*, *favorabile*, *invisum*, *miserabile* aut sit in rebus, aut videri possit, ea dicat, quibus, si judex esset ipse, maxime moveretur. Sed certius est [d] ire 12
per singula. Et quæ conciliant quidem accusatorem, in præceptis exordii jam diximus. Quædam tamen, quæ illic ostendere satis est, in peroratione implenda sunt magis, si contra impotentem, invisum, pernicioſum, susceptа causa est; si judicibus ipsis aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura absolutio. Nam egregie in Vatinium 13

z *Sic G. et al. ap. Burm.* quem *rel. et ipse Burm.* a inclinato Jens. *male.*
b partim tum G. c servemur G. Jens. d *om. iid.*

9. *ejus rei, quam ulciscitur*] Altera lectio, *ejus rei quem*, nullo modo stare potest. Sermo est de accusatore: hic *ulciscitur* quidem, id est punit, certe ad pœnam deposcit *reum*: sed ex hujus quidem profecto miseratione lacrimas non ciebit. Idem vero *ulciscitur rem* a reo commissam, et, quid in ea miserabile sit, ostendit, (vid. s. 11. et 18.) eaque ratione movet lacrimas reum prementes. Itaque *quem* in *quam* mutandum erat contra omnes libros, nedum iis auctoribus, qui supra laudati sunt.

10. *in epilogo vero est*] Prout afficitur epilogo judicis animus, ita judicat: fert enim secum illum animum *in consilium*, h. e. ad suffragia ferenda. Nihil frequentius de judicibus, quam quod dicuntur, *ire*, *mitti in consilium*, cum ad suffragia eunt. Hinc ipsi quoque vocantur *consilium*. Exemplorum affatim vel Vertinæ solæ suppeditabunt. Parum itaque prodest, si tota oratione nostri fuerint judices, si in conclusione aliter sentire incipiant.

10. *nec restat, quo servemus*] Non damno hanc lectionem; potest enim intelligi, *quo servemus nos*, *nostras vires*: sed tamen fere est, ut magis placeat altera lectio, *servemur*, reciproca significatione sumenda pro *servemus*, reservemus *nos*.

12. *in præceptis exordii*] 4, 1.

12. *impotentem*] Vix est, ut hic dubitemus, *impotentem* esse immoderatum, intemperanter abutentem vel potestate sua vel potentia.

Calvus, *Factum*, inquit, *ambitum scitis omnes, et hoc* [e] *vos* [f] *scire omnes sciunt*. Cicero quidem in Verrem etiam *emendari posse infamiam judiciorum damnato reo* dicit: quod est unum ex supra dictis. Metus etiam [g], si est adhibendus, ut facit [h] idem, hunc habeat [i] locum fortiorem, quam in proœmio. Qua de re quid sentirem, alio jam libro expo-
14 sui. Concitare quoque invidiam, odium, iram, liberius in peroratione contingit: quorum *invidiam* gratia, *odium* turpitudo, *iram* offensio judicis facit, si contumax, arrogans, securus sit: qui [k] non ex facto modo, dictove aliquo, sed vultu, habitu, aspectu moveri solet: egregieque nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Græce quidem, sed in hunc sensum, *Eru-*
15 *bescis Cæsarem timere*. Summa tamen concitandi affectus accusatori in hoc est, ut id, quod objicit [l], aut quam atrociissimum, aut etiam, si fieri potest, quam maxime miserabile esse videatur. Atrocitas crescit ex his, *Quid factum sit, a quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo*
16 *modo?* quæ omnia infinitos anfractus [m] habent. Pulsatum querimur: de re primum ipsa dicendum: tum, *si senex, si puer, si magistratus, si probus, si bene de repub. meritus*; etiam, si percussus sit *a vili aliquo contemtoque*; vel ex contrario *a potente nimium*, vel *ab eo, a quo minime oportuit*; et, si *die forte solemni*, aut *iis temporibus, cum judicia ejus rei maxime exercerentur*, aut *in solicito civitatis statu*; item
17 *in theatro, in templo, in concione*, crescit invidia: et, si *non errore, nec ira*, vel etiam, si forte *ira*, sed *iniqua, quod patri adfuisset, quod respondisset, quod honores contra peteret*: et, si *plus* etiam videri potest *voluisse*, quam fecit. Plurimum tamen affert atrocitatis *modus, si graviter, si contumeliose*: ut Demosthenes ex *parte* percussi corporis, ex *vultu* feri-

[e] hæc *iid.* [f] nos Jens. [g] *om.* G. [h] faciat G. [i] habet G. [k] quia non est ex G. quia *etiam* Jens. [l] objecit G. Jens. [m] *pro* infinitos anfractus G. 2. tractatus, *ac f.* 16. vel ab eo, quo minime oportuit, *omissa* a.

13. *Cic. in Verrem*] Act. 1, 15: in qua eadem paullo post c. 17. apertius metum ostendit, *Si plures*, inquit, *improbi fuerint, hoc vobis, hoc populo Ro. judices, confirmo, vitam mehercule mihi prius, quam vim perseverantiamque ad illorum improbitatem persequendam defuturam* &c.

13. *alio jam libro*] 4, 1, 21. sq.

14. *Cossutiani Capitonis*] Narrat rem breviter Tac. An. 13, 33. ubi ea de ingenio viri refert, quæ probabilem hanc vocem accusatoris ostendunt: *maculosum* vocat, *fœdum, et idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in urbe exercuerat*.

17. *ut Demosthenes*] Vehementissima oratione adversus Midiam, a quo in theatro, ludis publicis, curator ipse ludorum, pulsatus fu-

entis, ex *habitu* invidiam Midiæ quærit. *Occiſus eſt: utrum ferro, an igne, an veneno; uno vulnere, an pluribus; ſubito, an exſpectatione tortus*, ad hanc partem maxime pertinet. Utitur frequenter accuſator et [n] *miſeratione*, cum aut ejus caſum, quem ulciſcitur, aut liberorum aut parentum ſolitudinem [o] conqueritur. Etiam futuri temporis imagine judices movet, *qui* [p] *maneant* [q] *eos caſus, qui de vi et injuria queſti ſunt, niſi vindicentur: fugiendum de civitate, cedendum bonis, aut omnia, quæcumque inimicus* [r] *fecerit, perferenda.* Sed ſæpius id eſt accuſatoris, avertere judicem a miſeratione, qua reus ſit uſurus, atque ad fortiter judicandum concitare. Cujus loci eſt etiam occupare, quæ dicturum facturumve adverſarium putes. Nam et cautiores ad cuſtodiam ſuæ religionis judices facit, et gratiam reſponſuris [s] aufert, cum ea, quæ prædicta ſunt ab accuſatore, jam, ſi pro reo petentur, non ſint nova: ut Servius Sulpicius contra Auſidiam, *ne ſignatorum ab ipſis diſcrimen objiciatur ſibi*, præmonet. Nec non ab Æſchine, quali ſit uſurus Demoſthenes actione, prædictum eſt. Docendi interim quoque judices, quid rogantibus reſpondere debeant: quod eſt unum repetitionis genus. Periclitantem vero commendat *dignitas*, et *ſtudia fortia*, et *ſuſceptæ bello cicatrices*, et *nobilitas*, et *merita majorum*. Hoc, quod [t] proxime dixi, Cicero atque Aſinius certatim ſunt uſi: pro Scauro patre hic, ille pro filio. Commendat et cauſſa periculi, ſi ſuſcepiſſe inimicitias ob aliquod factum honeſtum videtur: præcipue [u] *bonitas, humanitas, miſeri-*

18 19 20 21 22

[n] *om.* G. [o] ſolicitudinem G. Jenſ. [p] quæ Jenſ. [q] moneat G. [r] inimicis in animo fuerint G. inimici animus fert *margo Baſil. quod merito placet Burm.* [s] reſponſurus G. *male.* [t] apud Jenſ. *male.* [u] præcipua G.

erat, v. g. p. 393. B. Πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπλων, ὧν ὁ παθὼν ἕνια οὐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιθ' ἑτέρῳ, τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρὸς ὑπάρχων, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κῶρρης· ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους αὐτῶν, ἀήθεις ὄντας τῷ θορυβεῖσθαι. Paullo poſt, Ἐγὼ δ' ὑπ' ἐχθρᾶς νήφοντος ἔωθεν, ὑβρει, μὴ εἴνῳ τοῦτο ποιοῦντος, ἐναντίον πολλῶν καὶ ξένων καὶ πολιτῶν, ὑβριζόμην, καὶ ταῦτ' ἐν ἱερῷ, καὶ ἡ πολλή μοι ἀνάγκη βαδίζειν χορηγοῦντι.

20. *occupare, quæ dicturum*] Hoc in primis in Midiana fecit Demoſthenes. Quamquam hæc vel ſola oratio omnium accuſandi præceptorum exempla ſuppeditat, et ita vehemens eſt, ut tota videri poſſit epilogus: epilogus autem oratione tali digniſſimus.

20. *ne ſignatorum ab ipſis*] Fruſtra, puto, quæritur, quid hæc ſibi velint, cum non exſtet oratio, nec aliunde lux hiſtoriæ adfulgeat.

21. *ab Æſchine*] Procœmio orationis contra Cteſiphontem ſ. ipſum potius Demoſthenem, et epilogo.

21. *hic, ille*] Vid. ad 6, 1, 9. Pro Scauro enim patre dixit Cicero.

cordia. Juſte enim tunc petere ea quiſque videtur a judice, quæ alii ipſe præſtiterit. Referenda pars hæc quoque ad *utilitatem reipub. ad judicum gloriam, ad exemplum,*
23 *ad memoriam poſteritatis*. Plurimum tamen valet *miſeratio*, quæ judicem flecti non tantum cogit, ſed motum quoque animi ſui lacrimis confiteri. Hæc petetur [x] aut ex iis, *quæ paſſus eſt reus*, aut ex iis, *quæ cum* [z] *maxime patitur*, aut ex iis, *quæ damnatum manent*: quæ et ipſa duplicantur, cum dicimus, *ex qua illi* [a] *fortuna, et in quam*
24 *recidendum ſit*. Affert in his momentum et *ætas*, et *ſexus*, et *pignora, liberi*, dico, et *parentes*, et *propinqui*. Quæ omnia tractari varie ſolent. Nonnumquam etiam et ipſe patronus has partes ſubit: ut Cicero pro Milone, *O me miſerum! O me infelicem! Revocare me tu in patriam, Milo, potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero?* Maximeque, ſi (ut tunc accidit) non convenient
25 ei, qui accuſatur, preces. Nam quis ferret Milonem pro capite ſuo ſupplicantem, qui a ſe virum nobilem interfectum, quia id fieri oportuiſſet, fateretur? Ergo et ille captavit ex illa præſtantia animi favorem, et in locum lacrimarum ejus ipſe ſucceſſit. His præcipue locis utiles ſunt *proſopopœiæ*, id eſt, fictæ alienarum perſonarum orationes, quales litigatorem decent, vel [b] patronum. Mutæ [c] tamen [d] res movent, aut, cum ipſis loquimur: aut, cum ip-
26 ſas loqui fingimus. Ex perſonis quoque trahitur [e] affectus. Non enim audire judex videtur aliena mala deflentes, ſed ſenſum ac vocem auribus accipere miſerorum, quorum etiam mutus aſpectus lacrimas movet: quantoque eſſent miſerabiliora, ſi ea dicerent ipſi, tanto ſunt quadam ſua [f] portione ad efficiendum potentiora, cum velut ipſorum ore dicuntur: ut [g] ſcenicis actoribus eadem vox, eadem pronuntiatio plus ad movendos affectus ſub
27 perſona valet. Itaque idem [h] Cicero, quamquam preces non dat Miloni, eumque potius animi præſtantia commendat, accommodavit ei tamen et [i] verba, et [i] convenientes etiam forti viro conqueſtiones, *O fruſtra, inquit, mei ſuſcepti labores! O ſpes fallaces! O cogitationes inanes meæ* [m]*!* Num-

[x] petentur *omnes puto: ſed nimis manifeſtum, ad* miſerationem *referri.* [z] quantum Jenſ. cum maxime *Cort. ad Plin. epiſt.* 6, 31, 15. *ex veterrimo Cod.* tum max. *al. et Burm.* [a] illa Jenſ. *male.* [b] *om.* G. [c] unde G. Jenſ. [d] tantum G. [e] trahatur G. [f] *am.* G. Jenſ. [g] et G. [h] *om.* G. [i] *om.* G. [l] *om.* G. Jenſ. [m] meas G.

24. *Cic. pro Milone*] c. 37. alterum, de quo ſ. 27, eſt c. 34.

quam tamen debet esse longa miseratio: nec sine caussa dictum est, *Nihil facilius, quam lacrimas, inarescere.* Nam, 28
cum etiam veros dolores mitiget tempus, citius evanescat necesse est illa, quam dicendo effinximus[n], imago: in qua si moramur, lacrimis fatigatur[o] auditor, et requiescit, et ab illo, quem ceperat, impetu ad rationem redit. Non 29
patiamur igitur frigescere hoc opus: et affectum, cum ad summum[p] perduxerimus, relinquamus: nec speremus fore, ut aliena quisquam[q] diu ploret. Ideoque cum in aliis, tum maxime in hac parte debet crescere oratio: quia, quidquid non adjicit prioribus, etiam detrahere videtur: et facile deficit affectus, qui descendit. (II.) Non 30
solum autem dicendo, sed etiam faciendo quædam, lacrimas movemus: unde et producere ipsos, qui pericliten-tur, squalidos atque deformes, et liberos eorum ac parentes, institutum, et ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, et lecta e[r] vulneribus ossa, et vestes sanguine perfusas videmus, et vulnera resolvi, ac verberata corpora nudari. Quarum rerum ingens plerumque vis est, velut 31
in rem præsentem animos hominum ducentium[s]. Et populum Romanum egit in furorem prætexta Caii Cæsaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipsum impositum lecto erat[t]: vestis tamen illa, sanguine madens, ita repræsentavit imaginem sceleris, ut non occisus esse Cæsar, sed tum maxime occidi videretur. Sed non ideo probaverim, quod[u] factum et le- 32
go, et ipse aliquando vidi, depictam tabulam supra[x] Jo-

[n] effingimus G. [o] frangitur et requ. G. [p] summam G. [q] aliquis quam diu Jens. [r] est Jens. *male.* e funeribus *conj. Burm. quas voces sæpe miscri ostendit.* [s] dicentium Jens. [t] at *inf.* G. [u] quia G. 2. [x] fr. G. 2. supra Jovem imaginem *V. C. Alm. ap. Bur.* supra Jovis imag. *marg. Gryph.* V. N. supra Jovem, infra imaginem rei *conj. Heumannus.*

30. *lecta e vulneribus*] Ex vulneribus quibusdam, capitis in primis, *ὀστᾶ*, i. e. particulas osseas legi, chirurgi norunt. Sed probabilior viri summi conjectura de *ossibus e funeribus*, quod in scena Græca et Romana frequens, (vid. illa de Polo historia apud Gellium 7, 5.) quod ab Agrippina Germanici factum Tac. An. 2, 75, in forum transtulere patroni.

32. *tabulam supra Jovem*] *Jovis* hic nullas partes esse certatim agnoscunt viri docti. Reliqua conjecturis aguntur. Werlhofius meus, Apollinearum artium omnium decus, et *μάντις* idem *ἄριστος*, *supra actorem* conjicit dedisse Fabium, e quo *supractorem*, deinde *supra Jovem* ortum sit. Actor de ipsius sententia suspendi vel teneri supra caput suum jussit tabulam, in qua depicta esset imago cædis, ut hoc utar, vel alterius rei, cujus atrocitatem ob oculos ponere judicibus vellet. Favent huic conjecturæ om-

vem in imaginem rei, cujus atrocitate judex [z] erat commovendus. Quæ enim eſt actoris infantia, qui [a] mutam illam effigiem magis, quam orationem, pro [b] ſe putet lo-
33 cuturam? At ſordes, et ſqualores, et propinquorum quoque ſimilem habitum ſcio profuiſſe, et magnum ad ſalutem momentum preces attuliſſe. Quare et obſecratio [c] illa judicum *per cariſſima pignora*, utique ſi et reo ſint *liberi, conjux, parentes*, utilis erit. Et *deorum* etiam *invoca-*
34 *tio* velut ex bona conſcientia profecta videri ſolet. *Stratum* denique *jacere*, et *genua complecti*: niſi ſi tamen perſona nos, et ante acta vita, et rei conditio prohibebit. Quædam enim tam fortiter tuenda, quam facta ſunt. Verum ſic eſt habenda auctoritatis ratio, ne ſit inviſa ſecuri-
35 tas. Fuit quondam inter hæc omnia potentiſſimum id [d], quo [e] Lucium Murænam Cicero accuſantibus clariſſimis viris eripuiſſe præcipue videtur. Perſuaſit [f] enim, nihil eſſe ad præſentem rerum ſtatum utilius, *quam pridie Ca-*
36 *lend. Januarias* [g] *ingredi conſulatum*. Quod genus noſtris temporibus totum pene ſublatum eſt, cum omnia curæ tutelæque unius innixa periclitari nullo judicii exitu poſſint. De accuſatoribus et reis ſum locutus, quia in periculis maxime verſatur affectus. Sed privatæ quoque cauſſæ utrumque habent perorationis genus: et illud, quod eſt ex enumeratione probationum, et hoc, quod ex lacrimis: ſi aut ſtatu periclitari, aut opinione litigator videtur. Nam in parvis quidem litibus has tragœdias movere tale eſt, quale [h], ſi perſonam Herculis et cothurnos
37 aptare infantibus velis. Illud ne indignum quidem admonitione [i], ingens in epilogis, meo judicio, verti diſcrimen, quo modo ſe dicenti, qui excitatur, accommodet. Nam et *imperitia*, et *ruſticitas*, et *rigor*, et *deformitas* afferunt interim frigus: diligenterque hæc ſunt actori provi-
38 denda. Equidem repugnantes eos patrono, et nihil vultu commotos, et intempeſtive ridentes [l], et facto aliquo vel

[z] velox G. [a] quæ G. Jenſ. [b] per Jenſ. [c] obſervatio G. [d] id *om.* G. Jenſ. [e] quod G. [f] perſuaſitque nihil G. Jenſ. [g] *Forte inſ.* eum. [h] quaſi Jenſ. [i] admirat. G. [l] reſidentes G. *et al. ap. Bur.*

nia, niſi nimis forte ego Werlhofio, quod tamen nimis me non facere poſſe arbitror.

35. *pridie Calend. Januarias*] Res, non verba ſunt c. 37.

36. *ſtatu periclitari*] Sitne Senator, civis, liber, filius &c. *opinione*, ſitne vir bonus, perjurus, fraudulentus.

38. *intempeſtive ridentes*] Ridere neſcio an ſemper intempeſtivum ei, qui patronum adhibet, et ſtat in judicio. Igitur fere magis eſt, ut probem illud alterum *reſi-*

ipſo vultu riſum [m] etiam moventes ſæpe vidi, præcipue vero, cum aliqua velut ſcenice fiunt [n]. Tranſtulit patro- 39
nus aliquando puellam, quæ ſoror eſſe adverſarii dicebatur, (nam de hoc lis erat) in adverſa ſubſellia, tamquam in gremio fratris relicturus: at is a nobis præmonitus diſceſſerat. Tum ille, alioqui vir facundus, inopinatæ rei caſu obmutuit, et infantem ſuam frigidiſſime reportavit. Alius imaginem mariti pro rea proferre magni putavit: at 40
ea ſæpius riſum fecit. Nam et ii, quorum officii erat, ut traderent eam, ignari qui eſſet epilogus, quoties reſpexiſſet patronus, offerebant palam, et prolata noviſſime, deformitate [o] ipſa (nam ſenis cadaveri infuſa) præteritam quoque orationis gratiam perdidit. Nec ignotum, quid 41
Glyconi, cui Spiridion fuit cognomen, acciderit. Huic puer, quem in [p] jus productum, quid fieret, interrogabat, *ex pædagogo ſe vellicari* reſpondit. Sed nihil illa contra Cepaſios Ciceronis fabula efficacius ad pericula epilogorum. Omnia tamen hæc tolerabilia, quibus actionem 42
mutare facile eſt: at, qui a ſtilo non recedunt, aut conti-

[m] *Sic G. quod ἐμφατικώτερον videbatur altero* riſum mov. ſæpe etiam. [n] alias cadunt *inf.* G. Jenſ. *niſi quod* alia G. *Fuit autem adnotatio varietatis in verbo* fiunt. [o] deformante ipſa natura ceris cadaver infuſum G. *Variatur multum. Burmannus conj.* nam ſenis cadaveri cera infuſa. [p] is G. Jenſ.

dentes, quod reſpondet verbis *qui excitatur*: qui enim excitatus a patrono adſtare debebat, et ſubſervire illius orationi; ſi intempeſtive et otioſe quaſi reſideat, frigus illi objicit, et male compoſitam fabulam arguit. Jam pulchre hoc vidit, qui plurimum, Burmannus.

38. *cum aliqua velut ſcenice fiunt*] Cum in judicio et inter ſubſellia quædam quaſi in ſcena fabula agitur. Satis hoc declaratur exemplis ab ipſo Fabio.

40. *deformitate ipſa*] Sua Quinctiliano verba reddere difficile forte in tanta varietate fuerit. Sententia ſatis perſpicua. Imago non ad vivum et animale exemplum imitatione expreſſa, ſed gypſum cadaveri, quod naturaliter mors deformaverat, inductum; in eam deinde formam cera infuſa fuerat: unde imago et ipſa deformis exiit. Ratio illa vivos etiam vultus gypſo ceraque effingendi Lyſiſtrato tribuitur a Plinio 35, 12. ſ. 44. qui ſub Turnebi nomine hic laudatur.

41. *ex pædagogo*] Num forte puerile loquendi genus *ex pædagogo* pro *a pædagogo?* Exempla Flori 3, 16, 4. *In eo tumultu regem ſe ex ſatellitibus ſuis appellatum*, et 2, 6, 27. *Hinc illud, ex populo ut imperii ſcutum vocaretur*, non videntur plane ſimilia; cum partem ſatellitum et populi ſic indicari, cauſari aliquis poſſit.

41. *contra Cepaſios Cic. fabula*] Jam tetigit 4, 2, 19: explicabit mox 6, 3, 39. Nihil ea efficacius ad demonſtrandum, quanti res periculi ſit, ſcenam ejuſmodi et mimum inſtruere in epilogis, quem deinde deſtituant actores, vel male certe peragant.

42. *a ſtilo non recedunt*] Nunquam dicunt, niſi quod ante domi ſcripſerint: non commentantur mo-

ceſcunt ad hos caſus, aut frequentiſſime falſa dicunt. Inde eſt enim, *Tendit ad veſtra genua ſupplices manus*; et, *Hæret in complexu liberorum miſer*; et, *Revocat ecce me:* etſi
43 nihil horum is, de quo dicitur, faciat. Et e ſcholis hæc vitia, in quibus omnia libere fingimus, et impune, quia pro facto eſt, quidquid volumus: non admittit hoc idem veritas fori [q], egregieque Caſſius Severus [r] dicenti adoleſcentulo, *Quid me torvo vultu intueris, Severe? Non me hercule* [s], inquit [t], *faciebam* [u], *ſed ſic ſcripſiſti: ecce!* et,
44 quam potuit, truculentiſſime eum aſpexit. Illud præcipue monendum, ne quis [v] niſi ſummis ingenii viribus ad movendas lacrimas aggredi audeat: nam, ut eſt longe vehementiſſimus hic, cum [x] invaluit, affectus, ita, ſi nihil efficit, tepet: quem melius infirmus actor tacitis judicum
45 cogitationibus reliquiſſet. Nam et vultus, et vox, et ipſa illa excitati [z] rei facies, ludibrio etiam plerumque ſunt hominibus, quos non permoverunt. Quare metiatur ac diligenter æſtimet vires ſuas actor, et, quantum onus ſubiturus ſit, intelligat: nihil habet iſta res medium [a], ſed
46 aut lacrimas meretur, aut riſum. Non autem commovere tantum miſerationem, ſed etiam diſcutere, epilogi eſt proprium; quum oratione continua, quæ motos lacrimis judices ad juſtitiam reducat, tum etiam quibuſdam urbane
47 dictis: quale eſt, *Date puero panem, ne ploret.* Et corpulento litigatori, cujus adverſarius, item puer, circa judices erat ab advocato latus, *Quid faciam? ego te bajulare non poſſum.* Sed hæc tamen non debent eſſe mimica [b]. Ita neque illum probaverim, qui inter clariſſimos ſui temporis oratores fuit, qui, pueris in epilogum productis, talos projecit in medium, quos illi diripere cœperunt; namque hæc ipſa diſcriminis ſui ignorantia potuit eſſe miſerabilis:
48 neque illum, qui, cum eſſet cruentus gladius ejus ab accuſatore prolatus, quo is hominem probabat occiſum, ſubito ex ſubſelliis ut territus fugit, et, capite ex parte velato, cum ad [c] agentem [d] ex turba proſpexiſſet [e], interro-

[q] *om.* G. Jenſ. *et poteſt ſane abeſſe.* [r] *om. iid.* [s] hercules Jenſ.
[t] quidni G. Jenſ. [u] faciam Jenſ. [v] quid G. Jenſ. [x] anima Jenſ.
pro cum *obſcure ſcripto legit aliquis* aia. [z] excitandæ Jenſ. [a] *om.* G.
[b] minuta G. inimica Jenſ. [c] id *id.* [d] agendum Jenſ. G. [e] perſpexiſſe G.

do cauſſas, ſed totas antea ſcribunt, quam agant.

47. *item puer*] Reſpicit ad id, quod modo de pueris in judicium adductis adlatiſque dixerat, *Date puero panem.*

gavit, *an jam ille cum gladio receſſiſſet?* Fecit enim riſum, ſed ridiculus fuit. Diſcutiendæ tamen [f] oratione hujus 49
modi ſcenæ: egregieque Cicero, qui et contra imaginem Saturnini pro Rabirio graviter, et contra juvenem, cujus ſubinde vulnus in judicio reſolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane. Sunt et illi leniores [g] epilogi, quibus ad- 50
verſario ſatis facimus, ſi forte ſit ejus perſona talis, ut illi debeatur reverentia; aut, quum amice aliquid commonemus [h], et ad concordiam hortamur: quod eſt genus egregie tractatum a Paſſieno, cum Domitiæ uxoris ſuæ pecuniariam [i] litem adverſus fratrem ejus Aenobarbum ageret [l]: nam, quum de neceſſitudine multa dixiſſet, de fortuna quoque, qua uterque abundabat, adjecit, *Nihil vobis minus deeſt* [m], *quam de quo contenditis.* Omnes autem hos 51
affectus, etiam ſi quibuſdam videntur in procemio atque in epilogo ſedem habere, in quibus ſane ſunt frequentiſſimi, tamen aliæ quoque partes recipiunt, ſed breviores, ut cum ex his plurima ſint reſervanda. At hic, ſi uſquam, totos eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex his, ſi 52
bene diximus reliqua, poſſidemus [n] jam judicum animos: et, confragoſis atque aſperis evecti, tota [o] pandere poſſumus vela: et, cum ſit maxima pars epilogi amplificatio, verbis atque ſententiis uti licet magnificis, atque ornatis. Tunc eſt commovendum theatrum, quum ventum eſt ad ipſum illud, quo veteres tragœdiæ comœdiæque clauduntur, *Plaudite.* In aliis autem partibus tractandus af- 53
fectus erit, ut quiſque naſcetur: nam neque exponi ſine hoc res atroces et miſerabiles debent: cum de qualitate alicujus rei quæſtio eſt, probationibus uniuſcujuſque rei recte ſubjungitur. Ubi vero conjunctam ex pluribus 54
cauſſam agimus, etiam neceſſe erit uti pluribus quaſi epilogis: ut in Verrem Cicero fecit. Nam et *Philodamo*, et

[f] *Forte* tantum. [g] leviores G. [h] commovemus Jenſ. [i] uxori ſuæ pecuniaria lite G. Jenſ. [l] adeſſet G. Jenſ. [m] deeſſe G. [n] poſſidebimus Jenſ. [o] tuto G. *et al. ap. Bur. eleganter, ut et illud edit. Andr.* toto ſinu, *quod probat Burm.*

49. *Diſcutiendæ tamen*] Videbantur mihi ilta commodius adjungi ſuperioribus, ſi legamus *tantum. Tantum oratione*, non geſtu vel alia quadam actione *diſcutiendæ ſunt ejuſmodi ſcenæ, et eludendæ.*

49. *pro Rabirio*] Quem T. Labienus interfecti Saturnini, et ob id ipſum perduellionis reum agebat, et ad movendos homines imaginem Saturnini in roſtra, et concionem, quæ judicatura erat, ſecum attulerat. Vid. c. 9. orationis pro Rabirio.

54. *Philodamo*] Verr. 1, 30. De navarchis Verr. 5, 45. ſq. De aliis cruciatibus civium Rom. paſſim.

navarchis, et *cruciatis civibus Romanis*, et aliis plurimis
49 55 suas lacrimas dedit. Sunt, qui hos μερικὰς ἐπιλόγους vocent, quo *partitam perorationem* significant. Mihi non tam partes ejus, quam species videntur. Siquidem hæc *epilogi* et *perorationis* nomina ipsa aperte satis ostendunt, hanc
50 esse consummationem orationis.

II. (III.) Quamvis autem pars hæc judicialium causarum sit summa, præcipueque constet *affectibus*, et aliqua de his necessario dixerim; non tamen potui, ac ne debui quidem locum istum in unam [q] speciem concludere. Quare adhuc opus supereſt, cum ad obtinenda, quæ volumus, potentissimum, tum supra dictis multo difficilius, movendi judicum animos, atque in eum, quem volumus,
51 2 habitum formandi, et velut transfigurandi. Qua de re pauca, quæ postulabat hæc [r] materia, sic attigi, ut magis, quid oporteret fieri, quam quo id modo consequi possemus [s], ostenderem. Nunc altius [t] omnis rei repetenda ratio est. Nam et per totam (ut diximus) causam locus
53 est *affectibus*: et eorum non simplex natura, nec in transitu tractanda, quo nihil majus afferre [u] vis orandi potest.
3 Nam cetera forsitan tenuis quoque et angusta ingenii vena, si modo vel doctrina vel usu sit adjuta, generare, atque ad [v] frugem aliquam [x] perducere queat: certe sunt, semperque fuerunt non parum multi, qui satis perite, quæ essent probationibus utilia, reperirent: quos equidem non
53 contemno, sed hactenus utiles credo, ne quid per eos judici sit ignotum; atque (ut dicam, quod sentio) dignos, a quibus causas [z] diserti [a] docerentur: qui vero judicem rapere, et in quem vellet habitum animi posset perducere,
54 4 quo dicto flendum et irascendum esset, rarius * fuit. At-

[q] *om.* G. [r] *om.* G. [s] possimus G. Jens. [t] alterius G. [u] afferri majus oranti Jens. *et al. ap. Bur.* [v] *om. id.* [x] aliquem G. [z] causis G. [a] deserti Jens. * rarus *conj. Burm.*

II, 3. *quo dicto flendum*] οὗ ἠγριωμένος, activa significatione, ut in illo Terentii Hec. 5, 1, 11. *Nam jam ætate ea sum, ut non fiet peccato mihi ignosci æquom.* Cic. contra Rull. 2, 2. extr. *Cui errato nulla venia, recte facto exigua laus, et ab invitis expressa proponitur*, ἡμαρτηκότι, κατωρθωκότι. Quæ loca cum olim per ablativos absolutos aliorum secutus auctoritatem interpretanda censuerim: non diffiteor, hoc ipso, qui præ manibus est, Fabii loco me impulsum, ut jam in Perizonii sententiam concedam, qui copiose activam significationem id genus participiis vindicatum ivit ad Sanct. 1, 15, 4. p. 135. sq. Hic enim certe illa interpretatio per ablativum locum nullo modo habere potest.

que [b] hoc [c] est, quod dominatur [d] in judiciis: hæc eloquentiam regunt. Namque argumenta plerumque nascuntur ex caussa, et pro meliore parte plura sunt semper: ut, qui per hæc vicit, tantum non defuisse sibi advocatum sciat. Ubi vero animis judicum vis afferenda est, et ab 5
ipsa veri contemplatione abducenda mens, ibi proprium oratoris opus est. Hoc non docet litigator [e]: hoc libellis non continetur. *Probationes* enim efficiunt [f] sane, ut caussam nostram meliorem esse judices putent: *affectus* præstant [g], ut etiam velint: sed id, quia volunt, credunt quoque. Nam, cum *irasci*, *favere*, *odisse*, *misereri* cœperint [h], 6
agi jam rem suam existimant: et, sicut amantes de forma judicare non possunt [i], quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendæ veritatis rationem judex amittit occupatus affectibus: æstu fertur, et velut rapido flumini obsequitur [l]. Ita argumenta ac testes quid ege- 7
rint, pronuntiatio ostendit: commotus autem ab oratore judex, quid sentiat, sedens adhuc atque audiens confitetur. An, cum ille, qui plerisque perorationibus petitur, fletus erumpit, non palam dicta sententia est? Huc igitur incumbat orator, hoc opus ejus, hic labor est: fine quo cetera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt: adeo velut spiritus [m] operis hujus atque animus est *in affectibus*. Ho- 8
rum autem, sicut antiquitus traditum accepimus, duæ sunt species: alteram Græci πάθος vocant, quam nos vertentes recte ac proprie *affectum* dicimus; alteram ἦθος, cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus; *mores* appellantur: atque inde pars quoque illa philosophiæ ἠθική, *moralis* est dicta. Sed ipsam rei naturam 9
spectanti mihi, non tam *mores* significari videntur, quam *morum quædam proprietas*: nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores voluntatem complecti, quam nomina interpretari, maluerunt. Affectus igitur hos concitatos, illos mites atque compositos esse dixerunt; in altero vehementer commotos, in altero lenes; denique hos imperare [n], illos persuadere; hos ad perturbationem [o], illos ad benevolentiam prævalere. Adjiciunt 10

[b] *Forte leg.* Atqui. [c] hæc Jens. [d] dominetur G. Jens. [e] litigatore hoc caussarum lib. Jens. [f] efficient *id.* [g] petunt G. [h] cœperunt Jens. [i] possent *id.* [l] consequitur *id.* [m] species G. [n] impetrare G. [o] probationem G. Jens.

9. *voluntatem complecti*] h. e. *In finitione, quæ sit voluntas nominis, significationem, ut 7, 10, 1.* *quæritur.*

quidam peritorum, πάθος temporale esse. Quod ut accidere frequentius fateor, ita nonnullas credo esse materias, quæ continuum desiderent affectum. Nec tamen minus artis aut usus hi leniores [p] habent, virium atque impetus non tantumdem exigunt. In caussis vero etiam pluribus versantur, imo, secundum quemdam intellectum in omni-
11 bus. Nam, cum nisi [q] ex illo et hoc loco nihil ab oratore tractetur; quidquid de *honestis, et utilibus,* denique *faciendis et non faciendis* dicitur [r], huc [s] vocari potest. Quidam *commendationem* atque *excusationem* propria hujus officii putaverunt: nec abnuo [t] esse ista in hac parte; sed non
12 concedo, ut sola sint. Quin illud adhuc adjicio, πάθος atque ἦθος esse interim ex eadem natura, ita ut illud majus sit, hoc minus, ut *amor* πάθος, *caritas* ἦθος: interdum diversa inter se, sicut in epilogis; namque πάθος *concitat*, ἦθος solet *mitigare*. Propria tamen mihi vis [u] nominis et [x] exprimenda natura est, quatenus appellatione ipsa non
13 satis [z] significari [a] videtur. Ἦθος, quod intelligimus, quodque a dicentibus [b] desideramus, id erit, quod ante omnia *bonitate* commendabitur: non solum mite ac placidum, sed plerumque blandum et humanum, et audientibus amabile atque jucundum: in quo exprimendo summa virtus ea est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant, et
14 quodammodo agnoscantur. Quod est fine dubio inter conjunctas maxime personas, quoties *perferimus, ignoscimus, satis facimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio.* Sed tamen alia patris adversus filium, tutoris adversus pupillum, mariti adversus uxorem moderatio est: hi enim præ se [c] ferunt eorum ipsorum, a quibus læduntur [d], caritatem; neque alio modo invisos eos faciunt, quam quod amare ipsi videntur; alia, cum senex adolescentis, alia, cum convicium [e] honestus inferioris fert: hic enim tan-
15 tum concitari, illic etiam affici debet. Sunt et illa ex

[p] leviores Jens. [q] *om. id.* [r] discitur *id.* [s] hoc G. Jens. [t] ab uno *iid.* [u] hujus Jens. [x] *om. id.* [z] mihi *inf.* G. [a] significare G. Jens. [b] *Sic jam conjecerat Obr.* docentibus, *puto, omnes.* [c] *om.* Jens. [d] lædimur *id.* [e] vitium G. Jens.

11. *nisi ex illo et hoc loco*] Aut πάθος adhibet orator, aut ἦθος. Ubi illud locum non habet, hoc certe fusum admixtumque esse debet: nusquam enim non vir bonus, prudens, benevolus, videri debet orator. Observandum, *huc vocari*, et *hujus officii*, et *in hac parte*, ad *lenius genus* sive ἦθος referri: continuatur hæc relatio ad s. 17.

eadem natura, sed motus adhuc minoris, *veniam petere, adolescentiæ*[f] *defendere amores*. Nonnumquam etiam lenis[g] alieni caloris[h] derisus ex hac forma venit: sed non his ex locis tantum, verum aliquanto magis propriæ sunt virtutes *simulationis, satis faciendi, rogandi*, et[i] εἰρωνείας[k], quæ diversum ei, quod dicit, intellectum petit. Hinc 16
etiam ille major ad concitandum odium nasci affectus solet, cum hoc ipso, quod[l] nos adversariis submittimus, intelligitur tacita[m] impotentiæ exprobratio. Namque eos graves et intolerabiles id ipsum demonstrat, quod cedimus: et ignorant cupidi male dicendi, aut affectatores libertatis, PLUS invidiam, quam convicium, posse: nam
invidia adversarios, convicium nos invisos facit. Ille jam 17
pene medius affectus est, ex amoribus et ex desideriis amicorum et necessariorum. Nam et hoc major est, et illo minor. Non parum significanter etiam illa in scholis ἤθη dixerimus, quibus plerumque rusticos, superstitiosos, avaros, timidos, secundum conditionem propositorum[n] ef-

[f] adolescentiam Jens. [g] *Sic* G. Jens. levis *al.* [h] coloris G. [i] *om.* G. [k] εἰρωνία G. [l] quo G. Jens. [m] tacite Jens. [n] propositionum G. 2.

15. *lenis alieni caloris*] Ut in illo, *Bona verba quæso!* aut, *Parce, si videtur, arteriæ! Sed non his ex locis*, quos adhuc indicavimus, *tantum*, bonitas dicentis elucet &c.

15. *simulationis, satis f.*] Cum nihil solennius sit in his libris, quam diverso ordine poni voces, malim *simulationem* propius ironiæ adjungi hoc modo, *virtutes, satis faciendi, rogandi, simulationis et* εἰρωνείας. Cic. Acad. 4, 5, de Socrate, *Libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci* εἰρωνείαν *vocant.*

16. *quod nos adversariis sub.*] Sic nihil potentius cogitari potest ad odium atque invidiam concitandam Chrysogono illa oratione submissa et lenitatis vel patientiæ potius plenissima, quam vel de Roscio instituit, vel illi tribuit orator c. 49. sq. *Sed Roscius horum nihil indignum putat: neminem accusat: nihil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum* &c. plurimi enim versus describendi essent. Sed lege, qui, hoc Fabii præceptum quanti sit, cupis intelligere.

16. *et ignorant cupidi*] Nihil mutandum. Impotentes homines, maledici, qui a conviciis et verborum asperitate temperare sibi non possunt, et in hoc libertatem suam agi putant, ut quælibet in quemvis opprobria dicere possint. Hi igitur ignorant, quantam sibi fecerim injiciant illa intemperantia; ignorant, invidiam a lento et æquo ad speciem adversario sibi conflatam multo plus sibi, quam illi conjecta a se maledicta, apud animos hominum nocere. Add. 6, 4, 13.

17. *et hoc major*] Vid. dicta ad s. 11.

17. *etiam illa in scholis* ἤθη] Nihil ad docendum commodius, quam dividere τὰ ἤθη in *mores primæ personæ*, h. e. ipsius oratoris, tum *secundæ*, s. judicis vel generatim auditoris, ac *tertiæ* denique, h. e. eorum omnium, de quibus dicendum est; ac separatim deinde de unoquoque genere præcipere.

18 fingimus. Nam ſic ἤθη *mores* ſunt, cum hos imitamur, et ex his ducimus orationem. Denique hoc omne bonum et comem [o] virum poſcit. Quas virtutes cum etiam in litigatore debeat orator, ſi fieri poteſt, approbare, utique ipſe aut habeat, aut habere credatur. Sic proderit 6 plurimum cauſſis, quibus ex ſua bonitate faciet fidem. Nam qui, dum dicit, malus videtur, utique male dicit: non enim videtur juſta dicere, alioqui [p] ἠθος videretur. 19 Quare ipſum etiam dicendi genus in hoc placidum debet eſſe ac mite: nihil ſuperbum, nihil elatum ſaltem ac ſublime deſideret: proprie, jucunde, credibiliter dicere, ſat eſt: ideoque et medius ille orationis [q] modus maxime 7 20 convenit. Diverſum eſt huic, quod πάθος dicitur, quodque nos *affectum* proprie vocamus: et, ut proxime [r] utriuſque differentiam ſignem, illud comœdiæ, hoc tragœdiæ ſimile [s]. Hæc pars circa *iram*, *odium*, *metum*, *invidiam*, *miſerationem*, fere tota verſatur. Quæ quibus ex locis ducenda ſint, et manifeſtum omnibus, et a nobis in ra- 21 tione procemii atque epilogi dictum eſt. Et *metum* tamen duplicem intelligi volo, quem patimur, et quem facimus; et *invidiam*, namque altera [t] invidum, altera invidioſum facit. Hoc autem hominis, illud rei eſt, in quo et 22 plus habet operis oratio. Nam quædam videntur gravia per ſe, *parricidium*, *cædes*, *veneficium*; quædam efficienda ſunt. Id autem contingit, aut cum magnis alioqui malis gravius eſſe id, quod paſſi ſumus, oſtenditur; quale eſt apud Virgilium,

O felix una ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori.———

23 Quam miſer enim caſus Andromachæ, ſi comparata ei felix Polyxena? aut cum ita exaggeramus injuriam noſtram, ut etiam, quæ multo minora ſunt, intoleranda dicamus: *Si pulſaſſes, defendi non poteras*; *vulneraſti*. Sed hæc dili-

[o] communem G. [p] qui *inſ.* Jenſ. [q] oratoris *id.* [r] proprie G. [s] eſt G. [t] altera invidum *om.* G.

18. *alioqui* ἠθος *videretur*] Si juſta diceret, videretur in illo, appareret, ac proferret ſe illud *bonitatis* ἠθος, de quo loquimur.

19. *nihil elatum ſaltem*] Pro *ne quidem elatum quidquam*, &c. ut 10, 2, 15. 12, 11, 11.

21. *Hoc autem hominis, illud*] *Hoc* ad remotius refertur: *invidi homines, res invidioſæ*. Vid. ad 6, 1, 9.

22. *apud Virgilium*,] Æn. 3, 321.

gentius, cum ad [v] amplificationem venerimus, dicemus. Interim notaſſe contentus ſum, non id ſolum agere affectus, ut, quæ ſunt, oſtendantur acerba ac luctuoſa, ſed etiam ut, quæ toleranda haberi ſolent, gravia videantur: ut, cum in male dicto plus injuriæ, quam in manu, in infamia plus pœnæ dicimus, quam in morte. Namque in 24
hoc eloquentiæ vis eſt, ut judicem non ad id tantum impellat [x], in quod ipſe a rei natura duceretur: ſed aut, qui non eſt, aut majorem, quam eſt, faciat affectum. Hæc eſt illa, quæ δεινωσις vocatur, rebus indignis, aſperis, invidioſis addens vim oratio: qua virtute præter alios plurimum Demoſthenes valuit. Quod ſi tradita mihi ſequi præcepta 25
ſufficeret, ſatis feceram huic parti, nihil eorum, quæ legi, vel didici, quod modo probabile fuit, omittendo: ſed mihi in animo eſt, quæ latent penitus, ipſa hujus loci aperire penetralia; quæ quidem non aliquo tradente, ſed experimento meo, ac natura ipſa duce, accepi. Summa enim (quan- 26
tum ego quidem ſentio) circa movendos affectus in hoc poſita eſt, ut moveamur [z] ipſi. Nam et luctus, et iræ, et indignationis aliquando ridicula fuerit [a] imitatio, ſi verba vultumque tantum, non etiam animum, accommodaverimus. Quid enim aliud eſt cauſſæ, ut lugentes, utique in recenti dolore, diſertiſſime quædam exclamare videantur, et ira nonnumquam, in [b] indoctis [c] quoque, eloquentiam faciat, quam quod illis ineſt vis mentis, et veritas ipſa morum? Quare in iis, quæ veriſimilia eſſe volemus [d], ſimus 27
ipſi ſimiles eorum, qui vere patiuntur, affectibus: et a tali animo proficiſcatur oratio, qualem facere judicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, hoc cum dicam, non do-

[v] eam *inſ.* G. Jenſ. [x] compellat *iid.* [z] moveatur G. [a] ſunt ut G. [b] *om.* G. Jenſ. [c] indoctus G. [d] volumus Jenſ.

23. *ad amplificationem*] De qua 8, 4.

25. *non aliquo tradente*] Non tacuere tamen hoc præceptum magiſtri optimi. Sufficiat hic vel ſolus Tullius, qui v. g. de Orat. 2, 45. *Neque fieri poteſt*, inquit, *ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum miſericordiamque deducatur; niſi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipſo oratore impreſſi eſſe atque inuſti videbuntur.* Dicit deinde Craſſus, *Non mehercule umquam apud judices aut dolorem, aut miſericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui, quin ipſe in commovendis judicibus, iis ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer* &c. Cæterum ad hunc ipſum locum Ciceronis Fabium noſtrum, quod nolim, *inſolenter gloriatum* arguit Strebæus. Nam illud certe de *concipiendis imaginibus* non ita diſerte apud Tullium vel vetuſtiorem quemquam expreſſum legitur: licet res ipſa ſatis ſit indicata.

lentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat [e], id-
28 que exigit, ſimile patietur [f]? ſiccis agenti oculis lacrimas dabit? fieri non poteſt: NEC incendit, niſi ignis, nec madeſcimus, niſi humore: nec res ulla dat alteri colorem, quem ipſa non habet. Primum eſt igitur, ut apud nos valeant ea, quæ valere apud judicem volumus: afficiamur-
29 que, ante quam afficere conemur. At, quo modo fiet, ut afficiamur? neque enim ſunt motus in noſtra poteſtate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas φαντασίας Græci vocant, nos ſane *viſiones* appellemus: per quas imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo, ut eas cernere
30 oculis, ac præſentes habere videamur. Has quiſquis bene conceperit [g], is erit in affectibus potentiſſimus. Hunc [h] quidam dicunt ἐνφαντασίωτον [i], qui ſibi res, voces, actus ſecundum verum optime finget: quod quidem nobis volentibus facile continget. Nam, ut inter otia animorum, et ſpes inanes, et velut ſomnia quædam vigilantium; ita nos hæ, de quibus loquimur, imagines proſequuntur, ut peregrinari, navigare, præliari, populos alloqui, divitiarum, quas non habemus, uſum videamur diſponere, nec cogi-
31 tare, ſed facere. Hoc animi vitium ad utilitatem non transferemus [k]? Ut [l] hominem occiſum querar; non omnia, quæ in re præſenti accidiſſe credibile eſt, in oculis habebo? non percuſſor ille ſubitus erumpet? non expaveſcet circumventus? exclamabit? vel rogabit? vel fugiet?
32 non ferientem, non concidentem videbo? non animo ſanguis, et pallor [m], et gemitus, extremus denique exſpirantis hiatus inſidet? Inſequetur ἐνάργεια, quæ a Cicerone *illuſtratio et evidentia* nominatur, quæ non tam dicere videtur, quam oſtendere: et affectus non aliter, quam ſi rebus ipſis interſimus, ſequentur. An non ex his viſionibus illa ſunt,

[e] ſe *id.* [f] patiatur G. [g] ceperit G. 2. [h] has Jenſ. [i] ἐν πᾶσι σοφὸν G. [k] transferimus Jenſ. [l] At G. Jenſ. [m] pavor Jenſ.

28. *dat alteri colorem*] Non verſatur Fabius in rerum naturalium doctrina, aut circa experimenta chemicorum; alias facile eſſet exemplis iſta revincere tum vulgaribus tum reconditioribus: de ſimplici illo craſſoque adfrictu et contactu carbonum, rubricæ, ac pigmentorum agere eum apparet.

29. *Quas φαντασίας*] Vide de his ſummum magiſtrum Longinum c. 15. et quæ ad eum viri doctiſſimi.

32. *a Cicerone*] Acad. 4, 6. *Quod nihil clarius eſſet* ἐναργείᾳ, *ut Græci: perſpicuitatem aut evidentiam nos, ſi placet, nominemus. Illuſtrationis* nomine uſum videas de N. D. 1, 31. ſed alio intellectu. De orta ex φαντασίαις ἐναργείᾳ etiam Longin. l. c.

Excussi manibus radii, revolutaque pensa?

Et, 33

——Levique patens in pectore vulnus?

Et equus [n] ille in funere Pallantis,

——positis qui [o] insignibus
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora?

Quid? non idem [p] poeta penitus ultimi fati cepit imaginem, ut diceret,

——Et dulcis moriens reminiscitur Argos?

Ubi vero *miseratione* opus erit, nobis ea, de quibus queri- 34
mur, accidisse credamus, atque id [r] animo nostro persuadeamus. Nos illi simus, quos gravia, indigna, tristia passos queramur: nec agamus rem, quasi alienam, sed assumamus parumper illum dolorem. Ita dicemus, quæ in simili nostro casu dicturi essemus. Vidi ego sæpe histrio- 35
nes atque comœdos, cum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. Quod si in alienis scriptis sola pronuntiatio ita falsis accendit[s] affectibus: quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, ut moveri

[n] quos *id. male.* [o] *om.* G. Jens. [p] ille G. [r] in G. Jens. [s] *Sic* G. accedit, *quod sciam, alii omnes.*

32. *Excussi manibus*] Æn. 9, 476. de matre Euryali nuntio de filii morte perculsa. Alterum, *Levique patens*, est 11, 40. de Pallantis funere, ad quod etiam tertium de equo pertinet v. 89. Quartum, *Dulcis moriens*, est 10, 782. de Antore Herculis comite.

35. *Vidi ego sæpe histriones*] Viderat jam M. Antonius apud Cic. de Orat. 2, 46. *Sæpe ipse vidi, cum ex persona* (qua illa patet et prospectum liberum dat histrioni) *mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur* &c. Item p. p. *Quæ si ille histrio, quotidie cum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat: quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit.* Opportune huc advocatus jam est Gellianus ille Polus histrio 7, 5. qui *lugubri habitu Electræ* Sophocleæ, quam acturus erat, *indutus ossa atque urnam a sepulcro tulit filii, et quasi Orestis* (esset urna) *amplexus, opplevit omnia non simulacris neque imitamentis, sed luctu atque lamentis veris et spirantibus.* Sed ad hunc quidem non pertinent, quæ statim subjicit Quinctilianus.

35. *falsis accendit affectibus*] Fateor me hic, ut aliquoties, inepte iratum fuisse Gothanis membranis, quæ corrumperent mihi speratam ex emendatione hujus loci ingenii gloriolam. Scilicet *accendit* legendum putaram, et puto, etiam nullo alio auctore, quam perpetuo usu bonorum scriptorum, de affectibus ita loquentium. *Accedit*, quoquo te vertas, huic loco non ita accommodabis, ut digna Fabio sententia, verbis idoneis prolata, emergat.

36 periclitantium vice possimus [t]? Sed in schola rebus quoque ipsis affici convenit, easque veras sibi fingere, hoc magis, quod illic ut litigatores loquimur frequentius, quam ut advocati. Orbum agimus, et naufragum, et periclitantem: quorum induere [u] personas quid attinet, nisi affectus assumimus? Hæc dissimulanda mihi non fuerunt, quibus ipse, quantuscumque sum, aut fui, (nam perveniisse me ad aliquod nomen ingenii credo) frequenter motus sum, ut me non lacrimæ solum deprehenderint, sed pallor, et vero similis dolor.

III. (IV.) Huic diversa virtus, quæ *risum* judicis movendo et illos tristes solvit affectus, et animum ab intentione rerum frequenter avertit, et aliquando etiam reficit, et a satietate vel a fatigatione renovat. Quanta sit autem in ea difficultas, vel duo maximi oratores, alter Græcæ,
2 alter Latinæ eloquentiæ principes, docent. Nam plerique Demosthenis facultatem hujus rei defuisse credunt, Ciceronis modum. Nec videri potest noluisse Demosthenes, cujus pauca admodum dicta [x], nec sane ceteris ejus virtutibus respondentia, palam ostendunt, non displicuisse illi
3 jocos, sed non contigisse. Noster vero, non solum extra judicia, sed in ipsis etiam orationibus, habitus est nimius risus affectator. Mihi quidem, sive id recte judico, sive amore immodico præcipui in eloquentia viri labor [z], mira
4 quædam videtur in eo fuisse urbanitas. Nam et in sermone quotidiano multa, et in altercationibus [a], et interrogandis testibus plura, quam quisquam, dixit facete, et illa ipsa, quæ sunt in Verrem dicta frigidius, aliis assignavit, et testimonii loco posuit: ut, quo sunt magis vulgaria, eo sit credibilius, illa ab oratore non ficta, sed passim esse jac-
5 tata. Utinam Quintus, et [b] libertus ejus Tiro, aut [c] alius

[t] possumus Jens. *et al. ap. Bur. forte cum exclamatione intelligendum.* [u] inducere Jens. [x] ducta G. [z] laboro Jens. [a] altricationibus *hic et plerumque* G. [b] *om.* G. *Vid. no.* [c] et G. Jens.

2. *Demosthenis defuisse*] Cicero tamen Orat. c. 26. *Demosthenes minus habetur* facetus: *quo quidem nihil mihi videtur urbanius: sed non tam dicax fuit quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis.* Plutarchus in vita p. 1560. Ἐν ταῖς ἀπαντήσεσι ταῖς παρὰ τὸν καιρὸν, ἐχρῆτο καὶ τῷ γελοίῳ· ac deinde unum alterumque illius apophthegmatum refert.

5. *Utinam Quintus, et libertus*] Probabilis admodum est Mureti sententia V. L. 19, 6. legendum esse, ut ipse in veteri libro inveniisse ait, *utinamque libertus*. Fuit nimirum particula illa una modo litera *q* notata, quam arreptam aliquis *Quintum* et interpretatus est, et scripsit. Si quis nobis objicere vel-

quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsisset, et plus judicii in eligendis, quam in congerendis studii adhibuisset: minus objectus [d] calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni ejus ingenio, facilius, quid rejici, quam quid adjici possit, invenient. Affert autem summam rei 6
difficultatem, primum, quod ridiculum dictum plerumque falsum [dd] est, hoc semper humile; sæpe ex industria depravatum; præterea numquam honorificum: tum varia hominum judicia in eo, quod [e] non ratione aliqua, sed motu animi [f] quodam, nescio an enarrabili [g], judicatur. Neque hoc ab ullo satis explicari puto, licet 7

[d] abjectus locus Jens. *Inde conj. Bur.* obj. jocis calumniantium. [dd] falsum *editt. quædam insulse.* [e] *Sic* G. quia *al.* [f] *Sic* G. Jens. *et optimi quique ap. Bur. Alii* animi *om.* [g] errabili Jens.

let majuscula litera scribi Prænomen, convinctionem minuscula, illum a criticis disputationibus interim abstinere jussero. Cæterum favet huic sententiæ Gothanus liber, omittenda τῆ *et:* favet hoc in primis, quod de illo Quincti fratris libro nulla præterea memoria: quin ab ingenio viri, et a simultatibus postremi temporis, abhorrere videtur honor ille fratri habitus. Cæterum, ut minus desideremus illos Tironis libros, tum ipse præstitit Cicero Fam. 7, 32. et in primis de Orat. 2, 58. sqq. in quem locum exstat Io. Passeratii præfatiuncula apud Patissonium in off. Ro. Stephani 1594, 8. atque Adv. Turnebi commentarius aliquoties editus; tum elegantissimus Vayassor, qui undique Ciceronis jocos congessit, iisque bonam partem libri de ludicra dictione implevit. His igitur nos solemur, cum ad nos non pervenit liber de iisdem Trebonii, de quo gratias illi agit Cicero Fam. 15, 21: neque ipsius Julii Cæsaris volumina ἀποφθεγμάτων, in quæ Ciceronis quoque dicta, nescio an sola, referebat, de quibus ibid. 9, 16. Nimirum hæc eadem videntur *dicta collectanea*, a puero jam cœpta, quæ cum aliis patris sui publicari vetuit Augustus. Vid. Sueto. c. 57. et ibi Burm.

6. *hoc semper humile*] Illiberale semper, et servis quam liberis hominibus dignius habitum est mentiri.

6. *nescio an enarrabili*] Non puto loqui illum de mechanica ratione, qua corpus in risu movetur, sed de eo, quid animum ad excitandum in corpore risum moveat. Et sane difficile videtur una quasi formula comprehendere omnia, et dicere, quibus rebus positis risus consequatur. Et forte adhuc verum est illud Cic. de Orat. 2, 54. *Omni de re facetius puto posse ab homine non inurbano, quam de ipsis facetiis, disputari.—Qui ejus rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, rideatur. Quare mihi quidem nullo videtur modo doctrina ista res posse tradi.* Add. c. 58. Equidem, parum abest, quin *ridiculi* non minus quam *pulchri* rationem tantum non omnem ad sensum quendam sui generis referam, in quo non multo plus quam de saporibus, odoribusque, et sonis disputari possit, licet in quibusdam eorum majori hominum parti conveniat.

multi tentaverint, unde *risus*; qui[h] non solum facto aliquo dictove, sed interdum quodam etiam corporis tactu[i], lacessitur: præterea non, ut[k] oratione moveri soleat: neque enim acute tantum ac venuste, sed stulte, iracunde, timide dicta aut[l] facta ridentur: ideoque anceps ejus rei
8 ratio est, quod a *derisu* non procul abest *risus*. *Habet* enim, ut Cicero dicit, *sedem in deformitate aliqua et turpitudine:* quæ cum in aliis demonstrantur, *urbanitas:* cum in ipsum[m] dicentem recidunt, *stultitia* vocatur. Cum videatur autem res levis, et quæ a scurris, mimis, insipien-

[h] *Sequimur hic fidem primæ editt. et Mureti* V. L. 19, 16. *Al. sic:* tentaverint. Unde risus quidem. [i] *Sic Regius et Muretus l. c. itemque editt. quædam:* tractu *al.* [k] *Sic emendavimus ex V. C. Almel. qui habet* non ut ratione. *Sed* non ut narratione mov. soleat G. Jens. non una ratione moveri solet *rel. ex correct. Regii.* [l] ac Jens. [m] ipsos dicentis G. *et al. ap. Bur.*

7. *etiam corporis tactu*] Mirum viros aliquot doctissimos de verissima hac Regii emendatione dubitare, quin adspernari eam superbe potuisse. Ita plane pueritiæ suæ et liberorum suorum, ita juvenilium ludorum et κυμβίας ἀλόχου, obliti sunt, ut nesciant inter præcipuas risus vel causas vel occasiones esse *tactum* ac titillationem partium quarundam corporis nostri, earum præsertim, quibus insolitum est aliena manu tangi? *Tractum* nobis dedere boni librarii; quem ut huc *traherent*, πάντα κάλων ἐκίνησαν viri eruditissimi. Francius, qui *tractum* importunum putaret, *factum* maluit. Atqui, si *tactus* mentionem non fecit Fabius, omisit unam familiarissimam risus occasionem: *tractum*, i. e. gestum distortum depravatumque corporis (huc enim evadit denique ille *tractus*) si dixit, nihil dixit, quod non *facto* comprehendatur. Tres sunt portæ, per quas adit ad animum ridiculum: per oculos *facta*, *dicta* per aures, *tactus* ille titillosus per partes nerveas, quas diximus. Quoniam hic sumus, adscribamus locum Plinii 11, 38. s. 77. Loquitur de membrana principe, quam *Diaphragma* nunc, veteres φρένας et *præcordia* vocabant: *In eadem*, inquit, *præcipua hilaritatis sedes, quod titillatu maxime intelligitur alarum, ad quas subit: non alibi tenuiore cute humana, ideo scabendi dulcedine ibi proxima. Ob hoc in præliis gladiatorumque spectaculis mortem cum risu trajecta præcordia attulerunt.* Ex Aristotele sumta, ostendit Harduinus. De *corporis tactu* risus fonte quæ diximus, ea illustrat illud Nemesia. ecl. 3, 29. ubi Bacchum, alumnum suum parvulum, *vocat ad risum digito* Silenus.

7. *præterea non, ut*] Pendet hoc ex superioribus, *Præterea non puto hoc satis ab ullo explicari.* Hoc dicit, cum generatim explicari non possit origo risus, et quasi genesis: tum in oratione, de qua scilicet hic sermo est, ut excitari soleat, obscurum esse, idque inde intelligi adeo, quod res ita diversæ risum movent &c. Qui ad varietatem supra propositam respexerit, uno alteroque vix apice nos a librorum fide, in quantum de ea nobis constat, discessisse, comperiet.

8. *ut Cicero dicit*] De Orat. 2, 58. ex persona Cæsaris, *Locus et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur: hæc enim ridentur vel sola, vel maxime, quæ notant, et designant turpitudinem aliquam non turpiter.*

tibus denique ſæpe moveatur; tamen [m] habet vim neſcio an imperioſiſſimam, et cui repugnari minime poteſt: erum- 9
pit enim etiam invitis ſæpe: nec [n] vultus modo ac vocis exprimit confeſſionem, ſed totum corpus vi ſua concutit. Rerum autem ſæpe (ut dixi) maximarum momenta vertit, cum odium iramque frequentiſſime frangat. Documento 10
ſunt juvenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege ſecurius inter cœnam locuti, cum rationem facti repoſcerentur [o], et neque negari res, neque defendi poſſet, riſu ſunt et opportuno joco elapſi. Namque unus ex his, *Immo*, inquit, *niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te:* eaque urbanitate tota eſt invidia criminis diſſoluta. Verum hoc, quidquid eſt, ut 11
non auſim dicere carere omnino [p] arte; quia non [q] nullam obſervationem habet, ſuntque ad id pertinentia et a Græcis et a Latinis compoſita præcepta: ita plane affirmo, præcipue poſitum eſſe [r] *in natura* et *in occaſione*. Porro *natu-* 12
ra non tantum in hoc valet, ut acutior quis atque habilior ſit ad inveniendum, (nam id ſane doctrina poſſet [s] augeri) ſed ineſt proprius quibuſdam decor in [t] habitu atque vultu, ut eadem illa minus, dicente alio, videantur urbana eſſe. *Occaſioni* vero et in rebus eſt tanta vis, ut ſæpe ad- 13
juti ea non indocti modo, ſed etiam ruſtici falſe dicant in [u] eum, quiſquis aliquid dixerit prior. Sunt enim longe venuſtiora omnia in reſpondendo, quam in provocando. Accedit difficultati, quod ejus rei nulla exercitatio eſt, 14
nulli præceptores. Utique in conviviis et ſermonibus

[m] tum *pro* tamen *eſt Gothæ in utroque codice, quod repudiari nolit Heuſingerus.* [n] fluctus ope *inſ.* G. fultus ope *inſ.* Jenſ. *expungendas eſſe cenſuit etiam Muretus l. c.* vultus *male ſcripſerat librarius: alius interpolavit.* [o] repoſceret Jenſ. [p] omni Jenſ. [q] *om. id.* [r] *om. id.* [s] poſſit G. Jenſ. [t] *om. id.* [u] et in eo quis aliquid Jenſ. in quiſquis al. G. *Vid. no.*

9. *erumpit invitis*] Cic. l. c. *Ita repente erumpit, ut eum cupientes tenere, nequeamus: et ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupat.*

9. *exprimit confeſſionem*] Erat, cum ſuſpicarer *confuſionem*. Sed ultro damno. Hoc indicatur, ita vultu, voce, concuſſione corporis prodi riſum, ut diſſimulari nullo modo poſſit. Sexcenties ita *fateri*, et *confiteri* ponuntur.

10. *juvenes Tarentini*] Narrat Val. Max. 5, 1, 3. ext. et Plut. in Pyrrho p. 708. H. Steph. Sed multo argutius noſter. Ille, *Niſi vinum nobis defeciſſet, iſta, quæ tibi relata ſunt, præ iis, quæ de te locuturi eramus, luſus ac jocus fuiſſent.* Hic, Πλείονα τούτων εἰρήκειμεν, εἰ πλείων παρῆν οἶνος ἡμῖν. Si vitam Plutarchi et Maximi miles, Fabianus profecto inſuper aureum tripoda meruit.

13. *in eum, quiſquis*] Non prætermittenda Gothana lectio, *Salſe dicant, in quiſquis aliquid dixerit prior*, omiſſo *eum*. Eſt enim ellipſis oppido elegans, ſimilis illi Liv. 23, 9, pr. *Per ego te, fili, quæcumque jura liberos jungunt* &c. Ter. Ad. 2, 1, 43. *Minime miror, qui inſanire occipiunt ex injuria.*

multi dicaces; sed, quia in hoc usu quotidiano proficimus, oratoria urbanitas rara, nec ex arte [x] propria, sed
15 ad hanc consuetudinem accommodata [y]. Nihil autem vetabat [z] et componi materias in hoc idoneas, ut controversiæ permixtis salibus fingerentur: vel res proponi sin-
16 gulas ad juvenum talem exercitationem. Quin illæ ipsæ quæ *Dicta* sunt, ac vocantur, quas certis diebus festæ licentiæ dicere solebamus, si [a] paullum adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his serium [b] quoque esset admixtum, plurimum poterant [c] utilitatis afferre: quæ nunc juvenum, vel sibi ludentium exercitatio est. Pluribus autem nominibus in eadem re vulgo utimur: quæ tamen si
17 deducas [d], suam propriam quamdam vim ostendent. Nam et *urbanitas* dicitur: qua quidem significari video sermonem præ se [e] ferentem in verbis et sono et usu proprium quemdam gustum [f] Urbis, et sumtam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem; denique, cui contraria
18 sit *rusticitas*. *Venustum* esse, quod cum gratia quadam et [g] venere dicatur, apparet. *Salsum* in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus, natura non utique hoc est; quamquam et ridicula oporteat esse salsa. Nam et Cicero, *omne, quod salsum sit* [h], ait *esse Atticorum*; non, quia sunt [i] maxime ad risum compositi: et Catullus, cum dicit,

Nulla in tam magno est corpore mica salis,

non [k] hoc dicit [l], nihil in corpore ejus esse ridiculum.
19 *Salsum* igitur erit, quod non erit [m] insulsum, velut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente judicio, et [n] velut palatum [o] excitat, quod et a tædio

[x] parte G. [y] commendata G. Jens. [z] vetabit G. [a] sed G. [b] verum G. 2. *forte* severum. [c] poterat Jens. poterant *plures ap. Bur.* poterunt *al.* [d] diducas *ex corr. Regii: nobiscum* Jens. [e] præferentem Jens. præsentem G. [f] gestum G. [g] ex Venere dictum app. Jens. [h] *om. id.* [i] *Forte* sint: *pertinet enim ad sententiam Ciceronis.* [k] *om.* G. Jens. *Sed postulat sententia, quod vidit Mur. l. c. frustra repugnante Vossio ad Catull. p.* 311. *sq. Tuetur pulchre Bur.* [l] *Illud* non *præsidium etiam invenit in* G. 2. [m] est G. [n] *om.* G. [o] palato excitatque G.

16. *Dicta*] Vid. quæ dicemus ad s. 36.

16. *si deducas*] Originem eorum, etymologiam, et usum persequaris. *Diducas*, h. e. separes, quod Regius intulit, nescio quam conveniat: vel potius non convenire video.

18. *Cicero*] Orat. c. 26. *Quidquid est salsum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est: e quibus tamen non omnes faceti.*

defendit orationem. Sane tamen, ut ille, in cibis paullo liberalius aſperſus, ſi tamen non ſit immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis: ita hi quoque in dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi ſitim. *Facetum* quoque non tantum circa ridicula opinor conſiſtere. Ne- 20
que enim diceret Horatius, *facetum carminis* [p] *genus natura conceſſum eſſe Virgilio.* Decoris hanc magis, et excultæ cujuſdam elegantiæ appellationem puto. Ideoque in epiſtolis Cicero hæc Bruti refert verba, *Næ illi* [q] *ſunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti molles* [r]. [Quod [s] convenit cum illo Horatiano,

———*Molle atque facetum Virgilio.*]

Jocum vero accipimus, quod eſt contrarium ſerio. Nam 21
et fingere, et terrere, et promittere interim, jocus eſt. *Dicacitas* ſine dubio a dicendo, quod eſt omni generi commune, ducta eſt: proprie tamen ſignificat ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem. Ideo Demoſthenem *urbanum* 22
fuiſſe dicunt, *dicacem* negant. Proprium autem materiæ, de qua nunc loquimur, eſt *ridiculum*: ideoque hæc tota diſputatio a Græcis περὶ [t] γελοίων inſcribitur. Ejus prima diviſio traditur eadem, quæ eſt omnis orationis, ut ſit poſitum *in rebus*, aut *in verbis*. Uſus autem maxime ſimplex [u]. Aut enim *ex aliis* riſum petimus, aut *ex nobis*, aut 23
ex rebus mediis. *Aliena* aut [v] *reprehendimus*, aut *refutamus*, aut *elevamus*, aut *repercutimus*, aut *eludimus*. *Noſtra*, *ridicula* [x] *indicamus*, et, ut verbo Ciceronis utar, dicimus *aliqua ſubabſurda*. Namque eadem, quæ, ſi imprudenti-

[p] Catonis Jenſ. Catoni G. Cato minus *al.* Cautionis *al.* Orationis *al.* *Forte fuit* cris, *e quo illa varietas.* [q] ulli G. Jenſ. [r] mollius Jenſ. [s] *Inſuſa gloſſema puto.* [t] περισσολογία G. [u] *Vid. leg.* triplex: *aut, quod in mentem veniebat Francio,* minime ſimplex. [v] autem G. Jenſ. [x] ridicule *conj. Reg.*

20. *Horatius*] Sat. 1, 10, 44. *Molle atque facetum Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camenæ.* Recte hinc argumentatur Fabius, *facetum* non ſimpliciter pertinere ad ridiculum. Neque enim quidquam in Georgicis Bucoliciſve eſt ex eo genere.

22. *Demoſthenem*] Vid. ad ſ. 2.

23. *ridicula indicamus*] Conjecturam Regii ſupra propoſitam probat etiam Pearce ad Cic. de Orat. 2, 71. p. 259. quem reſpexit Fabius. Verba ſunt, *Hæc autem, quæ ſunt in re, et in ipſa ſententia, partibus ſunt innumerabilia, generibus pauca: exſpectationibus enim decipiendis, et naturis aliorum irridendis, ipſorum* (qui loquuntur, naturis) *ridicule indicandis, et ſimilitudine turpioris, et diſſimulatione, et ſubabſurda dicendo, et ſtulta reprehendendo, riſus moventur.*

bus excidant, *ſtulta* ſunt; ſi ſimulamus, *venuſta* credun-
24 tur. Tertium eſt genus, ut idem dicit, in *decipiendis ex-ſpectationibus*, dictis aliter accipiendis, ceteriſque, quæ neutram perſonam contingunt, ideoque a me *media* di-
25 cuntur. Item *ridicula* aut dicimus, aut facimus. Facto riſus conciliatur, interim admixta gravitate: ut Marcus Cœlius [y] prætor, cum ſellam ejus curulem conſul Iſauricus fregiſſet, alteram poſuit loris intentam; dicebatur autem Cos. a patre aliquando cæſus flagris: interim ſine reſpectu pudoris, ut in illa *pyxide* [z] *Cœliana*, quod neque
26 oratori, neque ulli gravi viro conveniat. Idem autem de [a] vultu geſtuque ridiculo dictum ſit: in quibus eſt quidem ſumma [b] gratia, ſed major [c], cum captare riſum non videntur: nihil enim ex iis [d], quæ dicuntur [e] *falſa* [f], dicitur [g] falſius [h]. Quamquam autem gratiæ plurimum dictis ſeveritas affert, ſitque [i] ridiculum id ipſum, quia, qui dicit, non ridet: eſt tamen interim et *aſpectus* et *habitus oris* et
27 *geſtus* non inurbanus [k], cum iis modus contingit. Id porro, quod dicitur, aut eſt *laſcivum* et *hilare*, qualia Galbæ pleraque: aut *contumelioſum*, qualia nuper Junii [l] Baſſi: aut *aſperum*, qualia Caſſii Severi: aut *lene* [m], qualia Domitii Afri. Refert, his ubi quis utatur. Nam in conviviis [n] et quotidiano ſermone *laſciva* humilibus, *hilaria*
28 omnibus conveniunt. Lædere [o] numquam velimus, longeque abſit propoſitum illud, *Potius amicum, quam dictum perdidi* *. In hac quidem pugna forenſi [p] malim mihi le-

[y] Cæcilius G. Jenſ. *Sed* Coelium *recte tuetur Burm.* [z] pypſide G. apodixe Jenſ. [a] ſi Jenſ. [b] *om.* G. [c] majorem capt. G. [d] G. 2. nihil enim eſt his quæ dicunt falſa dicuntur inſulſius: *unde hanc lectionem eruas*, nihil enim eſt his, quæ ſicut falſa dicuntur, inſulſius. [e] dicunt G. Jenſ. [f] falſa G. [g] dicuntur G. Jenſ. [h] inſulſius G. Jenſ. [i] *Sic* G. Jenſ. *et plur. ap. Bur.* ſit *al.* [k] inurbanitas G. [l] Lambaſſi G. Janibaſſi Jenſ. [m] leve *id.* [n] convictibus *id.* [o] *Sic conj. Burm. Rollinus, not.* Ludere *vulg.* * perdendi *emend. Mur.* V. L. 19, 6. [p] forenſium G. Jenſ. forenſi etiam *conj. Bur.*

25. *admixta gravitate*] Vultus præſertim ad ſeveritatem compoſiti: *Qui quidem*, Ciceronem iterum audis de Orat. 2, 71. *quo ſeverior eſt et triſtior,—hoc illa, quæ dicuntur, ſalſiora videri ſolent.*

25. *pyxide Cœliana*] In qua venenum paratum dicebatur Clodiæ. De re ipſa Cic. c. 25. ſq. Quæ autem ſit *obſceniſſima fabula commenticiam eam pyxidem conſecuta*, de qua Tullius c. 29. et hic Fabius, ignorari hodie, æquo animo feramus potius, quam commentis, ut Abramius ad Ciceronem fecit, ſudamus.

26. *nihil enim—falſius*] Sententia quid hic poſcat, apparet, inſulſos eſſe ſales, quos ſuo riſu ipſe, qui profert, commendet, h. e. corrumpat: quibus verbis hoc dixerit Fabius, non æque liquet. Forte ita, *Nihil enim eſt iis, quæ dicuntur falſa*, h. e. pro falſis venditantur, *inſulſius.*

nibus uti licere[q]: quamquam[r] et contumelioſe et aſpere dicere in adverſarios permiſſum eſt: cum accuſare etiam palam, et caput alterius juſte[s] petere conceſſum ſit. Sed hic quoque tamen inhumana videri ſolet fortunæ inſectatio: vel quia culpa caret, vel quia recidere[t] etiam in ipſos, qui objecerunt, poteſt. Primum itaque conſiderandum eſt, et *quis*, et *in qua cauſſa*, et *apud quem*, et *in quem*, et *quid dicat*. Oratori minime convenit diſtortus vultus, geſtuſque, quæ in mimis rideri ſolent. *Dicacitas* 29
etiam ſcurrilis et ſcenica huic perſonæ alieniſſima eſt. *Obſcœnitas* vero non a verbis tantum abeſſe debet, ſed etiam a ſignificatione. Nam, ſi quando objici[u] poteſt, non in omni loco exprobranda eſt. Oratorem præterea ut dicere urbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. 30
Quapropter ne dicet quidem ſalſe, quoties[x] poterit, et dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem. Nec accuſatorem autem atroci in cauſſa, nec patronum in miſerabili jocantem feret quiſquam. Sunt etiam 31
judices quidam triſtiores, quam ut riſum libenter patiantur. Solet interim accidere, ut id, quod in adverſarium dicimus, aut in judicem conveniat, aut in[y] noſtrum quo- 32
que litigatorem: quamquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipſos recidere poſſit, evitent: quod fecit Longus Sulpicius, qui, cum ipſe fœdiſſimus eſſet[z], eum, contra quem judicio liberali aderat, *ne faciem quidem habere liberi hominis dixit:* cui reſpondens Domitius Afer, *Et*[a] *tu*, inquit, *ex animi ſententia, Longe? qui malam faciem habet, liber non eſt?* Vitandum etiam, ne *petulans*, ne *ſuperbum*[b], ne *loco*, ne *tempore alienum*, ne *præparatum et* 33
domo allatum videatur, quod dicimus. Nam ADVERSUS

q *Sic plerique MSS. ap. Bur.* uti decere G. interdicere *rel.* r *Uterque Gothanus habet* nonnunquam. s injuſte Jenſ. *et al.* t redire G. Jenſ. u obici G. *in poetis id frequentiſſimum, ut* abicit, reicit, *&c.* x quotiens G. Jenſ. y *om.* Jenſ. z ad *inf. id.* a *om.* G. Jenſ. b ſuperbus Jenſ. *f.* ſuperbius.

28. *juſte petere*] Qui viderat non tantum *juſte* accuſare licere, ſed quoquo modo; illud in oppoſitum *injuſte* mutavit. Sed nihil opus erat: *juſte* enim hic ea ſignificatione poni videtur, qua *juſtum* vocatur, quidquid habet naturam aut modum ſibi debitum, ut ſit, quod eſſe dicitur; ut *juſte petere* ſit, plane, non diſſimulanter, nec oblique, ſed omni paratu, et dedita opera oppugnare alicujus caput et fortunas.

32. *ex animi ſententia*] Hæc formula cum in juris jurandi cærimonia et interrogationibus cenſoriis præponi ſolita fuerit, vid. Briſſo. 8, 9. p. 689, eam vim habet, ac ſi dixiſſet, An jurare paratus es rem ſe ita habere?

33. *domo allatum*] Cic. de Orat. 2, 60. de his, quæ in totum aliquod genus conveniunt, *quia me-*

miseros, sicut supra dixeram, inhumanus est jocus. Sed quidam ita sunt receptæ auctoritatis et notæ verecundiæ, ut nocitura sit in eos dicendi [c] petulantia. Nam de ami-
34 cis jam præceptum est. Illud non ad orandi [d] fere consilium, sed ad omnia [e] pertinet, ne lacessat hoc modo, quem lædere sit periculosum, ne aut inimicitiæ graves insequantur, aut turpis satisfactio. Male etiam dicitur, quod in plures convenit: si aut nationes totæ incessantur, aut ordines, aut conditio, aut studia multorum. Ea, quæ dicit vir bo-
35 nus, omnia salva [f] dignitate ac verecundia decent [g]. NIMIUM enim risus pretium est, si probitatis impendio [h] constat. Unde autem concilietur risus, et quibus ex locis peti soleat, difficillimum est dicere. Nam, si species omnes persequi velimus, nec modum reperiemus, et frustra laborabimus. Neque enim [i] numerosi minus sunt loci, ex
36 quibus hæc *dicta* [k], quam illi, ex quibus eæ [l], quas *sententias* vocamus, ducuntur, neque alii. Nam hic quoque est *inventio* et *elocutio*, atque ipsius elocutionis vis, alia in verbis, alia in figuris. *Risus* igitur oriuntur, aut *ex* [m] *corpore*
37 ejus, in quem dicimus; aut *ex animo*; qui factis ab eo dictisque colligitur; aut *ex his, quæ sunt extra posita*. Intra hæc enim est omnis vituperatio: quæ si gravius posita sit, *seria* [n] est [o]; si levius, *ridicula*. Hæc aut ostenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur. Rarum est
38 autem, ut oculis subjicere contingat, ut fecit C. Julius [p], qui cum Helvio [q] Manciæ sæpius obstrepenti sibi diceret,

[c] *Leg. vid.* dicenti. [d] horam G. [e] homines G. [f] falsa Jens. *male.* [g] *Forte* dicet. [h] compendio G. Jens. *male.* [i] *om.* Jens. [k] ducta *id. male.* [l] caussæ G. eas Jens. [m] in Jens. [n] severa G. Jens. [o] sit Jens. [p] G. 2. *sic*, C. Lucilius qui cum Helnio mancipe. [q] Helvio Mancino G. *et alii plur. ap. Burm.* Helio Mancipi Jens. Helmio *rel.*

ditata putantur esse, minus videntur. Sed proprie respicit ad Orat. 26. *Vitabit etiam quæsita, nec ex tempore ficta, sed domo allata, quæ plerumque sunt frigida.*

33. *Adv. miseros*] Supra s. 30. ubi etiam *de amicis*, quod jam revocabit.

33. *in eos dicendi*] Non plane equidem damno receptam omnibus, quod sciam, lectionem. Sed illud me movet, ut *dicenti* malim, quia sic exprimitur ille, cui noceat petulantia: nimirum ipsi dicenti, qui *fragili quærens illidere dentem Offendit solido*, instar serpentis arrodere limam conati.

36. *hæc dicta*] Proprium quasi nomen brevium jocorum. Cic. de Orat. 2, 54. cum laudavit illud Ennii, *flammam a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat*; subjicit, *Hæc scilicet bona dicta, quæ falsa sunt: nam ea* dicta *appellantur proprio jam nomine*. Sæpius ita eod. capite. Vid. supra 6, 3, 16.

38. *Helvio Manciæ*] *Helvium* non minus justum est hic legi, quam Ciceroni de Orat. 2, 66, reddit il-

Jam[r] *oſtendam, qualis ſis:* iſque plane inſtaret interrogatione, qualem ſe tandem[s] oſtenſurus eſſet, digito demonſtravit imaginem galli in ſcuto Mariano[t] Cimbrico pictam, cui Mancia[u] tum ſimillimus eſt viſus. Tabernæ autem erant circa forum, ac ſcutum illud ſigni gratia po- 39
ſitum[x]. Narrare, quæ falſa ſint, in primis eſt ſubtile et oratorium: ut Cicero pro Cluentio narrat *de Cepaſio atque Fabricio:* ac[z] Marcus Cœlius *de illa C.*[a] *Lælii collegæque ejus in provinciam feſtinantium contentione.* Sed in his omnibus cum elegans et venuſta exigitur tota expoſitio, tum id eſt[b] feſtiviſſimum, quod adjicit orator. Nam et a Cicerone ſic eſt[c] Fabricii fuga illa condita[d]: *Itaque cum* 40
callidiſſime ſe putaret dicere, et cum illa verba graviſſima ex intimo artificio depromſiſſet: Reſpicite, judices[e], *hominum fortunas, reſpicite varios duroſque*[f] *caſus, reſpicite C. Fabricii ſenectutem: cum hoc,* reſpicite, *ornandæ orationis cauſſa ſæpe dixiſſet, reſpexit ipſe: at*[g] *Fabricius a ſubſelliis demiſſo capite diſceſſerat,* et cetera, quæ adjecit: nam eſt notus locus: cum in re hoc ſolum eſſet, *Fabricium a judicio receſſiſſe.* Et Cœlius cum omnia venuſtiſſime finxit, tum illud ultimum, *Sic*[h] *ſubſecutus quo modo tranſierit, utrum* 41
rate, an piſcatorio navigio, nemo ſciebat. Siculi quidem, ut

r Etiam G. Jenſ. s tamen Jenſ. t *om.* G. Jenſ. u Manceps G. Jenſ. x *om.* G. z at G. Jenſ. a D. G. b *om.* G. c a G. d credita Jenſ. e inquit G. f dubios *Cic. quæ nomina confundi ſæpe, hic docet Bur.* g *om.* G. Jenſ. h Hic G.

lum doctiſſimus Pearcius. Cæterum, ſi quis comparet inter ſe Tullii locum et Plinii 35, 4. ſ. 8. et hunc noſtrum, videbit, multum inter ſe illos diſcrepare; vel diverſa forte narrare, ſed ſimilia. Si Fabium ſolum legas, nihil eſt pronius, quam gallum volucrem cogitare, animal obſtreperum; quod pingi, ac ruditer quidem, in ſcuto Cimbri hominis, probabile eſt, idque ſcutum Mariana victoria ei ablatum, pro inſigni tabernæ pendere. Sed ita deſcribit gallum Cicero, *diſtortum, ejecta lingua, buccis fluentibus*; quod ultimum certe non ſatis commode transferri ad volucrem videtur. Si enim palearia illa intelligas; neſcio, quid hoc ad ſimilitudinem Manciæ. Plinius non Julium auctorem dicti facit, ſed Craſſum, eumque oſtendiſſe *in tabula pictum inficetiſſime gallum exſerentem linguam.* Quod ſub *veteribus* rem geſtam ait Plinius, Cicero *ſub novis* tabernis: illud pro temporum diverſitate verum eſſe poteſt utrumque. Sed totum hoc non magni eſt momenti: modo in majoribus melius ſibi interdum conſtarent ſcriptores. Etiam hoc poſtea in mentem venit, forte Ciceroni, cum hanc narratiunculam tractaret, obſervatum illum Gallum, qui pugnavit cum T. Manlio, de quo Liv. 7, 10, 5, *adverſus Gallum ſtolide lætum, et (quoniam id quoque memoria dignum antiquis viſum eſt) linguam etiam ab irriſu exſerentem,* &c.

39. *pro Cluentio*] c. 21.

sunt lascivi et dicaces, aiebant in delphino sedisse, et sic tam-
42 *quam Ariona transvectum.* In narrando autem Cicero consistere *facetias* putat, *dicacitatem* in jaciendo[i]. Mire fuit in hoc genere venustus *Afer Domitius*, cujus orationibus complures hujusmodi narrationes insertæ reperiuntur: sed dictorum quoque ab eodem[k] urbane sunt editi libri.
43 Illud quoque genus est positum non in hac veluti jaculatione verborum[l], et inclusa breviter urbanitate, sed in quodam longiore actu: quod de Crasso *contra Brutum* Cicero *in secundo de oratore libro*, et aliis quibusdam locis narrat.
44 Nam, cum Brutus in accusatione Cn.[m] Planci ex duobus lectoribus ostendisset, contraria L. Crassum patronum ejus in oratione, quam de Colonia Narbonensi habuerat, suasisse iis, quæ de lege Servilia dixerat[n]; tres excitavit et ipse lectores, hisque patris ejus dialogos dedit legendos: quorum cum *in Privernati* unus, alter *in Albano*, tertius *in Tiburti* sermonem habitum complecteretur, requirebat, *Ubi essent eæ possessiones?* Omnes[o] autem illas Brutus vendiderat: et, cum paterna manciparet[p] prædia, turpis
45 habebatur. Similis in apologis quoque et quibusdam etiam interim historiis exponendis[q] gratia consequi solet. Sed acutior est illa atque velocior in urbanitate *brevitas*. Cujus quidem duplex est forma, *dicendi*, ac *respondendi*:
46 sed ratio communis in parte: nihil enim[r] in lacessendo dici potest, quod[s] non etiam in repercutiendo: at propria quædam sunt respondentium: illa etiam[t] ira concitati afferre solent: hæc plerumque in altercatione, aut in rogandis testibus requiruntur. Cum sint autem loci plures, ex quibus dicta ridicula ducantur, repetendum est
47 mihi, non omnes eos oratoribus convenire. In primis autem *ex amphibolia*, neque illa obscura, quæ Atellanæ[u] more captent, nec, qualia vulgo jactantur a[v] vilissimo

[i] faciendo G. Jens. [k] eorum Jens. [l] Dictorum G. 2. *quæ forte glossa est. Cæterum ab hac* jaculatione *Fabium dictum esse* jaculatorem *Juven.* 7, 193. *in præfatione* §. 12. *observatum est.* [m] C. G. Caii Jens. [n] dixerit Jens. [o] omnis G. Jens. [p] nuncuparet G. *ex* mancuparet, *quomodo edidit Obr.* [q] exponendi G. Jens. [r] quod Jens. [s] *am. id.* [t] et G. [u] Atellanio G. Atellaniæ Jens. [v] *om.* G. Jens.

42. *in jaciendo*] Cic. Orat. c. 26. Salium *duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis: utetur utroque, sed altero in narrando aliquid venuste, altero in jaciendo mittendoque ridiculo.* Paullo aliter de eadem re de Orat. 2, 54. *In utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est.* Add. dicta Burm. ad Petro. c. 109.

43. *de Crasso*] De Orat. 2, 55. it. pro Cluent. c. 51.

47. *quæ Atellanæ more captent*] Non vult Fabius captare oratorem

quoque, converſa in male dictum fere ambiguitate. Ne illa quidem, quæ Ciceroni aliquando, ſed non in agendo, exciderunt, ut dixi [x], cum is candidatus, qui coqui [y] filius habebatur, coram eo ſuffragium ab alio [z] peteret; *Ego quoque tibi jure* [a] *favebo.* Non, quia excludenda ſint omnino verba, duos ſenſus ſignificantia: ſed, quia raro belle [b] reſpondeant, niſi cum prorſus rebus ipſis adjuvantur. Qua re non hoc modo pene et ipſum ſcurrile Ciceronis eſt in eumdem, de quo ſupra dixi, Iſauricum, *Miror, quid ſit, quod pater tuus, homo conſtantiſſimus, te nobis varium reliquit:* ſed illud ex eodem genere præclarum, cum objiceret Miloni accuſator in argumentum factarum Clodio inſidiarum, *quod Bovillas ante horam nonam devertiſſet* [c], *ut exſpectaret, dum Clodius a villa ſua exiret,* et idemtidem interrogaret, *quo tempore Clodius occiſus eſſet?* reſpondit, *Sero:* quod vel ſolum ſufficit, ut hoc genus non totum repudietur. Nec plura modo ſignificari ſolent, ſed etiam diverſa: ut Nero de ſervo peſſimo dixit, *Nulli apud ſe plus fidei haberi: nihil ei neque* [d] *occluſum neque obſignatum* [e] *eſſe.* Pervenit res uſque ad ænigma: quale [f] eſt Ciceronis in Pletorium Fonteii accuſatorem, *cujus matrem* dixit, *dum vixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habu-*

48 49 50 51

[x] *om. conj. Gallæus ap. Bur.* [y] cocci Jenſ. [z] eo Jenſ. [a] *om.* G. Jenſ. *et vult omitti Regius.* [b] bello Jenſ. [c] divertiſſet Jenſ. [d] ei incluſum G. ei neque cluſum Jenſ. [e] ſignatum G. Jenſ. [f] quæ Jenſ.

dicta obſcura, Atellanæ fabulæ inſtar, in qua *ridicula intexta verſibus jactabantur*, ut ait Liv. 7, 2: paullo ante in hujus rei origine indicanda dixerat *inconditis inter ſe jocularia verſibus fudiſſe* juventutem. Obſcuritas videtur fuiſſe, Fabio prodente, ab ipſa antiquitate, cujus imaginem ſervarent juniores.

47. *ut dixi*] Poteſt reſpici ad hujus capitis ſ. 3. ſq. Niſi tamen malumus Gallæo auſcultare.

48. *de quo ſupra*] S. 25. unde et interpretatio hujus dicti petenda. Nempe *varius* ut inconſtantem notat, ita cum quoque, cujus tergum virgis *varium* ſ. maculoſum eſt. Sic aliquoties Plautus, v. g. Pſeud. 1, 2, 12. *Ita ego veſtra latera loris faciam, ut valde* varia *ſint.* Add. Mil. 2, 2, 61. et Pœn. prol. 26.

49. *Sero*] Debebat enim de Ciceronis ſententia olim periiſſe homo peſtilens, ante aliquando quam ea vulnera infligeret reipublicæ.

50. *diverſa*] Contraria plane his et oppoſita, quæ dici videntur.

50. *Nero de ſervo*] Ne quis de Nerone Imperatore cogitet, intercedit, quod a Regio jam monitum, Cic. de Orat. 2, 61, qui, *Ridiculum eſt*, ait, *Neronianum illud vetus in furace ſervo, Solum eſſe, cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum.*

51. *Ciceronis in Pletorium*] Non eſt in reliquiis orationis, quæ adhuc ſuperſunt, pro M. Fonteio. Cæterum ſatis ſententiam ipſe aperit Fabius, et de *Magiſtro auctionis* hodie vel ex Lexicis res apertiſſima.

isse. Dicebantur autem, dum vixit, infames feminæ ad eam convenire solitæ: post mortem ejus bona venibant. Quamquam hic *ludus* per translationem dictus est, *magistri*
52 per ambiguitatem. In metalepsin quoque cadit ratio dictorum [g]: ut Fabius Maximus, incusans Augusti [h] congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, *heminaria* [i] *esse* dixit: nam, *congiarium* cum sit commune liberalitatis atque mensuræ, a mensura [k] ducta imminutio [l] est rerum.
53 Et hæc tam frigida, quam est nominum fictio, adjectis, detractis, mutatis literis: ut *Aciculum*, quia esset pactus, *Paciculum*; et *Placidum* nomine, quia is acerbus natura esset, *Acidum*; et *Tullium*, cum fur esset, *Tollium* dictos invenio. Sed hæc eadem genera commodius in rebus,
54 quam in nominibus respondent. Afer enim venuste Manlium Suram, multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem et reponentem, *non agere* dixit, *sed fatagere*. Est enim [m] dictum per se urbanum, *fatagere*, etiam si nulla subsit alterius verbi simili-
55 tudo. Fiunt et detracta et adjecta aspiratione, et binis conjunctis verbis similiter sæpius frigida, aliquando tamen recipienda. Eademque conditio est in iis, quæ a nominibus trahuntur. Multa ex hoc Cicero in Verrem, sed ut ab aliis dicta, modo, *futurum, ut omnia verreret* [n]; [cum diceretur *Verres*.] modo, *Herculi, quem expilaverat, moles-*

[g] cadit eadem ratio dictorum G. 1. et 2. [h] Auguste G. Jens. [i] heminariam G. Jens. [k] ea *inf.* G. [l] in minutionem G. Jens. [m] hoc G. [n] verteret G. Jens. *male. Forte* everreret. *Sic* everriculum *vocat* Verr. 4, 24. *Quæ deinde inclusi, glossam puto.*

52. *ratio dictorum*] Intell. quorundam. De Metalepsi s. transsumtione vid. 8, 6, 37. Cicero *translationem* appellat de Orat. 2, 65, et hoc exemplo utitur, *Scipio ille major Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum*, turmales *dixit dissplicere*. Quæ est inter *turmales* et *equestres* statuas ratio, ea inter *heminarium* et *congiarium*. Notum *heminam sextarii* dimidium, unciamque adeo *congii* esse.

53. *nominum fictio*] Παρονομασίαν appellat Cic. de Or. 2, 63, ut *Nobiliorem* (Fulvium) *Mobiliorem Cato* dixit.

55. *modo, Herculi*] Verr. 4, 43. *Numquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant: velut in hac re aiebant, in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere*. Scilicet signum Herculis e templo Agrigentinorum noctu auferre voluerat. Alterum de Sacerdote cautius etiam tractat, ne ipse scurrari videatur, Verr. 1, 46. *Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore: quorum alii, ut audistis, negabant mirandum esse, jus tam nequam esse* Verrinum. *Alii etiam frigidiores erant: sed, quia stomachabantur, ridiculi videbantur esse, cum* Sacerdotem *execrabantur,*

tiorem[o] *apro Erymanthio fuisse*: modo, *malum Sacerdotem, qui tam nequam verrem reliquisset*: quia Sacerdoti[p] Verres
succesſerat. Præbet tamen aliquando occaſionem quæ- 56
dam felicitas hoc quoque genere bene utendi: ut pro Cæcina Cicero in teſtem Sex. Clodium Phormionem, *Nec minus niger*, inquit, *nec minus confidens, quam ille Terentianus eſt Phormio*. Acriora igitur ſunt et elegantiora, quæ 57
trahuntur ex vi rerum. In his maxime valet ſimilitudo, ſi tamen ad aliquid inferius leviuſque referatur: qua jam veteres illi jocabantur, qui Lentulum *Spintherem*, et Scipionem *Serapionem*[q] eſſe dixerunt. Sed ea non ab hominibus modo petitur, verum etiam ab animalibus: ut nobis pueris Junius[r] Baſſus, homo in primis dicax, *Aſinus albus* vocabatur. Et Sarmentus, ſeu Publius[s] Bleſſus, 58

[o] ei *inſ.* Jenſ. [p] Sacerdos Verri G. Jenſ. *et al.* [q] Syrionem G. Syriationem Jenſ. [r] Julius *conj. Burm.* [s] Publius, Blæſum Jun. *conj. Burm.*

qui verrem *tam* nequam *reliquiſſet*. *Quæ ego non commemorarem, (neque enim perfacete dicta, neque parro hac ſeveritate digna ſunt) niſi vos illud vellem recordari, iſtius nequitiam et iniquitatem tum in ore vulgi, atque in communibus proverbiis eſſe verſatam.*

56. *pro Cæcina*] c. 10. Nimirum actitabantur tum vulgo Terentianæ fabulæ, unde etiam ad colorem illius perſonæ adludere poterat: et notum eſt alias etiam, nigrum in vultu colorem non optimæ ſignificationis habitum. *Hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.* Hor. Sat. 1, 4, 85. Add. illud Martialis 12, 54. *Crine ruber, niger ore* &c.

57. *Acriora igitur*] Reſpicit ad diviſionem ſ. 53 propoſitam.

57. *Lentulum Spintherem*] Inter plura id genus ſimilitudinis, et nominum inde tractorum exempla, hæc quoque refert Plin. 7, 12. ſ. 10. itemque Val. Max. 9, 14. 3 et 4. Nimirum *Spinther*, mimus ſecundarum partium, ſimillimus cum videretur Lentulo, huic nobiliſſimo viro per ludum jocumque nomen humile adhæſit: et quod *Serapio*, victimarii vel ſuarii negotiatoris mancipium, Scipionis lineamenta omnia referret, *Serapio* et ipſe dictus eſt: repetit de hoc Plinius 21, 3. ſ. 7.

58. *Et Sarmentus*] Ut de perſonis apud Fabium diligentiſſime egit Burmannus, ita hic etiam advocavit omnia præſidia. De ipſius ergo ſententia, ſive Sarmentus ille ſcurra Horatianus Sat. 1, 5, ſive nobilis ille Publius Mimus, *Blæſum Junium* (*Junius Blæſus*, nomen ſub Auguſto et Tiberio memoratum Tacito) *fibulam* vocavit *ferream*. Merito dubitat Jo. Rhodius de Accia Celſ. p. 41, *architectonicane* an *veſtiaria* intelligenda hic ſit *fibula?* Parum refert: modo hoc cogitemus, qua nigra ſit, qua tenuis, qua incurva, ſimilem viſam Junio. Quod vero *Spintherem* quoque huc referunt viri docti, quod et ipſum *fibulam* ſignificat, in eo quidem nihil ad Quinctilianum facium, qui aperte cum Valerio et Plinio ab hominis ſimilitudine illud nomen hæſiſſe Lentulo tradit.

Junium, hominem nigrum, et macrum, et pandum, fibulam ferream dixit. Quod nunc risus petendi genus frequen-
59 tissimum est. Adhibetur autem similitudo interim palam, interim inseri [t] solet parabolæ: cujus est generis [u] id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, *Noli*, inquit,
60 *dubitare* [v], *tamquam assem elephanto des*. Sunt quædam etiam [x] verisimilia: unde Vatinius [z], cum reus, agente in eum Calvo, candido frontem sudario tergeret, idque ipsum accusator in invidiam vocaret: *Quamvis reus sum*, in-
61 quit, *et panem candidum edo*. Adhuc est subtilior illa ex [a] simili translatio, cum, quod in alia [b] re fieri solet, in aliam mutuamur. Ea dicatur sane *fictio*: ut Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, et post dies paucos Fabii Maximi lignea, *thecas esse oppidorum Cæsaris* dixit. Et Pedo de Mirmillone, qui retiarium consequebatur, nec feriebat, *Vivum*, inquit, *capere vult*.
62 Jungitur amphiboliæ [c] similitudo: ut L. [d] Galba [e] pilam negligenter petenti, *Sic*, inquit, *petis, tamquam Cæsaris candidatus*. Nam illud *petis* ambiguum est, securitas si-
63 milis. Quod hac tenus ostendisse satis est. Ceterum fre-

[t] serio G. Jens. *et al. Quid si* servire? *Receptum* inseri *est a Regio.* [u] genus G. [v] dubitare *om.* G. 2. *et* Almel. *probante Heusingero.* [x] *om.* G. [z] dixit hoc dictum *inf.* G. Jens. [a] *om.* Jens. [b] altera G. [c] amphibologiæ Jens. [d] A. G. AL. Jens. C. *conj. Bur.* [e] qui Jens. G.

59. *militi libellum*] Jam laudarunt viri docti Sueto. 53. Macrob. Sat. 2, 4. Nec oblitus est desideratissimus Fabricius in suam de Augusti rebus syllogen cum aliis pluribus referre.

61. *Chrysippus*] Chrysippum Vettium, Cyri architecti libertum, de quo Cic. Fam. 7, 14. recte intelligit Burmannus, et commodissime huc advocat Dion. lib. 44. p. 235. qui, risum fuisse hunc triumphum propter lignea simulacra, et ipse refert.

62. *Cæsaris candidatus*] Qui cum se satis commendatum credat, nec excidere posse, non tanti putat supplicare populo. Nempe partitus fuerat Julius Cæsar, ut provincias, ita comitia cum populo. Vid. Sueto. c. 41. Modestior ad speciem Augustus, ipse *cum suis candidatis tribus circuibat supplicabatque more solemni*, quo minus suis illi precibus opus esse putabant. De altero genere *Candidatorum* s. *quæstorum Cæsaris*, qui mandata epistolasque principum in Senatum perferrent, Spanh. de usu et præst. num. 10, 5, 6. p. 166. Cæterum, ambiguum hic est in verbo *petendi*, quod tum ad *pilam* tum ad *honores* refertur. *Petere pilam* videtur idem quod appetere, captare: cum enim *datatim luditur*, is, qui habet pilam, nunc huic nunc illi in circulo stantium innuit ac minatur, intentatque, quasi daturus, et subito versus illum projicit, quem minime putat attendere, qui, si non *petat* volantem pilam, et vel excipiat vel remittat, plectitur &c. Vid. Ramires. ad Martial. 4, 19, 7. p. 314.

quentiſſima aliorum generum cum aliis mixtura eſt: eaque optima, quæ ex pluribus conſtat. Eadem diſſimilium ratio eſt. Hinc eques Romanus, ad quem in ſpectaculis bibentem [f] cum miſiſſet Auguſtus, qui ei diceret, *Ego ſi prandere volo, domum eo: Tu enim*, inquit, *non times ne locum perdas*. Ex contrario non una ſpecies. Neque enim 64
eodem modo dixit Auguſtus præfecto, quem ignominia notabat [g], ſubinde interponenti precibus, *Quid reſpondebo patri meo? Dic, me tibi diſplicuiſſe*: quo Galba, penulam roganti, *Non poſſum commodare, domi maneo*; cum cœnaculum ejus perplueret. Tertium adhuc illud, (ſi quidem, ut ne auctorem ponam, verecundia ipſius facit) *Libidinoſior es, quam ullus ſpado*, quo [h] ſine dubio et opinio decipitur: ſed ex contrario. Et hoc ex eodem loco eſt, ſed nulli 65
priorum ſimile, quod dixit Marcus Veſtinus, cum ei nuntiatum eſſet, *Aliquando deſinet putere*. Onerabo librum exemplis, ſimilemque iis, qui riſus gratia componuntur, efficiam, ſi perſequi voluero ſingula veterum. Ex omnibus argumentorum locis eadem occaſio eſt. Nam et *finitione* uſus eſt Auguſtus de pantomimis duobus, qui alternis geſtibus contendebant, cum eorum alterum *ſaltatorem* dixit, alterum *interpellatorem*. Et partitione Galba, cum 66
penulam roganti reſpondit, *Non pluit, non eſt opus tibi: ſi pluit, ipſe utar*. Proinde *genere, ſpecie, propriis, differentibus, jugatis, adjunctis, conſequentibus, antecedentibus, repugnantibus, cauſſis, effectis, comparatione parium, majorum, minorum*, ſimilis materia præbetur. Sicut in *tropos* quo- 67
que omnes cadunt. An non plurima κατ' [i] ὑπερβολήν dicuntur? quale refert Cicero de Memmio [k] homine præ-

[f] bidentem G. *male*. [g] mittebat Jenſ. [h] quod *id*. [i] *Voces Græcæ om*. G. [k] *om*. G. Jenſ.

63. *Tu enim non times*] De hoc uſu particulæ cauſſalis, ante quam omittitur *non mirum* vel tale quid, diximus ad 2, 11, 7. add. mox ſ. 77. Cæterum, amarulentum eſſe hoc reſponſum, et *locum* reſpicere ad principatum ac tyrannidem adeo, oſtendit Burmannus, advocato Caſaubono ad Sueto. Aug. 53.

64. *verecundia ipſius facit*] Sic indicat Fabius, ſibi non probari dictum, et honoris cauſa tacere auctorem dicti, auctori ſuo parum honorifici. De *ſpadonibus* jam huc advocatum illud Terentii Eun. 4, 3, 23. et notum Juven. 6, 366. *Sunt, quas Eunuchi imbelles* &c.

65. *cum ei nuntiatum eſſet*] Si hæc ſana ſunt, deeſt, quid nuntiatum ſit. Inter conjecturas, quarum neque finis neque modus eſt, ſi adoptanda aliqua ſit, placeret extra comparationem Burmanniana, qui *de morte* alicujus putidi et hircoſi hominis nuntiatum ſuſpicatur. Idem *Veſtinos* ex veteri memoria diligenter perſequitur.

longo, *caput eum ad fornicem Fabii*[l] *offendisse*[m]: et, quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, cum assidue[n] minores parentibus liberi essent, *in nascendo*[o] *interim*[p] *utrumque*. Quid *ironia*? nonne etiam, quæ sit veriſſima[q], joci prope genus est? Qua urbane usus est Afer, cum Didio Gallo, qui provinciam ambitioſiſſime petierat, deinde, impetrata ea, tamquam coactus querebatur, *Age*, inquit, *aliquid et reipublicæ cauſſa elabora*: quaque Cicero usus[r] est, cum, Vatinii morte nuntiata, cujus parum certus di-
68 69 cebatur auctor, *Interim*, inquit, *usura fruar*. Idem per allegoriam M. Cœlium, melius objicientem crimina, quam defendentem, *Bonam dextram, malam ſiniſtram habere* dicebat: emphasi[s], qua Julius[t] dixit, ferrum[u] Ac-

[l] Fabium Jenſ. [m] demiſiſſe G. oſtendiſſe G. 2. [n] *Sic eſſe in* G. 2. *monet Heuſingerus*, cum assidue minores parentibus liberi esse, nascendo viderit. Utrumque. [o] decrescere genus Lentulorum *add. Vaſcoſ. Obr. Bur. ex conj. forte* Ascenſii. [p] interimuntur *conj. Glandorp. Onom. ſub P. Oppio. Quid ſi* interiturum? *v. n.* [q] *Forte leg.* ſeveriſſima. [r] luſit G. usus sit Jenſ. [s] emphaſia G. G. 2. et Jenſ. emphaſi qua *Baſil.* Emphasis A. Villius *Mur. V. L.* 19, 6. [t] Julius G. Jenſ. Baſ. *et al. ap. Bur.* Villius G. 2. Livius *rel.* [u] ferrum intactum incid. G. ferrum inductitium G. 2. ferrum cotem Accium Nævium Jenſ. ferrum Accium Nevium incidiſſe *Vallæ liber et Baſil.* ferrum in cotem incidiſſe *Muretus l. c.* ferro cotem Accium Navium incid. *rel.*

67. *interim utrumque*] Hæc verba, ut hic poſita ſunt, (ſunt autem ita in omnibus, quod ſciam, libris antiquis) ſententiam non habent, et, ſi quid video, occaſionem interpolationi, de qua ſupra monui, dederunt. Infinitum hic deſiderari, conſtructionis ratio indicat: neque obſcurum, quid ſententia poſtulet. Videbatur itaque nobis mutatio ſatis huic loco conveniens, ſi in unum contractis duobus verbis legamus *interiturum*. Nimirum Oppius dixit de Lentulorum genere, *in naſcendo interiturum*: ſi enim minores ſubinde minoreſque naſcantur Lentuli, in ſingulas γενεὰς ſive ſæcula decedet aliquid; adeo ut tandem ad nihilum redigatur genus, et plane intereat.

68. *Interim uſura fruar*] Sententiam hujus loci obſcuram eſſe non patitur ipſe Tullius, cujus verba Fam. 6, 12. pr. jam laudata a Burmanno, apprime huc faciunt, *Gratulor tibi, mi Balbe, vereque gratulor: nec ſum tam ſtultus, ut te uſura falſi gaudii frui velim, deinde frangi repente.* Hoc itaque vult, nuntio illo, vero an falſo parum refert, interim fruar, voluptatem ex eo percipiam. Verum ironiam non video. Sentiebat Cicero, et intelligi volebat, quod verba indicant. Aut igitur deeſſe aliquid ante hoc dictum videtur, aut ipſe Fabius feſtinaſſe.

69. *Bonam dextram*] Recte perſonatus Turnebus monet, *dextra* gladium geri ad lædendum, ſcutum, quo tegitur corpus, *ſiniſtra* &c.

69. *emphaſi, qua Julius dixit*] Quanta ſit hujus loci varietas, ſupra indicatum eſt. In hac poſt aliquam fluctuationem nihil magis mihi placuit quam illud, quod Werlhoſius, dulce Muſarum omnium decus, placere ſibi ſignificabat, quod ex Vallæ libro ſumtum et Baſileæ bis editum videbam. Connectit Fabius duo dicta, et Ci-

cium Navium incidiſſe. Figuras quoque mentis, quæ 70
σχήματα διανοίας dicuntur, res eadem recipit[x] omnes, in
quas nonnulli diviſerunt ſpecies dictorum. Nam et *in-*
terrogamus, et *dubitamus*, et *affirmamus*, et *minamur*, et *op-*
tamus. Quædam, ut *miſerantes*, et quædam, ut *iraſcentes*,
dicimus. Ridiculum eſt autem omne, quod aperte fingi-
tur. Stulta reprehendere facillimum eſt: nam per ſe ſunt 71
ridicula. Sed rem urbanam facit aliqua ex nobis ad-
jectio[y]. Stulte interrogaverat exeuntem de theatro Car-
pathium[z] Tityus maximus, *An ſpectaſſet?* fecit Carpa-
thius dubitationem ejus ſtultiorem dicendo, *Non, ſed in*
orcheſtra pila luſi. Refutatio cum ſit in *negando*, *redargu-* 72
endo[a], *defendendo*, *elevando*, ridicule negavit Manius Cu-
rius: nam[b], cum ejus accuſator, in ſiparium, omnibus lo-
cis, aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemtum
ex[c] alea pinxiſſet, *Ergo ego* (inquit) *numquam vici*. *Red-* 73
arguimus interim aperte, ut Cicero Vibium Curium[d],
multum de annis ætatis ſuæ mentientem, *Tum ergo*, *cum*
una declamabamus, *non eras natus*. Interim et[e] ſimulata
aſſenſione, ut idem Fabiæ Dolabellæ dicenti, triginta ſe
annos habere, *Verum eſt*, inquit: *nam hoc jam*[f] *viginti an-*
nis audio. Belle interim ſubjicitur pro eo, quod neges, 74
aliud mordacius: ut Junius Baſſus, querente Domitia
Paſſieni[g], quod, incuſans ejus ſordes, *calceos eam*[h] *veteres*
diceret *vendere ſolere*: *Non mehercule*, inquit, *hoc umquam*
dixi; *ſed dixi*[i], *emere te ſolere*. *Defenſionem* imitatus eſt
eques Romanus, qui objicienti Auguſto, quod patrimo-

[x] recepit G. 2. [y] abjectio *id.* [z] Campatium Curius Mannius Jenſ.
[a] in arg. G. Jenſ. [b] et *inf. iid.* [c] exile G. *et* Voſſ. 2. [d] Curtium
G. Jenſ. *hic etiam* Jubium *pro* Vibium. [e] ut *iid.* [f] illam G. [g] Paſ-
ſiani G. Paſſianii Jenſ. [h] jam G. [i] *om.* G.

ceronem jocatum eſſe ait in Cœ-
lium *eadem emphaſi*, (occulta ſigni-
ficatione, vid. 9, 2, 64.) *qua Ju-*
lius (Africanus, cum Domitio A-
fro præſtantiſſimus eorum, quos vi-
dit noſter 10, 1. 118.) *dixit* in
cauſidicum, improvide nimis et ſuo
cum damno in adverſarium inve-
hentem, hunc novum et perverſum
Accium Navium, cotem forte et
ipſam, quam voluiſſet, ſed eadem
etiam opera *ferrum* ſuum *incidiſſe*;
nocuiſſe quidem adverſario, ſed non
minus ſibi et cauſæ.

72. *in ſiparo, omnibus locis*] Si
ita dedit Quinctilianus, et nihil ſa-
ne hic variant libri; oportet ſipa-
rium illud ſ. velum pictum in plu-
ra quaſi loculamenta lineis diviſum
fuiſſe, et in ſingulis pictus alio in
loco, apud alios homines, aleator
idem Curius. Solenne admodum eſt
unius ejuſdemque hominis diverſas
quaſi ſcenas diverſis picturis dein-
ceps collocatis repræſentari, ut aſo-
ti illius apud S. Lucam, nunc diſ-
cedentis a patre, nunc epulantis ge-
nialiter, nunc paſcentis porcos, e.
i. g. a.

75 nium comediſſet, *Meum*, inquit, *putavi*. *Elevandi* ratio eſt duplex, ut aut veniam [k] quis, aut jactantiam minuat: quemadmodum C. Cæſar Pomponio, oſtendenti vulnus ore exceptum in ſeditione Sulpiciana, quod ipſe ſe paſſum pro Cæſare pugnantem gloriabatur, *Numquam fugiens reſpexeris*, inquit: aut crimen objectum, ut Cicero objurgantibus, quod ſexagenarius Publiliam [l] virginem duxiſ-
76 ſet, *Cras mulier erit*, inquit. Hoc genus dicti *conſequens* vocant quidam, atque illi ſimile [m], quo [n] Cicero Curionem, ſemper ab excuſatione ætatis incipientem, *facilius quotidie proœmium habere* dixit: quia iſta natura ſequi et cohærere
77 videantur. Sed *elevandi* genus eſt etiam *cauſſarum relatio*, qua [o] Cicero eſt uſus in Vatinium, qui, pedibus æger, cum vellet videri commodioris valetudinis factus, et diceret ſe jam bina millia paſſuum ambulare, *Dies enim* [p], inquit, *longiores ſunt*. Et Auguſtus nuntiantibus Tarraconenſibus palmam in ara ejus enatam, *Apparet*, inquit,
78 *quam ſæpe accendatis*. *Tranſtulit* crimen Caſſius Severus. Nam, cum objurgaretur a prætore, quod advocati ejus L. Varo Epicureo, Cæſaris amico, convicium feciſſent [q], *Neſcio*, inquit, *qui conviciati ſint: et puto Stoicos fuiſſe*. *Repercutiendi* multa ſunt genera: venuſtiſſimum [r], quod etiam ſimilitudine aliqua verbi adjuvatur: ut Trachalus [s] dicenti Suellio [t], *Si hoc ita eſt, is in exilium: Si non eſt ita*,
79 *redis*, inquit. *Eluſit* Caſſius Severus objiciente quodam,

[k] *Vid. leg.* crimen. [l] Pompiliam G. pupillam Jenſ. *ex* Popilia, *ut* Poplicola &c. [m] *Sic* G. Jenſ. et *inf. al.* [n] quod G. Jenſ. [o] quia Jenſ. [p] *Sic* G. Jenſ. Vaſcoſ. hi *rel. v. n.* [q] feciſſe G. [r] vetuſtiſſimum Jenſ. *invenuſte*. [s] Tracallatus Jenſ. Trachallatus G. *eſſe e Gr.* τραχηλὸς *oſtendit Bur.* [t] Suillio *e Vallæ libro præfert Bur.*

75. *aut veniam quis*] Non video, quid ſibi hic velit *venia*: *crimen* voluiſſe Fabium, ipſum, quo deinde utitur, exemplum ſatis oſtendit, et verba ei præmiſſa, *aut crimen objectum*. Jocus Cæſaris in Pomponium *jactantiam* minuit; Ciceronis de Publilia, *crimen*.

77. *Dies enim longiores*] Nolui abeſſe particulam ita ſolennem in reſponſionibus, ubi intelligitur *non mirum*, *facile credo*, vel tale quidpiam. Vid. ad 2, 11, 7. et paullo ante ſ. 63. Si quis illud *hi* elegantiam habere putat, qua carere hic locus non debeat, non abſurdum fuerit utramque lectionem conjungere.

77. *Tarraconenſibus*] Opportune hic monet Burmannus, Tarraconenſes nihilominus hanc aram cum enata in ea palma numis ſuis impreſſiſſe; laudatque in eam rem Anto. Auguſti. Dial. 2. et alios.

78. *et puto Stoicos fuiſſe*] Ab advocatis ſuis ridicule crimen tranſfert in Stoicos, quorum perpetua ſcilicet conſuetudo contra dicendi et male dicendi Epicureis.

quod ei domo sua Proculeius interdixisset, respondendo, *Numquid ergo* [u] *illuc accedo?* Sic *eluditur* et ridiculum ridiculo, ut divus Augustus, cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, et Dolabella per jocum, tentans tamen [v] joci sui eventum, dixisset, *Imperator, torque me dona*; *Malo te*, inquit, *civica donare*: mendacium quoque 80
mendacio, ut Galba, dicente quodam [x], *victoriato* [z] *se uno in Sicilia quinque pedes longam murenam emisse*; *Nihil*, inquit, *mirum: nam ibi tam longæ nascuntur, ut iis piscatores pro restibus* [a] *utantur*. Contraria est neganti *confessionis* fi- 81
mulatio, sed ipsa quoque multum habet urbanitatis. Sic Afer, cum [b] ageret contra libertum Claudii Cæsaris, et ex diverso quidam conditionis ejusdem, cujus [c] erat litigator, exclamasset [d], *Præterea tu semper in libertos Cæsaris dicis? Nec mehercule*, inquit, *quidquam proficio*. Cui [e] vicinum est, *non negare*, quod objicitur, cum et id palam falsum est, et inde materia bene respondendi datur: ut Catulus dicenti Philippo, *Quid latras? Furem video*, inquit. *In se* 82
dicere, non est fere nisi scurrarum, et in oratore utique minime probabile: quod fieri totidem modis, quot in alios, potest. Ideoque hoc, quamvis frequens sit, transeo. Illud vero, etiam si ridiculum [f], indignum tamen est ho- 83
mine liberali [g], quod aut turpiter, aut impotenter dicitur: quod feciſſe quemdam scio, qui humiliori, libere adversus se loquenti, *Colaphum*, inquit, *tibi ducam, et* [h] *formulam*

[u] *Sic* G. Jens. *et plures*: ego *est e conj. Regii in rel.* [v] caussa G. *Forte* tentandi caussa. [x] quadam G. Jens. [z] victoriasse *iid.* [a] reste cinguntur G. testibus cingantur Jens. pro restibus cingantur G. 2. [b] egerat *omisso* cum Jens. [c] civium erat litigatus *id.* [d] exclamasse fertur G. Jens. [e] Cum vitium est Jens. *male.* [f] est *inf.* G. Jens. [g] tolerabili *iid.* [h] et formulam scribe, quod caput durum habes G. 2.

79. *Numquid ergo illuc*] Objectio eo pertinebat, turpem videri, cui domo Proculeius interdixerit. Sed simulat Cassius sibi objici, quasi contra interdictum domum illam veniisset: idque negat.

80. *Malo te, civica*] Tanto venustior jocus, quod re ipsa honoratior civica corona cæteris ornamentis militaribus, apud Augustum præsertim: vid. Sueto. c. 25. ubi hunc Fabii locum, quod Almeloveno jam notatum, illustrat Casaubonus.

83. *aut turpiter, aut impot.*] Illius, quod *turpiter* dicitur, Fabius exemplum non adfert; sed dicti *impotenter*, h. e. contumelioſe, et ut ab homine impotentis animi. Nonne enim nimis superbum *colaphum ducere, et insuper formulam* accusationis, dicam, *scribere, quod alter caput durum* et plagis renitens *habeat?* quod non multo minus insolentis atque impotentis animi erat, quam ille C. Fimbriæ furor, *qui cum curasset, ut Q. Scævola vulneraretur, diem illi dixit, cum comperisset eum posse vivere, quod non totum telum corpore recepisset.* Vid. Cic. pro Rosc. Am. c. 12.

scribam[h], *quod caput durum habeas.* Hic enim dubium
84 est, utrum ridere audientes, an indignari debuerint. Supereſt genus *decipiendi opinione*[i], aut dicta aliter intelligendi, quæ ſunt in omni hac materia vel venuſtiſſima: inopinatum et a laceſſente poni ſolet: quale eſt, quod refert[k] Cicero, *Quid huic abeſt*[l], *niſi res et virtus?* aut illud Afri, *Homo in agendis cauſſis optime veſtitus:* et in occurrendo, ut Cicero, audita falſa Vatinii morte, cum Ovinium libertum ejus interrogaſſet, *Rectene omnia?* dicenti,
85 *Recte;* *Mortuus eſt?* inquit. Plurimus autem circa ſimulationem et[m] diſſimulationem riſus eſt, quæ ſunt vicina, et prope eadem; ſed *ſimulatio* eſt certam opinionem animi ſui imitantis: *diſſimulatio*, aliena parum ſe intelligere fingentis. Simulavit Afer,[n] cum in cauſſa ſubinde dicentibus, *Celſinam dicere, cognoviſſe*[o]; quæ[p] erat potens femina: *Quis eſt*, inquit, *iſte?* Celſinam enim videri ſibi
86 virum finxit. Diſſimulavit Cicero, cum Sex. Annalis teſtis reum læſiſſet, et inſtaret idemtidem accuſator ei, *Dic M. Tulli, num quid potes de Sexto Annali?* verſus tunc dicere cœpit de libro Ennii annali ſexto,

Qui potis ingentis cauſſas evolvere belli.

87 Cui ſine dubio frequentiſſimam dat occaſionem ambigui-

[h] ſcribo *iid.* [i] opinionem *conj. elegans Bur.* [k] facit G. [l] eſt G. *male.* [m] et diſſ. *om.* Jenſ. [n] *Sic* G. Jenſ. *et plerique ap. Bur.* qui *inſ. al. et Bur.* [o] cognoviſſet, *puto, omnes.* [p] quod *editiones quædam, etiam Bur. qui tamen totum locum ita legendum conjicit:* Qui cum in cauſſa ſubinde dicentibus, de ea re (*vel* de re) Celſinam cognoviſſe, quæ erat potens femina, quis eſt, inquit, iſte.

85. *certam opinionem a. ſ. i.*] *Certam* h. l. indefinitum eſt, pro aliquam. Qui ſimulat, imitatur ſua oratione aliquam opinionem, h. e. ita loquitur, quaſi in hac vel illa opinione eſſet. *Opinio* alio ſenſu nunquam *certa*; alioquin non fuerit *opinio*.

85. *cum in cauſſa ſubinde*] Videor mihi lucem huic loco et nitorem Fabio dignum reddidiſſe unica deleta litera ultima de *cognoviſſet*. Reliqua enim idoneis auctoribus nituntur. Dicunt ſubinde ii, contra quos Afer dicit, *Celſinam*, quæ erat potens femina, *dicere, Celſinam cognoviſſe*, ita denique de ea loquuntur, ut de viris ſolet, qui rebus ſuis ſupereſſe poſſunt: ſimulat igitur Afer, ſe putare *Celſinam* eſſe viri nomen, atque interrogat, *Quis* eſt *iſte*, ita negotioſus, ita potens vir? eoque ipſo ficto errore ſuo vult efficere, ut præter decus ſexus ſui facere Celſina credatur, et ob id ipſum invidiam ſubeat.

86. *num quid potes de ſexto Annali*] Intelligebat accuſator, *Num quid potes* dicere de hoc teſte, quo minus audiendus ſit, et fides ei habenda? Sed cum nihil ſtatim inveniret Tullius, quo illum infirmaret; ſimulat ſe non intelligere, et putare, interrogari ſe, ut in ſchola circrati, num quid ſciat de ſexto libro Annalium Ennii &c.

tas, ut Caſſelio [q], qui conſultori [r] dicenti, *Navem dividere volo: Perdes* [s], inquit. Sed averti intellectus etiam aliter ſolet, cum ab aſperioribus ad leniora deflectitur [t]: ut, qui interrogatus, quid ſentiret de eo, qui in adulterio deprehenſus eſſet, *Tardum fuiſſe* reſpondit. Ei conſine eſt, 88
quod dicitur per ſuſpicionem: quale illud apud Ciceronem, querenti, quod uxor ſua e fico ſe ſuſpendiſſet, *Rogo, des mihi furculum ex illa arbore, ut inferam.* Intelligitur enim, quod non dicitur. Et hercle omnis falſe dicendi 89
ratio in eo eſt, ut aliter, quam eſt rectum verumque, dicatur: quod fit totum fingendis aut noſtris aut alienis perſuaſionibus, aut dicendo, quod fieri non poteſt. Aliena 90
finxit Juba [u], qui querenti, quod ab equo ſuo [v] eſſet adſperſus, *Quid tu*, inquit, *me Hippocentaurum putas?* ſua [x] C. Caſſius, qui militi ſine gladio decurrenti, *Heus, commilito, pugno bene uteris*, inquit. Et Galba de piſcibus, qui cum pridie ex parte adeſi [y], et verſati poſtero die appoſiti eſſent, *Feſtinemus, alii ſubcœnant*, inquit. Tertium illud 91
Ciceronis (ut dixi) adverſus [z] Curium: fieri enim certe

[q] Caſcelio Jenſ. Caſſio G. [r] conſultatori G. Jenſ. [s] Pedes *ex MS. Pal. Gebh. Crep.* 3, 1. [t] inde flectitur G. Jenſ. [u] verba G. [v] ſputo *id.* [x] ſic *id.* [y] aduſti G. Jenſ. [z] verſus G.

87. *Navem dividere volo*] Communem ſcilicet cum ſocio, quicum nihil mihi amplius rei eſſe volo. Qui hic obſcœna cogitant, (et poterat hic ſua ſibi crepundia ſervare Gebhardus, ſua Colomeſius cimelia) injuriam faciunt verecundiſſimo viro Fabio. Aperte Macrobius Sat. 2, 6. *Nec tu, nec ſocius habebis.* Nimirum diviſa, diſſecta navis perit. Didicit illas argutias forte Caſcellius ex fabula de Q. Fabio Labeone, quem *ferunt*, (ap. Valer. Max. 7, 3, 4.) *cum a rege Antiocho ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, ut eum tota claſſe privaret. Fabulam* hanc dixi, ſed nec ab ingenio Labeonis abhorret, quod ibi deſcribit Valerius, ac Cic. Off. 1, 10; nec a Romanis moribus; licet diſſimulet Livius 38, 39. qui tamen refert, fœdere icto, Labeonem juſſu Conſulis *quinquaginta naves tectas Regias aut* CONCIDISSE, *aut incendiſſe.*

87. *Tardum fuiſſe*] Qui non reciperet ſe ante, quam deprehenderetur, aut viam elabendi invenire non poſſet.

88. *apud Ciceronem*] De Orat. 2, 69. quo narrante Siculus fuit, dixitque, *Amabo te, da mihi ex iſta arbore, quos feram, furculos.*

90. *Hippocentaurum putas*] Ita adnatum equo meo, ut omnes illius gradus regere, ac præſtare poſſim, quo minus te adſpergat.

90. *pugno bene uteris*] Simulat ergo putare ſe, pugilem eſſe hunc, non militem, quippe qui gladium non habeat.

90. *ſubcœnant*] Quaſi antipodes quidem ſub menſa inferiora arroderent, ut noſtri antipodes averſam telluris partem colunt: *feſtinemus* igitur, ait, ne nobis quieſcentibus ad ſuperiora etiam ſe penetrent.

91. *ut dixi*] Supra ſ. 73.

non poterat, ut[a], cum declamaret, natus non esset. Est et illa ex ironia fictio, qua usus est C. Cæsar. Nam, cum testis diceret, a reo femina sua ferro petita, et esset facilis[b] responsio, cur illam potissimum partem corporis vulnerare voluisset: *Quid enim faceret*, inquit, *cum tu galeam et lori-*
92 *cam haberes?* Vel optima est simulatio contra simulantem, qualis illa Domitii Afri fuit: Vetus habebat testamentum, et unus ex amicis recentioribus[c], sperans aliquid ex mutatione tabularum, falsam fabulam[d] intulerat, consulens[e] eum[f], an primipilari[g] seni testato suaderet ordinare supre-
93 ma judicia, *Noli*, inquit, *facere: offendis illum.* Jucundissima[h] sunt autem[i] ex his omnibus lenia[k], et[l] (ut sic dixerim) boni stomachi: ut Afer[m] ingrato litigatori, conspectum ejus vitanti in foro, per nomenclatorem[n] missum ad eum, *Amas me*, inquit, *quod te non vidi.* Et dispensatori, qui, cum ad[o] reliqua[p] non responderet, dicebat subinde,

[a] ut declamaret, et na. G. [b] facilius Jens. reprehensio G. *et quædam edit.* [c] recensioribus G. 2. [d] *Sic* G. G. 2. Jens. *et alii, etiam Obr.* tabulam *rel.* [e] consules G. 2. [f] ei G. [g] *Sic Obr.* primi pilaris enim in testamento G. 2. pr. ei intestator *V. C.* Almel. pr. ei testator Jens. *et al. ap. Bur.* [h] *pro* jucundissima G. 2. loculentissima. [i] et *inf.* Jens. [k] levia G. Jens. *Quid si* lenta? [l] *om.* G. [m] aperiam de Jens. aperiant de G. [n] nomen datoris G. [o] *om.* G. Jens. *et probat Salm. ad Spart. Hadr.* c. 7. [p] aliqua G.

92. *Vetus habebat testamentum*] Reliquit teste Plin. epist. 8, 18, 5. *testamentum ante octo et decem annos nuncupatum, et sibi improbatum.* Sensit hoc unus recentiorum amicorum tædere illum heredis nuncupati, et subrepere se in testamentum posse sperans, sub fabula falsa admonere voluit Domitium, ut revocato superiore testamento aliter *ordinaret suprema judicia.* Ponit autem eam speciem, de qua consulit Domitium. *Est mihi*, inquit, *amicus primipilaris senex, isque testatus. Quid mihi auctor es, Domiti, suadeone illi, ut ordinet iterum suprema judicia?* At vafer ille Afer, cui suboleret, quorsum pertineret illa interrogatio, *Noli*, inquit, *facere, offendis illum:* quo responso spem huic consultori suo abscidit. Quod *primipilaris senis* mentionem facit, forte non temere est: Horum enim in testamentis cautione peculiari, sub malis præsertim principibus, opus fuisse, satis apparet ex Sueto. Calig. c. 38. qui imperator *Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit.* Sententiam itaque satis sibi constare apparet lectionis a nobis receptæ. Ea porro non tam Obrechti auctoritate nititur, quam quod etiam a minus, quam erat ille vir summus, ingenioso ex varietate supra proposita erui potuit. *Primipilaris enitestato suaderet*, perpetuis literis, et non satis diserte scriptum corruptioni et hariolationibus occasionem præbuit: illud præsertim, quod in veteri scriptura *m in ni* nulla ratione distinguuntur.

93. *Amas me*] Gratum te ostendis. Jam attulerunt hic viri docti, unde hoc appareat, illud in primis Ter. Eun. 3, 2, 3. *Ecquid nos amas de fidicina ista?*

93. *ad reliqua non resp.*] Copi-

Non comedi panem, et aquam bibo. Pasce[q], *et redde, quod debes.* Quæ ὑπαγωγὰς[r] vocant. Est gratus jocus, qui 94
minus exprobrat, quam potest: ut idem dicenti candidato, *Semper domum tuam colui:* cum posset palam negare, *Credo,* inquit, *et verum est.* Interim de se dicere ridiculum est: et, quod in alium, si absentem diceret[s], urbanum non erat[t], quoniam ipsi palam exprobratur, movet risum: quale Augusti est, cum ab eo miles nescio quid improbe 95
peteret, veniret[u] contra Martianus, quem suspicabatur et ipsum aliquid injuste rogaturum: *Non magis,* inquit, *faciam, commilito, quæ*[v] *petis, quam quod Martianus a me petiturus est.* Adjuvant urbanitatem et versus commode po- 96
siti, seu toti[x], ut sunt, quod adeo facile est, ut Ovidius ex tetrasticho Macri carmine librum in malos poetas composuerit[z]: quod fit gratius, si qua etiam ambiguitate conditur, ut Cicero in Accium[a], hominem callidum et versutum, cum is in quadam caussa suspectus esset, *Nisi qua Ulysses rate*[b] *evasit Laertius:* seu verbis ex parte mutatis, 97
ut in eum, qui, cum antea stultissimus esset habitus, post acceptam hereditatem primus sententiam rogabatur, *Cujus hereditas est*[c], *quam vocant sapientiam,* pro illo, *facultas*[d] *est:* seu ficti[e] novis versibus, similes, quod παροιμία[f] dici-

[q] passer redde G. *et Pal. ap. Gebh. crep.* 3, 1. [r] ὑπὸ τὸ ἦθος G. *et al.* ὑπίσχνα *Obr.* [s] *Forte leg.* diceretur: *ita jam conj. Francius.* [t] *Sic* G. Jens. esset *al.* [u] et *inf.* G. [v] quod G. [x] toti G. Jens. [z] composuit Jens. [a] Marcium G. Jens. *et al.* Arrium *al.* Cicero ex Accio in hom. *conj. Bur.* [b] intervasit Lentius Jens. [c] esset G. Jens. [d] facilitas Jens. [e] *Sic Andr. et ex MS. Mur.* V. L. 19, 6. *it. Obr.* fictis notis Jens. *et al.* ficti novis *rel.* [f] Παροιμία G. *male: hausium ex eo, quod sequitur de* proverbiis.

ose h. l. interpretatus est Jo. Frid. Gronovius Obs. 2, 4. p. 237. Verbo, dicere non potest dispensator, cur tot *reliqua* habeat, rationem reddere non potest acceptorum, quomodo ea expensa sint: caussatur vero frugalitatem suam, et suis laudibus vult defungi. Sed respondet dominus, per me epuleris licet, modo redde, quod debes.

93. ὑπαγωγὰς *vocant*] *Fraudes* interpretatur ex Polluce et Suida Burmannus. Forte etiam locum habeat illa significatio, qua receptum notat et διαίρεσι opponitur, cum paullatim subducimus et recipimus nos, h. e. non contradicimus, sed locum cedimus: nobis quidem ea notio videbatur exemplis a Fabio propositis aptior.

96. *librum in malos poetas*] Qui periit. Sed servati alii centones Ausonii, Probæ Falconiæ &c. de hoc enim genere carminis sermonem esse apparet.

97. *ficti novis versibus*] In hoc genere ridiculi duo regnant Græci, Plutarchus et Lucianus; quamquam ille potius integros versus atque nihil immutatos eleganter ad aliam rem adhibet; hic vero frequenter etiam παρῳδεῖ. Sed de toto hoc genere vid. Fabric. Bibl. Gr. 2, 7, 2.

tur, et *proverbia*[g] opportune aptata: ut[h] homini[i] nequam[l] ſapſo, et, ut allevaretur, roganti, *Tollat te, qui non*
98 *novit*[m]. Ex hiſtoria etiam ducere[n] urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit, cum ei teſtem in judicio Verris roganti dixiſſet Hortenſius, *Non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes*, inquit, *cum Sphingem domi habeas:* acceperat autem ille a Verre Sphingem æneam magnæ pecuniæ.
99 *Subabſurda* illa conſtant ſtultis[o] ſimili imitatione, et quæ, niſi fingantur, ſtulta ſunt: ut, qui mirantibus, quod humile candelabrum emiſſet, *Pranſorium*[p] *erit*, inquit. Sed illa *ſimilia abſurdis* ſunt acria, quæ tamquam ſine ratione dicta feruntur, ut ſervus Dolabellæ, cum interrogaretur[q], an dominus ejus auctionem propoſuiſſet, *Domum*, inquit,
100 *vendidit*. Deprehenſi interim pudorem ſuum ridiculo aliquo explicant: ut, qui teſtem dicentem ſe a reo vulneratum, interrogaverat, *An cicatrices haberet?* cum ille ingentem in femore oſtendiſſet, *Latus*, inquit, *oportuit*[r]. Contumeliis[s] quoque uti belle datur: ut Hiſpo objicienti bis[t] acerba[u] crimina accuſatori, *Mentiris*, inquit. Et Fulvius propinquus Legato interroganti, an in tabulis, quas profere-

[g] verba G. [h] de *inſ. Regius ex conj. quem ſequuti plures.* [i] *Sic* G. Voſſ. 2. homine Jenſ. *et al.* [l] neque G. (*vid. ad* 6, 4, 1. *no.* u.) quam *quidam Codd. ap. Burm.* in aquam Jenſ. *et rel. Quam damus lectionem, eam e Francii Codice prolatam jam probarat Burmannus.* [m] venit G. [n] docere Jenſ. [o] ſtultiſſimi imit. G. Jenſ. [p] prämurum G. [q] interrogaret G. Jenſ. [r] opportunius G. [s] iis G. Jenſ. [t] objicientibus G. [u] arbore G. ardore Jenſ.

97. *homini nequam lapſo*] Sumtum, quod jam Regius vidit, ex Horat. epiſt. 1, 17, 58. *Nec ſemel irriſus triviis attollere curat Fracto crure planum—Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.*

99. *Pranſorium erit*] Ubi nempe plane luce illata non eſt opus: ut ſi quis *navem* rimoſam, quæ aquam non excludat, *terreſtrem* facere velit. Candelabrorum uſus præcipuus in cœnis.

100. *Latus oportuit*] Latus et vitalia petere debebat cliens meus, quo minus nunc dicere contra ipſum teſtimonium poſſes: quaſi ſtomachabundus hoc dicit, quo ipſo riſum movet. *Latus* ita ſumi, vel formulæ de *latere tecto, objecto, petito*, ſatis declarant.

100. *Fulvius propinquus*] Quid *propinquus* hic ſibi velit, an cognomen ſit, vel certe ſub eo lateat; quis *Legatus*; in quo item ſit contumelioſe dictum; non ſatis me aſſequi, fateor. Cogitabam de teſtamenti *tabulis* et *legato* in iis, quod *propinquo* alicui ſcriptum eſſet, ſermonem eſſe: placebat, quod Burmannus ait, contumeliam in eo ineſſe, quod verbis *Et verus!* accuſaretur Fulvius, falſum aliquando chirographum protuliſſe. Sed nebulis tamen vel tenebris potius obſita omnia. Etiam ille ſcrupulum movet, qui H. Stephanum jam male habuit, *chirographus*. Res mihi quidem obſcura.

bat, chirographus [x] esset, *Et verus*, inquit, *domine*. Has 101
aut accepi species, aut inveni frequentissimas, ex quibus
ridicula ducerentur: sed repetam necesse est, infinitas
esse, tam falsè dicendi, quam severe, quas præstat *persona*,
locus, *tempus*, *casus* denique, qui est maxime varius. Ita- 102
que hæc, ne omisisse viderer, attigi: illa autem, quæ de
usu ipso et modo jocandi complexus sum [y], adeo infirma,
sed plane necessaria. His adjicit [z] Domitius Marsus, qui
de urbanitate diligentissime scripsit, quædam non ridicula,
sed cuilibet severissimæ orationi convenientia, eleganter
dicta, et proprio quodam lepore jucunda: quæ sunt qui-
dem *urbana*, sed risum tamen non habent. Neque enim 103
ei *de risu*, sed *de urbanitate* est opus institutum, quam pro-
priam esse nostræ civitatis ait [a]: et fero sic intelligi cœp-
tam, postquam *Urbis* appellationem, etiam si nomen pro-
prium non adjiceretur, *Romam* tamen accipi sit receptum.
Eamque sic [b] finit, *Urbanitas est virtus quædam in breve* 104
dictum coacta, et apta ad delectandos movendosque homines in
omnem affectum, maxime idonea ad resistendum, vel lacessen-
dum, prout quæque res ac persona desiderat. Cui si brevita-
tis exceptionem detraxeris, omnes orationis virtutes com-
plexa sit. Nam, si [c] constat rebus et personis, et [d], quod
in utrisque oporteat dicere; perfectæ eloquentiæ est. Cur 105
autem *brevem* eam esse voluerit, nescio quidem. At,
quam in eodem libro dicat [e] fuisse et in multis, narrandi
urbanitatem paullo post ita finit, Catonis (ut ait) opinio-
nem secutus, *Urbanus homo erit, cujus multa bene dicta re-*
sponsaque erunt: et, qui in sermonibus, circulis, conviviis,
item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque
dicet [f]. *Risus erunt, quicumque hæc faciet orator*. Quas 106

[x] *improbat hanc lectionem, sed sola conjectura, et* chirographum *malit H. Steph. de Abusu Gr. L. p. 26.* [y] *Quid si negatio excidit*, non adeo infirma? *Suspicabar etiam pro* infirma, infinita. *Sed nec mihi satisfacio.* [z] adducit Jens. [a] *om.* G. Jens. [b] *om.* G. [c] ficut ista rebus G. Jens. *it. Voss. 2. ap. Bur.* sic constat *al. et Bur. qui tamen conj.* si constat *legendum.* [d] *om.* Jens. *et plur. ap. Bur. Sed habet G. et al. MSS.* [e] *Forte leg.* dicit fuisse in multis. [f] dicit G.

103. *Eamque sic finit*] Vid. supra Fabianam finitionem s. 17.

104. *exceptionem*] h. e. ut nunc loquuntur, *determinationem*, *restrictionem*. Vid. supra 2, 15, 36.

106. *Risus erunt, quicumque*] Primo illud mihi liquebat, hæc verba, *Risus—orator*, adhuc pertinere ad Catonianam finitionem hominis urbani. De qua deinde judicat Fabius, *Quas si recipimus finitiones* &c. Porro illa etiam constructio, *Risus erit, quicumque hæc faciet orator*, ipsum olere ac sapere Catonem familiarem nuper meum, mihi videbatur. V. G. c. 144, 3. *Qui oleam legerit, qui deportavit, in singulas deportationes SS. N.* 11. *deducen-*

si recipimus finitiones, quidquid bene dicetur, et *urbane dicti* nomen accipiet. Ceterum illi, qui hoc proposuerat, consentanea fuit illa divisio, ut dictorum urbanorum alia *seria*, alia *jocosa*, alia *media* faceret. Nam eadem est omnium bene dictorum. Verum mihi etiam jocosa quædam
107 videntur posse non satis urbane referri. Nam meo quidem judicio illa est *urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore gestuve*[g] *possit deprehendi*: ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Græcos Atticismos ille redolens[h] Athenarum
108 proprium saporem. Ne tamen judicium Marsi, hominis eruditissimi, subtraham, seria partitur in tria genera, *honorificum, contumeliosum, medium*. Et honorifici ponit exemplum Ciceronis quoque pro[i] Ligario apud Cæsarem, *Qui*

[g] gustuve G. [h] reddens G. Jens. *et al.* redolens *est a Regio.* [i] quod G.

tur. c. 145, 3. *Qui eorum non ita juraverit, quæ ejus pars erit, omne deducetur, neque debebitur*. c. 146, 1. *Qui oleam emerit, amplius quam quanti emerit, omnis pecuniæ centesima accedet*. c. 157, 8. *Omnis, qui insomniosus est, hac eadem curatione sanum facies*. Nimirum, ut pro *qui* vel *quicunque* ponunt boni scriptores *si quis*, ita contra ea pro *si quis* antiqui illi relativo *qui* vel *quicunque* utebantur.

106. *dicti nomen accipiet*] Ita accipit etiam vir summus Corn. van Bynkershoek in prætermiss. ad Pompo. de Or. Jur. §. 45, p. 281, edit. Halens. ubi *libri Benedictorum Cascelii* ICti commemorantur. De iisdem multa Menag. in Amœnitt. Jur. civ. c. 8.

107. *in qua nihil absonum*] Similiter fere de voce et sono Tullius de Orat. 3, 12. *Quare cum sit quædam certa vox, Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur*.

107. *redolens—saporem*] *Reddens saporem* bonum esse et Latinum non dubito; sed qui ita scripsit primus, videtur concoquere non potuisse, miscere duos sensus, *redolens saporem*. Huic non opposuerim equidem Germanorum Danubio vicinorum auctoritatem, qui *saporis* vocabula passim ad nasi opus transferunt: sed Plautum, apud quem Pseud. 2, 4, 48. ad quæstionem, *Quid sapit?* respondetur, *Hircum ab alis*. Quin ipsum Ciceronem Plinio teste 17, 5, s. 3. ubi, *Certe*, inquit, *Cicero, lux doctrinarum altera, meliora, inquit, unguenta sunt, quæ terram, quam quæ crocum sapiunt. Hoc enim*, pergit Plinius, *maluit dixisse, quam redolent*.

108. *pro Ligario*] c. 12. Simile illud Nepotis de Attico 25, 11, 5. *Si quam injuriam acceperat, non malebat ulcisci, quam oblivisci: idem immortali memoria percepta retinebat beneficia: quæ autem ipse tribuerat, tam diu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat*. Sed argutius est Ciceronis dictum, quia simul divinam memoriam commendat, et tanto magis extollit clementiam. Alterum Ciceronis ad Atticum est 8, 7. et Macrob. 2, 3. Tertium de morte Catil. 4, 2.

nihil ſoles oblivifci, niſi injurias: et contumelioſi, quod Attico ſcripſit[l] de Pompeio et Cæſare, *Habeo, quem fugiam; quem ſequar, non habeo:* et medii, quod ἀποφθεγματικὸν[m] vocat, et eſt, cum ita dixit[n], *Neque gravem mortem accidere forti viro poſſe, neque immaturam conſulari, neque miſeram ſapienti.* Quæ omnia ſunt optime dicta: ſed, cur proprie nomen *urbanitatis* accipiant, non video. Quod ſi non totus (ut mihi videtur) orationis color meretur, ſed etiam ſingulis dictis tribuendum eſt: illa potius *urbana*[o] eſſe dixerim, quæ ſunt generis ejuſdem, quæ *ridicula* dicuntur, et tamen ridicula non ſunt: ut[p] de Pollione Aſinio, ſeriis jociſque pariter accommodato, dictum eſt, *Eſſe eum omnium horarum:* et de actore facile dicente ex tempore, *Ingenium eum in numerato habere:* etiam Pompeii, quod refert Marſus, in Ciceronem, diffidentem partibus, *Tranſi ad Cæſarem, me timebis.* Erat enim, ſi de re minore, aut alio animo, aut denique non[q] ab ipſo dictum fuiſſet, quod poſſet inter ridicula numerari. Etiam illud, quod[r] Cicero Cerelliæ[s] ſcripſit, reddens rationem, cur illa C. Cæſaris tempora tam patienter toleraret, *Hæc aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho:* ſtomachus enim ille habet aliquid joco ſimile. Hæc, quæ movebant, diſſimulanda mihi non fuerunt: in quibus ut erraverim, legentes tamen non decepi[t], indicata diverſa opinione, quam ſequi magis probantibus liberum eſt.

IV. (V.) *Altercationis* præcepta poterant videri tunc inchoanda, cum omnia, quæ ad continuam orationem pertinent, peregiſſem: nam eſt uſus ejus ordine ultimus: ſed, cum ſit poſita in ſola inventione, neque habere diſpoſitionem poſſit, nec elocutionis ornamenta magnopere deſideret, aut circa memoriam et pronuntiationem laboret: prius quam[u] ſecundam quinque partium, hanc, quæ tota ex prima pendet, tractaturus non alieno loco videor: quam ſcriptores ideo fortaſſe alii reliquerunt, quia ſatis ceteris[x] præceptis in hanc quoque videbatur eſſe proſpec-

l *om.* G. m ἀποθεγματικὸν G. n dixerit G. Jenſ. o urbe ex ſerio G. p *om.* G. Jenſ. q jam *iid.* r *om.* G. s Corelliæ G. Coteliæ Jenſ. *eſt etiam plus varietatis, nihil certi.* t decipi G. *Vocalem præſentis in præterito ſervant ſæpe librarii.* u que Jenſ. x aliis G.

112. *movebant*] h. e. quæ novabant quidam, et diverſa a communibus præceptis tradebant. Hoc enim eſt movere. Liv. 34, 54. *Adeo nihil motum ex antiquo probabile eſt: veteribus, niſi quæ uſus evidenter arguit, ſtari malunt.* Si diſplicet iſtud, legere poſſis, *monebant.*

2 tum [z]. Constat enim aut intentione, aut depulsione [a], de quibus satis traditum est, quia, quidquid in actione perpetua circa probationes utile est, id [b] et in hac brevi atque concisa prosit, necesse est. Neque alia dicuntur in altercatione, sed aliter, aut interrogando, aut respondendo. 3 Cujus rei fere omnis observatio in illo testium loco excussa nobis est. Tamen, quia latius hoc opus aggressi sumus, neque perfectus orator sine hac virtute dici potest, paullulum impendamus huic quoque peculiaris operæ, quæ quidem in quibusdam caussis ad victoriam vel pluri- 4 mum valet. Nam, ut [c] in *qualitate* generali, in qua, *Rectene factum quid, an contra sit?* quæritur, perpetua dominatur oratio; et quæstionem *finitionis* actiones [d] plerumque satis explicant, et omnia pene, in quibus de facto constat, aut *conjectura*, artificiali ratione, colligitur: ita in iis caussis, (quæ sunt frequentissimæ) quæ vel solis extra artem probationibus, vel mixtis continentur, asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris magis mucrone pug- 5 nari. Nam et firmissima quæque memoriæ judicis inculcanda sunt, et jam [e] præstandum, quidquid in actione promisimus, et refellenda mendacia. Nusquam est denique, qui cognoscit, intentior. Nec immerito quidam, quamquam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præ- 6 stantia meruerunt nomen patronorum. At quidam litigatoribus suis [f] illum modo ambitiosum declamandi sudorem

[z] perfectum G. Jens. [a] impulsione G. [b] idem hac Jens. [c] itque ne *inf.* Kapp. [d] actionis—explicat *omnes, præter* G. *et* Kapp. *quos sequimur.* [e] *Sic* Jens. *et al. ap. Bur.* jam *om. al.* [f] usi ullum Jens.

IV, 4. *actiones plerumque satis expl.*] Ostendit Fabius, ubi altercatione opus sit, ubi non sit. Non est primo in *qualitate* generali; hic enim *perpetua dominatur oratio*, qua ostendit orator, v. g. liceatne aliquando hominem occidere? Deinde *Actiones* etiam, h. e. orationes perpetuæ, (ut *actio prima* in Verrem, et *actionis secundæ* libri V) plerumque satis explicant *statum finitionis*, ubi quæritur, sitne *vis* ea, quæ metu et minis constat? Tertio, omnia, in quibus de facto aut constat, aut *statu conjecturali* per artificialia argumenta colligitur; etiam hæc satis explicant actiones perpetuæ. Verum altercatione opus est in eodem statu conjecturali, ubi inartificialibus argumentis, ut testibus, instrumentis &c. vel solis vel mixtis, utendum est. Jam quantum ad hanc sententiam, planam non modo, sed necessariam, scriptura, quam recepimus, conferat, ipse lector, qui potes, existima. Videtur idem, quantum ad summam rei, spectasse Burmannus, cum legendum conjecit, *aut quæstionem finitionis actio plerumque satis explicat.*

præſtitiſſe contenti, cum [g] turba laudantium deſtituunt ſubſellia, pugnamque illam decretoriam [h] imperitis ac ſæpe pullatæ turbæ relinquunt. Itaque [i] videas alios ple- 7
rumque judiciis [l] privatis *ad actiones* vocari, alios *ad probationes*. Quæ ſi dividenda ſunt officia, hoc certe magis neceſſarium eſt: pudendumque dictu, ſi plus litigantibus proſunt minores. In publicis certe judiciis vox illa præconis, præter patronos, ipſum, qui egerit, citat. Opus eſt 8
igitur in primis ingenio veloci ac mobili, animo præſenti et acri. Non enim cogitandum, ſed dicendum ſtatim eſt, et prope ſub conatu adverſarii manus exigenda [m]. Quare cum in omni parte hujuſce officii plurimum facit, totas non diligenter modo, ſed etiam familiariter [n] noſſe cauſſas; tum *in altercatione* [o] maxime neceſſarium eſt omnium *perſonarum, inſtrumentorum, temporum, locorum habere notitiam*: alioqui et tacendum eſt [p] ſæpe, et aliis ſubjicientibus, plerumque [q] ſtudio loquendi fatue [r] modo acceden-

[g] tamen G. [h] *Sic* G. *et plur. apud Burm. qui et ipſe huc inclinat.* decertoriam Jenſ. *et al.* decertatoriam *eſt a Regio: cui ſimile ait Burm.* concertatoriam *Cic. Bruto* 83. [i] ideoque G. [l] in ſubſelliis G. inſidiis Jenſ. [m] *Sic* G. Jenſ. *et plur. ap. Bur.* erigenda *rel.* [n] nos *inf.* G. Jenſ. [o] altricatione *hic et ſemper fere* G. [p] ergo G. eſt ergo Jenſ. [q] autem *inf.* G. Jenſ. [r] fatuis accedendum *conj. Burm.*

6. *cum turba laudantium*] Vid. noſtrum 4, 2, 37. et quæ loca ibi indicamus.

6. *pullatæ turbæ*] Jam ad 5, 10, 71. *pullam* veſtem humilis popelli fuiſſe monuimus.

7. *præter patronos*] Patroni enim poſſunt eſſe plures, unus tantum exiſſe.

8. *manus exigenda*] Quæ *manus* eſſet in ludo gladiatorio, dictum ad 5, 13, 54. *Exigere* hic eſt perficere, ut ſæpe. In ipſo conatu adverſarii, vel repellendus eſt ipſius ictus, vel a nobis plaga ei inferenda. *Manum erigere* hic parum nimis eſſe videtur. *Exigere* de gladio et vulneribus dici, oſtendit Gronov. ad Senecæ Conſ. ad Marc. c. 16, Burmanno hic laudatus.

8. *fatue modo acced.*] Patronus, qui cauſſam non familiariter ſatis novit, aut tacere cogitur, cum ad altercationem, et ſingulas cauſſæ circumſtantias ventum eſt, aut, ſi omnino loqui vult, *fatue modo accedendum ſubjicientibus*, ſimpliciter, nullo judicio ſuo interpoſito, nulla cum gratia aut acrimonia, repetenda, quæ litigatores ſubjiciunt: unde illud incommodi interdum evenit, ut, dum nimis credimus omnia ex tempore ſubjicientibus, nec ſpatium examinandi ſingula nobis ſumimus, erubeſcere cogamur aliena ſtultitia litigatorum, ſuppeditantium nobis vel noxia ſibi et profutura adverſario, vel certe ſuperioribus repugnantia, quæ nos præ nimia credulitate et facilitate pro veris adſumſimus. *Accedere* eſt aſſentiri, ſumtum ab Senatoribus, qui pedibus in ſententiam alterius eunt, et illi ſe adjungunt. Elegans eſt illud Plinii de Medicorum concertationibus 29, 1. ſ. 6. *Nullo idem*

dum: quo[s] nonnumquam accidit, ut[t] in noſtra credulitate[u] aliena ſtultitia[x] erubeſcamus. Neque tamen[z] hoc ipſis monitoribus clareſcit: quidam faciunt aperte, quod rixemur. Videas enim pleroſque ira percitos exclamantes, ut judex audiat, contrarium id eſſe, quod admoneatur, ſciatque ille, qui pronuntiaturus eſt in cauſſa, malum, quod tacetur. Quare bonus altercator vitio iracundiæ careat. Nullus enim rationi magis obſtat affectus, et fert[a] extra cauſſam, et plerumque deformia convicia facere ac mereri cogit, et ipſos nonnumquam judices incitat. Melior moderatio, ac nonnumquam etiam patientia. Neque enim refutanda tantum, quæ e contrario dicuntur, ſed contemnenda, elevanda, ridenda ſunt; nec uſquam plus loci reperit[b] urbanitas, odium mordet et pudor: contra turbantes audendum[c], et impudentiæ fortiter reſiſtendum. Sunt enim quidam præduri in hoc[d] oris, ut obſtrepant ingenti clamore, et medios ſermones intercipiant, et omnia tumultu confundant: quos ut non imitari, ſic acriter propulſare oportebit: et ipſorum improbitas retundenda, et judices vel præſidentes magiſtratus appellandi frequenter, ut loquendi vices ſerventur. Nam[e] eſt res animi jacentis, et mollis ſupra modum frontis, fallitque plerumque[f], quod *probitas* vocatur, quæ eſt imbecillitas. Valet autem in altercatione plurimum *acumen*, quod ſine dubio ex arte

[s] quod nunquam G. Jenſ. [t] *om. iid.* [u] crudel. Jenſ. ruditate *conj. Bur.* [x] ſtudia G. [z] tantum his G. Jenſ. tantum lis *Obr.* [a] fere G. Jenſ. [b] recipit Jenſ. [c] eſt *inſ.* G. [d] hæc G. [e] Non Jenſ. [f] verumque G. ſerrumque *V. C. Alm.*

cenſente, ne videatur acceſſio alterius. Accedit igitur, qui ſuam fidem, ſuam ſententiam aliis delegat, nihil ipſe pronuntiat.

9. *Neque tamen hoc*] Ipſi monitores illi ſ. litigatores, qui ita monere patronum ſolent, non ſatis hoc intelligunt, quam noceatur cauſæ, ſi non domi doceatur patronus, ſed in ipſa actione demum audire debeat: quidam eorum *faciunt* tale quid interdum, ob *quod rixemur* neceſſario, cum nutu ſe non patiuntur eo rediqi, uti taceant, quod dicto opus non eſt. Interdum quidem (vid. 4, 5, 20.) etiam ad utilitatem cauſæ iſta rixa transfertur; ſed plerumque contentio inter patronum et ſuum litigatorem incommoda. *Videas enim pleroſque* patronos &c.

10. *odium mordet et pudor*] Nimirum adjungenda hæc ſuperioribus: *nec uſquam plus odium mordet et pudor*. In altercatione igitur potiſſimum ea parte oſtendendus eſt judici adverſarius, qua odio dignus videtur: hoc ipſum *mordet*, inquietum et æſtuantem reddit, non minus quam *pudor*, ubi nempe pudendum aliquod dictum vel factum ejus commemoratur.

12. *acumen*] Si bene conſideres, nihil aliud eſt *acumen* hic quidem,

non venit: natura enim non docetur, arte tamen adjuvatur. In qua præcipuum eſt, ſemper id in oculis habere, 13
de quo quæritur, et quod volumus [g] efficere: quia propoſitum tenentes in rixam non ibimus, nec cauſſæ debita tempora conviciando conteremus, gaudebimuſque, ſi hoc adverſarius facit. Omnia tempora [h] fere parata ſunt meditatis diligenter, quæ aut ex adverſo dici, aut reſponderi a nobis poſſint. Nonnumquam tamen ſolet hoc quoque 14
eſſe artis genus, ut quædam in actione diſſimulata, ſubito in altercando proferantur, et inopinatis eruptionibus, et [i] ex inſidiis citiſſimo facto [k] ſimillimum. Id autem tum faciendum [l], cum eſt aliquid, cui reſponderi non ſtatim poſſit: potuerat [m] autem, ſi tempus ad diſponendum * fuiſſet. Nam, quod fideliter firmum eſt, a primis ſtatim ac- 15
tionibus arripere optimum eſt, quo ſæpius diutiuſque dicatur. Illud vix ſaltem præcipiendum videtur, ne turbidus et clamoſus tantum ſit altercator, et quales fere [n] ſunt,

[g] voluimus Jenſ. [h] *omittendum cenſet Rollinus: Quid ſi* tempore *vel* tempori? [i] aut Jenſ. [k] citiſſime factis *conj. Rollin.* furto *conj. Gallæus ap. Burm. v. n.* [l] eſt *inf.* Jenſ. [m] potuerit G. *recte, puto.* * reſpondendum *conj. Reg.* [n] facti G. Jenſ. *et plur. ap. Bur.* fatui *conj.* Aſcenſ.

quam celeritas cogitandi dicendique, breviter præſertim, quod ex re ſit. Nominis origo, ut nimirum in pleriſque, ex uſu Græcorum, apud quos ὀξὺς *celerem* idem et *acutum* notat, *tardo* et *obtuſo* æque opponitur. *Morbos acutos, tardis* oppoſitos nemo ignorat.

13. *conviciando conteremus*] Vid. omnino ad 6, 2, 16. Licitum fuiſſe, h. e. impunitum, conviciis et maledictis etiam falſis ſe invicem petere in judicio, apertum eſt; ſed propter eos, quibus noſtri mores hoc improbabile reddunt, paucis Fabii et aliorum locis indicatis oſtendendum. Vide igitur, ſi quis dubitas, 5, 13, 40. 6, 3, 28. 12, 9, 8. ſq. Add. Cic. pro Font. 12. ſq. pro Plancio 12. *Non crimen eſt, ſed non punitum in maledico mendacium.* Id. pro Cœl. 3. Plin. epiſt. 1, 23, 2.

13. *Omnia tempora fere*] *Tempora* huc non convenire bene vidit, Burmanno obſervante, Rollinus; ſed haud paullo blandius remedium nobis videbatur, ſi *tempore* vel *tempori* legamus, h. e. mature, in tempore.

14. *citiſſimo facto ſimillimum*] *Genus* hoc, de quo loquitur, *artis ſimillimum eſt citiſſimo facto*, h. e. facinori, ſtrategemati; ut *ſolertia ducum facta*, et ſimpliciter *facta* Frontinus in præfatione operis appellavit. Add. 1, 7, 7. ubi *factum Alexandri Macedonis illud nobile. Eruptiones* eſſe non obſeſſorum modo, ſed generatim eorum, qui ſubito hoſtem invadunt, ſatis conſtat. Vid. quia adhuc in manibus eſt, Frontin. 2, 3, 10.

14. *tempus ad diſponendum*] Si ita dedit Fabius, quod dubitare vidimus Regium, *diſponere* eſt digerere, ab omnibus partibus conſiderare, ut inveniamus, quid reſponderi poſſit.

15. *vix ſaltem*] h. e. ne quidem. Vid. ad 6, 2, 19.

qui literas neſciunt. Nam improbitas, licet adverſario moleſta ſit, judici inviſa eſt. Nocet etiam diu pugnare in
16 iis, quæ obtinere non poſſis. Nam, UBI vinci neceſſe eſt, expedit cedere: quia, ſive plura ſunt, de quibus quæritur, facilior erit in ceteris fides: ſive unum, mitior ſolet irrogari pœna verecundiæ. Nam CULPAM, præſertim de-
17 prehenſam, pertinaciter tueri, culpa altera eſt. Dum ſtat acies, multi in re conſilii atque artis eſt, ut errantem adverſarium trahas, et ire quam longiſſime cogas, ut vana interim ſpe exſultet. Ideo quædam bene diſſimulantur inſtrumenta. Inſtant enim, et ſæpe diſcrimen omne committunt, quod deeſſe nobis putant, et faciunt probationi-
18 bus noſtris auctoritatem poſtulando. Expedit etiam dare aliquid adverſario, quod pro ſe putet, quod apprehendens [o], majus aliquid cogatur dimittere: duas interim res proponere, quarum utramlibet male ſit electurus; quod in altercatione ſit [p] potentius, quam in actione: quia in illa nobis ipſi reſpondemus, in hac adverſarium, quaſi
19 confeſſum, tenemus. Eſt in primis acuti, videre, quo judex dicto moveatur, quid reſpuat: quod ex vultu ſæpiſſime, et aliquando etiam dicto aliquo factove ejus deprehenditur. Et inſtare proficientibus; et ab iis, quæ non adjuvant, quam molliſſime pedem oportet referre. Faciunt hoc medici quoque, ut remedia perinde perſeverent adhibere, vel deſinant, ut illa recipi vel reſpui vident.
20 Nonnumquam, ſi rem evolvere propoſitam facile non ſit, inferenda eſt alia quæſtio: atque in eam, ſi fieri poteſt, judex evocandus. Quid enim, cum reſpondere non poſſis, agendum eſt, niſi ut aliud invenias, cui adverſarius re-
21 ſpondere non poſſit? In pleriſque judex eſt avocandus, ut

[o] minus *inſ.* Jenſ. *non male.* [p] ſit G.

17. *diſcrimen omne committunt*] Comparat Burmannus formulas *multam committere*, vel *edictum*, i. e. facere, quod edicto prohibetur, quod multam meretur. Quidquid ejus ſit, ſententia poſtulat, ut intelligamus, litigantes interdum *in diſcrimen committere totam cauſſam* eo, quod ignorari a nobis putent inſtrumenta. Forte igitur illa notio locum hic habeat, ſi ſana eſt lectio, qua *pugna* vel *prælium committi* dicitur, i. e. incipi, conſeri.

21. *In pleriſque*] Hæc verba aliquantum mihi ſuſpecta ſunt: modo enim de eadem dixerat, *nonnumquam*: neque dixit *de pleriſque, qui circa teſtes eſt locus*, h. e. eo loco, qui eſt circa teſtes, nimirum 5, 7, 23. Si indicaſſet Obrechtus fundum pronominis *eo*, quod inſeruit, recepiſſem: quod vero ſuſpicor eſſe ex conjectura, nec ſimpliciter neceſſarium puto, adnotare ſatis habui.

dixi *, qui circa teſtes eſt [q] locus, et perſonis modo diſtat, quod hic patronorum inter ſe certamen, illic pugna inter teſtem et patronum. Exercitatio [r] vero hujus rei longe facilior. Nam eſt utiliſſimum, frequenter cum aliquo, qui ſit ſtudiorum eorumdem, ſumere materiam vel veræ, vel etiam fictæ controverſiæ, et diverſas partes, altercationis modo, tueri: quod idem etiam in ſimplici genere quæſtionum fieri poteſt. Ne illud quidem ignorare advo- 22
catum volo, quo quæque ordine probatio ſit apud judices [s] proferenda: cujus rei eadem in argumentis ratio eſt, ut potentiſſima prima et ſumma ponantur. Illa enim ad credendum præparant judicem, hæc ad pronuntiandum.

V. (VI.) His pro noſtra facultate tractatis, non [t] dubitaſſem tranſire protinus ad *diſpoſitionem*, quæ ordine ipſo ſequitur: niſi vererer, ne, quoniam fuerunt, qui *judicium inventioni* ſubjungerent, præteriſſe hunc locum quibuſdam viderer, qui mea quidem opinione adeo partibus operis hujus omnibus connexus ac mixtus [u] eſt, ut ne a ſententiis quidem aut verbis ſaltem ſingulis poſſit ſeparari: nec magis arte traditur, quam guſtus aut odor. Ideoque nos, 2
quid in quaque re ſequendum cavendumque ſit [x], docebimus, ut ad ea judicium dirigatur. Præcipuum [y] igitur, ne, quod effici non poteſt, aggrediamur, ut contraria vitemus et communia: ne quid in eloquendo corruptum obſcurumque ſit, referatur oportet ad ſenſus, qui non docentur. Nec multum a *judicio* credo diſtare *conſilium*, niſi 3
quod illud oſtendentibus ſe [z] rebus adhibetur, hoc [a] latentibus, et aut omnino nondum repertis, aut dubiis: et

* eo *inſ. Obr.* [q] et locos et perſonas G. Jenſ. *et al.* [r] exercitio Jenſ. [s] juvenes G. [t] *om.* G. [u] immixtus, ut G. [x] docemus ac deinceps G. Jenſ. *et plur. ap. Burm.* [y] Præcipiam communia. ne quid in eloquendo corruptum obſcurumque ſit, referatur igitur ne quod effici non poteſt aggrediamur. ut contraria vitemus, et oportet ad ſenſus Jenſ. [z] *om.* Jenſ. [a] hæc G.

22. *potentiſſima prima et ſumma*] Homerica diſpoſitione, quam attulimus ad 5, 12, 14.

V, 1. *judicium inventioni ſubj.*] De quo vid. 3, 3, 5.

2. *docebimus*] Aut pleniorem illam lectionem, quam ſupra propoſui, veram puto, aut certe legendum ſimpliciter *docemus*: ſolum enim *docebimus* minus, quam hic opus eſt, ſignificat. Vid. ſ. 6.

2. *ne, quod effici*] Græcum præceptum jam commemoratum 4, 5, 17.

2. *communia*] Meminerimus, communia eſſe, quæ æque pro utraque parte valent.

2. *ad ſenſus, qui non docentur*] Ad ſenſum illum communem, et naturalem ſagacitatem, qua ſanus et acutus a ſtulto diſtat et ſtupido.

quod [b] *judicium* frequentiſſimie certum eſt; *conſilium* vero eſt ratio quædam alte petita, et plerumque plura perpendens et comparans, habenſque in ſe et inventionem, et ju-
4 dicationem. Sed ne hæc quidem præcepta in univerſum ſpectanda ſunt: nam [c] ex re ſumitur, cui [d] locus *ante actionem* eſt frequenter: nam Cicero ſummo conſilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluiſſe, quam in eum annum, quo erat Q. Hortenſius conſul futurus, in-
5 cidere. Et *in* [e] *ipſis actionibus* primum ac potentiſſimum [f] obtinet locum: nam, quid dicendum, quid tacendum, quid differendum [g] ſit, exigere, conſilii eſt; negare ſit ſatius, an defendere: ubi proœmio utendum, et quali: narrandumne, et quo modo: jure prius pugnandum, an æquo: qui ſit ordo utiliſſimus: tum omnes colores; aſ-
6 pere an leniter, an etiam ſubmiſſe loqui expediat. Sed hæc quoque, ut quiſque paſſus eſt locus, monuimus, idemque in reliqua parte faciemus: pauca tamen exempli gratia ponam: quibus manifeſtius appareat, quid ſit, quod
7 demonſtrari poſſe præceptis non arbitror. Laudatur conſilium Demoſthenis, quod, cum ſuaderet bellum Athenienſibus parum id proſpere expertis, nihil adhuc factum eſſe ratione monſtrat; poterat enim emendari negligentia: at, ſi nihil eſſet erratum, melioris in poſterum ſpei [h]
8 non erat ratio. Idem, cum offenſam vereretur, ſi objurgaret populi ſegnitiem in aſſerenda libertate reipublicæ; majorum laude uti maluit, qui eam [i] fortiſſime adminiſtraſſent. Nam et faciles habuit aures, et [l] natura ſeque-
9 batur, ut meliora probantes [m] pejorum pœniteret. Cice-

[b] *om.* Jenſ. [c] nec G. [d] cujus G. Jenſ. [e] *om. iid.* [f] potiſſimum *iid.* [g] Sic G. *et marg. Steph.* diffidendum Jenſ. *et al.* diffitendum *ex correct. Regii etiam Bur.* [h] rei Jenſ. [i] rem G. Jenſ. *et al. ap. Bur.* [l] a *inſ.* Jenſ. [m] probantis G. Jenſ.

4. *nam ex re ſumitur*] Præcepta *conſilii* non magis quam *judicii* in univerſum ſpectanda ſunt. Certe parum proſunt præcepta illa generalia, quæ vera eſſe, videre cujuſvis eſt; obſervare in loco, difficillimum: *nam ex re* præſenti, ex cauſa *ipſa* et ejus circumſtantiis *ſumitur* conſilium: eique locus eſt et *ante actionem*, et *in ipſis actionibus* &c.

5. *exigere*] Examinare, accurate perpendere, ut 1, 4, 7. *An cujuſlibet auris eſt exigere literarum ſonos?* Plin. epiſt. 9, 26, 13. poſt longam diſputationem, *Jam nunc*, inquit, *deſtines diem, quo et de illis et de his coram exigere poſſimus.* Vid. Gronov. Obſ. 4, 20.

7. *conſil. Demoſthenis*] Cujus ipſe hanc ſummam proponit contra Philipp. 1. non procul a principio, ἵν' εἰδῆτε, ὅτι ἐδὲν ὅτε φυλαττομένοις ὑμῖν ἐςὶ φοβερὸν, ὅτ' ἂν ὀλιγωρεῖτε, τοιοῦτον οἷὸν ἂν ὑμεῖς βούλησθε κ. τ. λ.

ronis quidem vel una pro Cluentio quamlibet multis exemplis sufficerit[n] oratio. Nam, quod[o] in eo consilium maxime mirer? primamne expositionem, quæ matri, cujus filium premebat auctoritas, abstulit fidem? an, quod idem corrupti judicii crimen transferre in adversarium maluit, quam negare, propter inveteratam (ut ipse dicit) infamiam? an, quod in re invidiosa legis auxilio noviſſime est usus? quo genere defensionis etiam offendisset nondum præmollitas judicum mentes: an, quod se ipsum invito Cluentio facere testatus est? Quid pro Milo- 9
ne? quod non ante narravit, quam præjudiciis omnibus reum liberaret[p]? quod insidiarum invidiam in Clodium vertit? quamquam re vera fuerat pugna fortuita: quod factum et laudavit, et tamen voluntatem Milonis removit? quod illi preces non dedit, et in earum locum ipse successit? Infinitum est enumerare, ut Cottæ detraxerit auctoritatem; ut pro Ligario se opposuerit; Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit. Illud dicere satis habeo, 11
NIHIL esse non modo in orando, sed in omni vita, prius consilio; frustraque fine eo tradi ceteras artes, PLUSque vel sine doctrina prudentiam, quam sine prudentia facere doctrinam. Aptare[q] etiam orationem locis, temporibus, personis, esse ejusdem virtutis. Sed hic quia latius fusus est locus, mixtusque cum elocutione, tractabitur, cum præcipere de apte dicendo cœperimus.

n sufficeret *iid.* o quid Jenf. p liberarit G. q Apparet *id.*

10. *Cottæ detraxerit auctor.*] Forte in caussa pro Oppio, quam ipse commemorat: Vid. 5, 10, 69. 5, 13, 20 et 30. 11, 1, 67.

10. *Cornelium ipsa confessionis*] Vid. 5, 13, 18.

M. FABII QUINCTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER SEPTIMUS.

PRÆFATIO. (I.)

De inventione (ut arbitror) ſatis dictum eſt. Neque enim ea demum, quæ ad docendum pertinent, exſecuti ſumus, verum etiam motus animorum tractavimus. Sed, ut opera exſtruentibus ſatis non eſt, ſaxa atque materiam, et cetera ædificanti utilia congerere, niſi diſponendis iis collocandiſque artificum manus adhibeatur: ſic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congeſtum, niſi illas eadem *diſpoſitio* in [a] ordinem digeſtas, atque inter ſe commiſſas [b] devinxerit. 2 Nec immerito ſecunda quinque partium poſita eſt, cum fine ea prior nihil valeat. Neque enim, quamquam fuſis omnibus membris, ſtatua ſit, niſi collocetur: et, ſi quam in corporibus noſtris aliorumve animalium partem permutes atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium ſit tamen. Et artus etiam leviter loco moti perdunt, quo viguerunt, uſum: et turbati exercitus ſibi 3 ipſi ſunt impedimento. Nec mihi videntur [c] errare, qui ipſam rerum naturam ſtare ordine putant; quo confuſo,

[a] *om.* Jenſ. [b] commixtas G. *male.* [c] videtur Jenſ. *non male.*

3. *quo confuſo, peritura*] Hoc magis diceres, Fabi, ſi hodie ita philoſophari homines ſcires, ut metuant, ne alius mundus fiat, ſi ſeries illa actionum cogitationumque vel minima in re interturbetur; ut ob eam ipſam rem in admittendis miraculis ita cauti ſint, ne tota rerum ſeries corrumpatur, ac novo deinde, quo ea reſtituatur, miraculo opus ſit.

peritura sint omnia. Sic oratio, carens hac virtute, tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet, nec[d] cohæreat sibi: multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans: nec initio nec fine proposito, casum potius, quam consilium, sequatur. Quapropter totus hic 4
liber serviat *dispositioni*[e], quæ quidem, si certa aliqua via tradi in omnes materias ullo modo posset, non tam paucis contigisset. Sed, cum infinitæ litium formæ fuerint, futuræque sint, et tot seculis nulla reperta sit causa, quæ esset tota alteri similis, sapiat oportet actor, et vigilet, et inveniat, et judicet, et consilium a se ipso petat. Neque infitias eo, quædam esse, quæ demonstrari possint, eaque non omittam.

I. (II.) Sit igitur (ut supra significavi) *divisio*, rerum plurium in singulas: *partitio*, singularum in partes discretus ordo, et[f] recta quædam locatio[g] prioribus sequentia annectens: *dispositio*, utilis rerum ac partium in locos[h] distributio. Sed meminerimus, ipsam *dispositionem* ple- 2
rumque utilitate mutari, nec eamdem semper primam quæstionem ex utraque parte tractandam. Cujus rei, ut cetera exempla[i] præteream, Demosthenes quoque atque Æschines possunt esse documento, in judicio Ctesiphontis diversum secuti ordinem, cum accusator a jure, quo videbatur potentior, cœperit: patronus omnia, vel pene omnia, ante jus posuerit, quibus judicem quæstioni legum præpararet. Aliud enim alii[k] docere prius expedit: a- 3
lioqui semper petitoris arbitrio diceretur: denique in accusatione mutua[l], cum se uterque defendat, prius quam adversarium arguat, omnium rerum necesse est ordinem esse diversum. Igitur, quid[m] ego[n] sim secutus, quod partim præceptis, partim usurpatum ratione cognoveram, promam: nec umquam dissimulavi. Erat mihi curæ in 4
controversiis forensibus nosse omnia, quæ in causa versarentur. Nam in schola certa sunt, et pauca, et ante declamationem exponuntur, quæ θέματα Græci vocant, Cicero *proposita*. Cum hæc in conspectu quodammodo

[d] et ne Jens. et nec G. [e] divisioni G. [f] *om.* G. [g] collocatio G. [h] loco Jens. [i] extra G. *ex compendio scribendi.* [k] *Hoc ratio posuit, et vidit Obr.* alio *rel.* [l] *om.* Jens. ut vacuum se ut. G. [m] quod G. Jens. [n] ipse sum G.

I, 1. *supra significavi*] 4, 5, 1. 4. *Cicero proposita*] Top. 21. et Part. 18. sed paullo alio sensu; nempe θέσιν Græcorum, quæstionem infinitam, quæ oppositam habet ὑπόθεσιν, *propositum* appellat.

collocaveram, non minus pro adversa parte, quam pro
5 mea, cogitabam [o]. Et primum (quod non difficile dictu
est, sed tamen ante omnia intuendum) constituebam, *quid*
utraque pars vellet efficere; tum, *per quid?* hoc modo.
Cogitabam, quid primum *petitor* diceret. Id aut *confes-*
6 *sum* erat, aut *controversum*. Si [p] confessum, non poterat
ibi esse quæstio. Transibam ergo *ad responsum* partis alte-
rius, idem intuebar: nonnumquam etiam, quod [q] inde
obtinebatur, confessum erat. Ubi primum cœperat non
convenire, quæstio oriebatur [r]. Id tale est, *Occidisti homi-*
7 *nem, Occidi:* convenit: transeo. Rationem reddere debet
reus, *Quare occiderit? Adulterum*, inquit, *cum adultera*
occidere licet? legem esse certum est. Tertium jam ali-
quid videndum est, in quo pugna consistat. *Non fuerunt*
adulteri: Fuerunt, quæstio: de facto ambigitur, conjec-
8 tura est. Interim [s] vero et tertium confessum est, *adulte-*
ros fuisse: Sed tibi, inquit accusator, *illos non licuit occi-*
dere: exsul enim eras, et ignominiosus: de jure quæritur.
At, si protinus dicenti, *Occidisti*, respondeatur, *Non occidi:*
statim pugna est. Sic explorandum est, ubi controversia
incipiat: et considerari debet, quæ primam quæstionem
9 facit. Intentio simplex, *Occidit Saturninum Rabirius:*
conjuncta, *Lege de sicariis commisit L. Varenus. Nam C.*
Varenum occidendo [t], *et Cn. vulnerando, et Salarium* [u] *item*
occidendo [x], *cadit* [z]. Nam sic diversæ propositiones erunt:

[o] judicabam G. [p] Si non conf. poterat G. Jens. [q] quid inde objici-
ebatur G. objic. *etiam Vallæ liber et Voss. 2. ap. Bur.* [r] confessum erat *inf.*
Jens. *quæ repetiit errore librarius, delere noluit.* [s] Interim et ego tertium
G. Jens. [t] occidendum—vulnerandum—occidendum G. 2. *et* Kapp.
[u] Solarium G. 2. [x] occidend' G. 2. [z] *Videtur leg.* occidendum—cu-
ravit *v. n.*

6. *inde obtinebatur*] Non contemnenda altera lectio, *objiciebatur:* certe *obtinebatur* non satis huc videtur convenire, nisi idem significat forte, quod *obtendebatur*.

9. *Nam C. Varenum*] Sic adhuc editus est locus hic et in fragmentis Ciceronianis. Et potest habere hanc sententiam, quæ vel hoc nomine mihi placet, quia probat Werlhofius: *C. Varenum occidendo—cadit*, h. e. quia occidit, vulneravit, iterum occidit, causa *cadit*, damnaturque merito. Neque tamen dissimulo, desiderare me exemplum simillis formulæ sive actionis: præsertim cum hic ne quidem de ipsa actione, quæ intenditur, sed de formanda demum quæstione et statu controversiæ sermo sit. Igitur non dubitassem lectionem Gothani secundi et Kappiani codicum recipere, si in ultimo hoc verbo æque ac in reliquis conjecturæ meæ respondarent. Nimirum plana omnia mihi videbantur, si legeremus, *Nam C. Varenum occidendum, et Cnæum vulnerandum, et Salarium item occidendum curavit.*

quod idem de petitionibus dictum sit[a]. Verum ex conjuncta propositione plures esse quæstiones ac status possunt, si aliud negat reus, aliud defendit, aliud[b] jure actionis excludit. In quo genere agenti est dispiciendum, quid quoque loco diluat. Quod pertinet ad actorem[c], non 10
plane dissentio a Celso, qui sine dubio Ciceronem est secutus: instat tamen huic parti vehementius, ut putet, primo firmum aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio: quia et initio movendus sit judex, et summo impellendus. At pro reo plerumque gravissimum 11
quidque primum movendum[cc] est, ne illud spectans judex reliquorum defensioni sit aversior. Interim tamen et hoc mutabitur, si leviora illa palam falsa erunt, gravissimi defensio difficilior: ut, detracta prius accusatoribus fide[d], aggrediamur ultimum, jam judicibus omnia vana esse credentibus. Opus erit tamen præfatione, qua et ratio reddatur dilati criminis, et promittatur defensio: ne id, quod non statim diluemus, timere videamur. Anteactæ 12
vitæ crimina plerumque prima purganda[e] sunt, ut id, de quo laturus est sententiam judex, audire propitius incipiat. Sed hoc quoque pro Vareno Cicero in ultimum distulit: non, quid[f] frequentissime, sed, quid tum expediret, intuitus. Cum simplex intentio erit, videndum 13
est, an[g] unum aliquid respondeamus, an plura. Si unum; *in re* quæstionem instituamus, an *in scripto*. *Si in re*; negandum sit, quod objicitur, an tuendum. *Si in scripto*; in qua specie juris pugna sit, et in ea *de verbis*, an *voluntate* quæratur. Id ita consequemur, si intuiti fuerimus, 14
quæ sit lex, quæ litem faciat: hoc est, qua judicium sit constitutum. Nam quædam in scholasticis ponuntur ad conjungendam modo actæ rei seriem: ut, *Pater, expositum qui agnoverit, solutis alimentis recipiat. Minus dicto audientem filium liceat abdicare. Qui expositum recepit, imperat*

a *om.* Jens. est G. b a *inf.* Jens. c doctorem *id.* cc diluendum *marg. Colo.* amovendum *conj. Asc. ap. Burm. Quid si* moliendum *vel* amoliendum? d *om.* G. e impugnanda G. Jens. *et al. ap. Bur. v. n.* f quidem G. *male.* g *Illud* an *pulchre omittit* G. 2.

10. *primo firmum*] Homerica dispositio, de qua 5, 12, 14. 6, 4, 22.

12. *prima purganda sunt*] Non contemnenda lectio supra proposita, aut expurganda adeo fuit a Regio. Quidni enim patronus *impugnet crimina*, h. e. pugnet omni contentione contra crimina eo intentata. Ita mox l. 45, de quæstione, *qua non expugnata*, inquit, *non sit sequentibus locus*: h. e. quam nisi contentione vicerit patronus.

ei nuptias locupletis propinqui: ille ducere vult filiam pau-
15 *peris educatoris.* Lex de expositis ad affectum [h] pertinet, judicium pendet ex lege abdicationis. Nec tamen semper ex una lege quæstio est, ut in *ἀντινομία*. His spectatis apparebit, circa quæ pugna sit. Conjuncta defensio [i] est, qualis pro Rabirio, *Si occidisset, recte feciſſet; sed non occi-*
16 *dit.* Ubi vero multa contra unam propositionem dicimus, cogitandum est primum, quidquid dici potest: tum ex his, quo quidque loco dici expediat, ordinandum. In quo non idem sentio, quod de propositionibus paullo ante, quodque de argumentis probationum [k] loco concessi, ali-
17 quando nos incipere a firmioribus. Nam vis quæstionum semper [l] crescere debet, et ad potentissima ab infirmissimis
18 pervenire, sive sunt ejusdem generis, sive diversi. Juris autem quæstiones solent esse nonnumquam ex aliis atque aliis conflictationibus [m]: facti semper idem spectant; in utroque genere similis ordo est. Sed prius de dissimilibus, ex quibus infirmissimum quidque primum tractari oportet. Ideoque quasdam quæstiones exsecuti donare solemus, et concedere. Neque enim transire ad alias possumus, nisi
19 omissis prioribus. Quod ipsum ita fieri oportet, non, ut damnasse eas videamur, sed omisisse, quia possimus [n] etiam sine eis vincere. *Procurator alicujus pecuniam petit ex fœnore hereditario:* potest incidere quæstio, *An huic esse pro-*
20 *curatorem liceat?* Finge nos, postquam tractavimus [o], remittere, vel etiam convinci: quæretur, *An ei, cujus nomine litigatur, procuratorem habendi sit jus?* Discedamus hinc quoque: recipit materia [p] quæstionem, *An ille, cujus nomine agitur, heres sit fœneratoris? an ex asse heres?*
21 Hæc quoque concessa sint: quæretur, *An debeatur?* Contra, nemo tam demens fuerit [q], ut [r] id, quod firmissimum duxerit se habere [s], remittat [t], et ad leviora transcendat. Huic in schola simile est, *Non abdicabis adoptatum: ut hunc quoque; non virum fortem: ut et fortem; non, quicumque voluntati tuæ* [u] *non paruerit: et, ut in alia omnia sub-*

[h] effectum G. [i] dissentio G. [k] probationum loco *glossam putat Mosellanus, quo indicetur* 5, 12, 14. [l] percrescere G. Jens. *et al. ap. Bur. sed vitiose, ipso judice.* [m] conflictionibus Jens. [n] possumus *id.* [o] ea *adjicit* G. 1. eadem, G. 2. [p] natura G. Jens. [q] n. motam vehemens fuerit, ut cum id firmissimum &c. G. 2. vehemens *etiam* G. 1. [r] cum *inf.* Jens. [s] et *inf. id.* [t] illud *inf.* G. Jens. [u] ejus Jens.

21. *et, ut—subjectus sit*] Si tibi concedam, in alia omnia illum ita tibi subjectum esse, ut abdicari possit, si non paruerit; tamen propter *opinionem* abdicari non potest. *Optionem* undecunque habeat Obrech-

jectus sit ; non propter opinionem : et [v], *ut propter opinionem ; non propter talem opinionem.* Hæc juris quæstionum differentia est. In factis autem ad idem tendentia sunt plura, 22
ex quibus aliqua citra summam quæstionem remitti solent : ut, si is, cum quo furti agitur, dicat, *Proba te habuisse, proba* [x] *perdidisse, proba* [x] *furto perdidisse, proba* [x] *mea* 23
fraude : priora enim remitti possunt : ultimum [y] non potest. Solebam et hoc facere præcipue, ut [z] vel ab ultima specie (nam ea fere est, quæ continet causam) retrorsum quærerem [a] usque ad primam generalem quæstionem, vel a genere ad extremam speciem descenderem [a], etiam in suasoriis. Ut deliberat *Numa, an regnum offerentibus Ro-* 24
manis recipiat ? Primum id [b] est genus, *An regnandum ? an in civitate aliena ? an Romæ ? an laturi sint Romani talem regem ?* Similiter et in controversiis. *Optet enim vir fortis alienam uxorem.* Ultima species est, *An optare possit alienam uxorem ?* Generale est, *An, quidquid optaverit, accipere debeat ?* Inde, *An ex privato ? an nuptias ? an maritum habentem* [c] *?* Sed hoc non, quemadmodum dicitur, ita et quæritur. Primum enim occurrit fere, quod est ul- 25
timum dicendum, ut hoc, *Non* [d] *debes alienam uxorem optare.* Ideoque divisionem perdit festinatio. Non oportet igitur offerentibus se contentum esse : quæratur [e] aliquid, quod [f] est ultra, *si ne viduam* [g] *quidem ?* adhuc plus, *si nihil ex privato ?* ultimum retrorsum, quod idem a capite primum [h] est, *si* [i] *nihil iniquum ?* Itaque propositione visa, 26
quod est facillimum, cogitemus, si fieri potest, quid naturale sit primum responderi. Id si, tamquam res agatur, et nobis ipsis respondendi necessitas sit, intueri voluerimus [l], occurrit. Si id non contigerit, seponamus id, quod 27
primum se obtulerit, et ipsi nobiscum sic loquamur : *Quid, si hoc non esset ?* id iterum et tertium, et dum nihil sit re-

[v] et ut p. op. *om.* G. Jens. optionem *bis hic dedit Obr.* [x] te *inf.* Jens. *ter.* [y] ultima non possunt Jens. *male.* [z] *om.* G. [a] quærere—descendere G. [b] idem genus Jens. id agemus G. [c] habentes G. *an f.* habentis ? habentis *esse ait Heusingerus* G. 1. *et* 2. [d] Modo G. *Forte fuit,* Modo non. [e] quæret aliquid Jens. quærat igitur G. [f] ne ultra sit Jens. [g] vidua G. [h] *om.* G. [i] *om.* G. Jens. [l] volumus *iid.*

tus, frequens certe est in schola declamatoria, ut, *Vir fortis optet præmium* &c. vid. mox s. 52.

25. *si ne viduam quidem*] Huic respondet paullo ante quæstio, *An nuptias* optare liceat viro forti ? *Viduæ* mulieris nuptias qui optat, nulli viro injuriam facit : itaque si de vidua quæri potest, multo magis de ea, quæ maritum habet, dubitabitur.

liqui. Ita inferiora quoque ſcrutabimur, quæ tractata faciliorem[m] nobis judicem in ſumma quæſtione facient.
28 Non diſſimile huic eſt et illud præceptum, ut a communibus ad propria veniamus. Fere enim communia generalia ſunt. Commune eſt, *Tyrannum occidit*: proprium, *Virum tamen tyrannum occidit, mulier occidit, uxor occidit.*
29 Solebam et excerpere, quid mihi cum adverſario conveniret, ſi modo id pro me erat: nec ſolum premere confeſſionem, ſed partiendo multiplicare: ut in illa controverſia, *Dux, qui competitorem patrem in ſuffragiis vicerat, captus eſt: euntes ad redimendum eum legati, obvium habuerunt patrem, revertentem ab hoſtibus: is*[n] *legatis dixit, Sero itis.*
30 *Excuſſerunt illi patrem, et aurum in ſinu ejus invenerunt: ipſi perſeverarunt ire, quo intenderant: invenerunt ducem cruci fixum, cujus vox fuit, Cavete proditorem. Reus eſt pater.* Quæ[o] conveniunt? *Proditio nobis prodita*[p] *eſt, et prodita a duce, quærimus proditorem: te iiſſe*[q] *ad hoſtes fateris, et iiſſe*[r] *clam, et ab his incolumem rediiſſe, aurum retuliſſe, et*
31 *aurum occultum habuiſſe.* Nam, quod fecit, id nonnumquam potentius ſit in propoſitione; quæ ſi animos occuparit[s], prope aures ipſi[t] defenſioni præcluduntur. In totum autem congregatio criminum accuſantem adjuvat, ſeparatio defendentem. Solebam id, quod fieri et in argumentis dixi, in tota facere materia, ut[u] propoſitis, extra quæ nihil eſſet, omnibus, deinde ceteris remotis, ſo-
32 lum id ſupereſſet[x], quod credi volebam: ut in prævaricationum criminibus, *Ut abſolvatur reus, aut innocentia ipſius ſit, aut interveniente aliqua poteſtate, aut vi, aut corrupto judicio, aut difficultate probationis, aut prævaricatione. No-*

[m] *Quid ſi* facilius nobis judicium? [n] *om.* G. Jenſ. [o] Quod convenit G. 2. [p] prædicta, et prædicta G. 2. *poſterius etiam* Jenſ. *Habet utraque lectio et alios ſuffragatores apud Bur.* [q] eſſe G. 2. [r] ipſe claret G. 2. claret *etiam* Jenſ. [s] occupavit G. 2. [t] ipſe defenſionem G. 2. *Forte* ipſæ ad defenſionem. [u] *om.* G. Jenſ. [x] ſupereſſe Jenſ.

29. *Dux, qui competitorem*] Tractat hanc controverſiam Seneca Exc. Controv. 7, 7.

31. *Nam, quod fecit*] Obſcurum mihi locum ita declarat candidiſſimus Werlhofius, *Nam quod fecit* adverſarius, h. e. confeſſio illius, *fit potentius*, movet judicem fortius, *in propoſitione* (vid. 3, 6, 9.) accuſatoris, ſi is confeſſionem adverſarii proponat, premat, partiendo augeat: *quæ* propoſitio, *ſi animos occuparit* &c. Res clara, ſummam ſi ſpectes. Illud modo, *quod fecit*, pro, quod confeſſus eſt, ſe vel clientem ſuum feciſſe, duriuſculum mihi videbatur. Sed de ſententia, ut dixi, dubitari non poteſt.

31. *in argumentis dixi*] Supra 5, 10, 66. ſqq.

INSTITUTO DE ESTUDIOS RIOJANOS
BIBLIOTECA

centem fuisse confiteris, nulla potestas obstitit, nulla vis, corruptum judicium non quereris, nulla probandi difficultas fuit: quid supereſt, nisi ut prævaricatio fuerit? Si omnia amoliri 33
non poteram, tamen plura amoliebar. *Hominem occisum esse constat; non in solitudine; ut a latronibus suspicer: non prædæ gratia; quia inspoliatus est: non hereditatis spe; quia pauper fuit: odium igitur in caussa. Quis inimicus?* Quæ 34
res autem faciliorem divisioni viam præstat, eadem inventioni quoque: excutere, quidquid [z] dici potest, et velut rejectione facta ad optimum pervenire. *Accusatur Milo, quod Clodium occiderit: aut fecit, aut non.* Optimum erat *negare:* si non potest, *occidit:* ergo, *aut jure, aut injuria.* Utique *jure:* aut [a] *voluntate* igitur, aut *necessitate:* nam 35
ignorantia prætendi non potest. *Voluntas* anceps est. Sed, quia ita id homines putant, adjungenda defensio, ut id *pro Repub.* fuerit. *Necessitate? subita igitur pugna, non præparata: alter igitur insidiatus est.* Uter? *profecto Clodius.* Videsne, ut ipsa rerum necessitas deducat ad defensionem? Adhuc, *Aut utique voluit occidere insidiatorem Clodium, aut* 36
non. Tutius, *si noluit. Fecerunt ergo servi Milonis, neque jubente* [b], *neque sciente Milone.* At hæc tam timida defensio detrahit auctoritatem illi, qua recte dicebamus occisum. Adjicitur [c], *Quod suos quisque servos in* [d] *tali re facere voluisset.* 37
Hoc eo est utilius, quod sæpe nihil placet, et aliquid dicendum est. Intueamur ergo omnia: ita apparebit aut id, quod optimum est, aut id, quod minime malum. Propositione aliquando adversarii utendum: et esse nonnumquam communem eam, suo loco dictum est. Multis millibus versuum scio apud quosdam esse quæsitum, quo modo inveniremus, utra pars deberet prior dicere? quod in foro vel atrocitate [e] formularum, vel modo

[z] *Sic* Jens. *et V. C. Almel.* dicitur *rel.* [a] aut vol. ig. *om.* G. igitur *om. etiam* Jens. [b] volente G. [c] adjicietur Jens. [d] in tali re *om.* Jens. [e] *Quid si* auctoritate?

35. *ita id homines putant*] Quis non putaret, eum voluisse, cum inimicissimos fuisse constaret?

35. *ut id pro Repub. fuerit*] Si ita posuisset Fabius, *ut dicatur id pro rep. fuisse*; nihil a regula loquendi aberrare eum diceremus. Jam brevitas facit, ut *ut* cum suo verbo videatur migrasse in locum accusativi cum infinito: quod non temere admiserim. v. 7, 2, 38.

37. *Hoc eo est utilius*] Hoc institutum excutiendi, quidquid dici potest &c. s. 34.

37. *suo loco dictum*] 4, 4, 8.

37. *atrocitate formularum*] Severitate et rigore illo præciso: nam *atrocem* etiam in bonam partem sumi, jam Lexica docent. Interim fuerit tamen forte, qui maluerit *auc-*

38 petitionum, vel noviſſime ſorte dijudicatur. In ſchola quæri nihil attinet, cum in declamationibus iiſdem narrare, et contradictiones ſolvere, tam ab actore, quam a defenſore [f] conceſſum ſit. Sed in plurimis controverſiis ne inveniri quidem poteſt: ut in illa, *Qui tres liberos habebat, oratorem, philoſophum, et medicum, teſtamento quatuor*
39 *partes fecit, et ſingulas ſingulis dedit: unam ejus eſſe voluit, qui eſſet utiliſſimus civitati.* Contendunt: quis primus dicat, incertum eſt; propoſitio tamen certa. Ab eo enim, cujus perſonam tuebimur, incipiendum erit. Et hæc
40 quidem de dividendo in univerſum præcipi poſſunt. At [g] quo modo inveniemus etiam illas occultiores quæſtiones? ſcilicet, quo modo ſententias, verba, figuras, colores: ingenio, cura, exercitatione. Non tamen fere umquam, niſi imprudentem fugerint, ſi (ut dixi) naturam ſequi ducem velit. Sed plerique, eloquentiæ famam affectantes, contenti ſunt locis ſpecioſis modo, vel nihil ad probatio-
41 nem conferentibus. Alii, nihil vitantes [h], ea, quæ in oculos [i] incurrunt [j], exquirenda [m] putant. Quod quo facilius appareat, unam de ſchola controverſiam, non ita
42 ſane difficilem [n] aut novam, proponam in exemplum. *Qui reo proditionis patri non adfuerit, exheres ſit. Proditionis damnatus, cum advocato exſulet. Reo proditionis patri diſertus filius adfuit, ruſticus non adfuit: damnatus abiit cum*

[f] poſſeſſore G. Jenſ. [g] Aliquomodo G. [h] vitare, ac quæ G. Jenſ. invita re *Obr.* [i] oculis G. [j] occurrunt Jenſ. [m] exquirendum G. exquirendo Jenſ. [n] difficillimam G. Jenſ.

toritatem. Cæterum de quæſtione hac jam laudavit Regius l. 13. ff. de judiciis, ubi Caius, *In tribus iſtis*, inquit, *judiciis, familiæ erciſcundæ, communi dividundo, et finium regundorum, quæritur, quis actor intelligatur, quia par cauſa omnium videtur. Sed magis placuit eum videri actorem, qui ad judicium provocaſſet.* Subjicit Ulpianus l. 14. *Sed cum ambo ad judicium provocant, ſorte res diſcerni ſolet.*

41. *nihil vitantes*] Ut hæc et quæ ſequuntur, recte intelligantur, tenendum eſt, tres hic claſſes candidatorum eloquentiæ conſtitui. *Primi* ſunt, qui naturam ducem ſequuntur: *alteri*, qui contenti ſunt locis ſolis ſpecioſis, in quibus eloquentiam oſtentare poſſint: *tertii*, qui non vitant illi quidem quidquam aut contemnunt, ut ſecundi faciunt, qui ſplendida modo, ſpecioſa, acuta ſectantur, relictis neceſſariis; ſed iidem fere *ea* modo, *quæ in oculos incurrunt*, (*innatantia* deinde dicit) *exquirunt*. Trium horum generum rationes nunc exemplo declarat: de *ſecundo* agit ſ. 43. ſq. de *tertio* ſ. 45. ſq. de *primo* denique ſ. 46. ſq. Hæc qui obſervaverit, ei lucida erunt omnia.

42. *Qui reo proditionis*] Vid. de hac ſpecie 5, 10, 107.

advocato in exsilium. Rusticus cum fortiter feciſſet, prædii nomine impetravit reſtitutionem patris et fratris. Pater reverſus inteſtatus deceſſit: petit ruſticus partem bonorum, orator totum ſibi vindicat. Hic illi eloquentes, quibuſque 43
nos, circa lites raras[o] ſolicitiores, ridiculi videmur, invadent perſonas favorabiles. Actio *pro ruſtico contra diſertum, pro viro forti contra imbellem, pro reſtitutore*[p] *contra ingratum, pro eo, qui parte contentus ſit, contra eum, qui fratri nihil dare ex paternis velit.* Quæ omnia ſunt in materia, 44
et multum juvant, victoriam tamen non tradunt. In hac[q] quærentur ſententiæ, ſi fieri poterit[r], præcipites, vel obſcuræ, (nam ea nunc virtus eſt) et[s] pulchre fuerit cum materia, tumultu et clamore tranſactum. Illi vero, quibus propoſitum quidem melius, ſed cura in proximo eſt, hæc velut innatantia videbunt, *Excuſatum eſſe ruſticum,* 45
qui non interfuerit judicio, nihil collaturus patri: ſed ne diſertum quidem habere, quod imputet reo, cum is damnatus ſit. Dignum eſſe hereditate reſtitutorem, non[t] *avarum, impium,*

[o] paratas *Obrecht.* [p] reſtitutione G. [q] hoc Jenſ. *Sed præſtat* hac, *int.* actione. [r] potuerit G. Jenſ. [s] et *iid.* ut *rel.* [t] *om.* Jenſ.

43. *illi eloquentes*] De quibus ſ. 41.

43. *circa lites raras*] Quo diligentius hunc locum conſidero, eo minus opus mihi Obrechti emendatione videtur. Illi eloquentes invadunt *perſonas favorabiles*, pro quibus nimirum dicere facile eſt, tum quia ſolenne id eſt, tum quod faveat illis vulgo auditor, v. g. ruſtico contra diſertum, forti viro contra ignavum, reſtitutori contra fratrem ingratum &c. Ridiculus igitur illis videtur Fabius, vel quiſquis ſolicitus eſt circa *lites rariores*, qui quærit ea, quæ in ſcholis declamatoriis raro occurrunt, de quibus in mentem non venit niſi his, qui in ſole et ſudore fori verſati intima cauſarum rimari, et vitalia petere didicerunt.

44. *præcipites*] Audaces, atroces, ſeveræ: vel *obſcuræ*, propter nimium acumen, et adfectationem τῦ ἐξυμώρυ· et de illorum ſententia pulchre hoc modo tractata erit propoſita materia, ſi clamor et tumultus agentis acceſſerit. Forte aliis videatur melius, *tumultum et clamorem* accipere auditorum laudantium: ſed ſi hoc voluiſſet, ſcripſiſſet, puto, *inter tumultum et clamorem*. Formulam *cum materia tranſigere* egregie illuſtrat Burmannus illo Taciti Agric. 34. *Tranſigite cum expeditionibus*, h. e. finem illis imponite.

44. *cura in proximo*] Hæc eſt tertia, quam fecit ſ. 41. claſſis eorum, quibus *propoſitum melius*, nec enim vitant aut contemnunt quidquam, ut illi, de quibus modo dictum; ſed *cura in proximo* eſt, h. e. non multo major quam illis, vel etiam, cura ad proxima tantum et obvia pertinet. Nam exquirunt *ea* modo, *quæ in oculos incurrunt*, ut ante dixit; hæc eadem hic vocat *innatantia*, quod verbum ex Græco ἐπιπολάζειν præclare hic illuſtravit Burmannus, nec oblitus *velut innatantes radices vitium ſummo ſolo* Colum. 4, 1, 7; nec illud noſtri 10, 7, 28. de *innatante verborum facilitate*.

ingratum, qui dividere nolit cum fratre, eoque ſic merito. Quæſtionem quoque illam primam ſcripti et voluntatis,
46 qua non [u] expugnata, non ſit ſequentibus locus. At, qui naturam ſequetur, illa cogitabit profecto, primo, hoc dicturum ruſticum, *Pater inteſtatus duos nos filios reliquit, partem jure gentium peto.* Quis tam imperitus, quis tam procul a literis, quin ſic incipiat, etiam ſi neſcierit, quid
47 ſit propoſitio? Hanc communem omnium legem leviter [x] adornabit, ut juſtam. Nempe ſequetur [z], ut quæramus, quid huic [a] tam æquæ poſtulationi reſpondeatur. At id manifeſtum eſt. Lex eſt, *quæ jubet exheredem eſſe eum, qui patri proditionis reo non adfuerit: tu autem non adfuiſti.* Hanc propoſitionem neceſſario ſequitur legis laudatio, et
48 ejus, qui non adfuerit, vituperatio. Adhuc verſamur in confeſſis: redeat animus ad petitorem: numquid [b] non hoc cogitet neceſſe eſt, niſi qui [c] ſit plane hebes? *Si lex obſtat, nulla lis eſt, inane judicium eſt:* atqui et legem eſſe, et hoc, quod ea puniat, a ruſtico factum, extra dubitationem eſt. Quid ergo dicemus? *Ruſticus eram* [d]. Sed lex
49 erat: omnes complectitur: nihil proderit. Quæramus ergo, num infirmari in aliqua parte lex poſſit. Quod aliud (ſæpius dicam) natura permittit, quam ut, cum verba contra ſint, de voluntate quæratur? Generalis igitur quæſtio, *Verbis, an voluntate ſit ſtandum?* Sed enim in commune de jure omni diſputandum ſemper, nec umquam ſatis judicatum eſt. Quærendum igitur [e] in hac ipſa, qua conſiſtimus, an aliquid inveniri poſſit, quod ſcripto adver-
50 ſetur. *Ergo, quiſquis non adfuerit, exheres erit? quiſquis*, ſine exceptione? Jam ſe illa vel ultro offerent argumenta, *Filius infans* [f], *et æger non adfuit, et qui aberat, et qui mi-*

[u] nunc eſt pugna G. [x] *om.* Jenſ. [z] ſequatur. At G. Jenſ. [a] *om.* G. [b] nam aliquid hic cog. G. [c] quia G. Jenſ. [d] erat G. [e] *om.* Jenſ. [f] infans et *om.* G. Et infans filius eſt, et non adf. Jenſ.

45. *Quæſtionem quoque illam*] Intellige, *videbunt* hi tertii generis eloquentes.

49. *diſputandum ſemper*] Cum non poſſit regula inveniri certa, et talis, quæ rem conficiat, et qua adhibita etiam ab imperitis definiri ſemper poſſit, quando a ſcripto recedere, et ſententiam ſequi oporteat.

49. *qua conſiſtimus*] In hac ipſa lege, qua oppugnor ego, et de cujus vi diſputamus. Vid. de hac judiciali vocis acceptione Burm. ad Quinctil. Declam. 6, 9. p. 136. Apol. Tertull. c. 46. pr. it. p. 392. ubi ſynonyma ſunt, *Si de animi æquitate congrediar: ſi de fide comparcam:* (ſic puto legendum, Haverc. *comparem*) *ſi de ſimplicitate conſiſtam.*

litabat, et qui in legatione erat. Jam multum acti[g] est: posset aliquis non adfuisse, et heres esse. Transeat nunc 51
idem ille, qui cogitavit, ut ait Cicero, tibicinis Latini modo ad disertum: *Ut ista concedam: tu nec infans es, nec*[h] *æger eras, nec abfuisti, nec militasti, nec*[h] *in legatione fuisti.* Num[i] aliud occurrit, quam illud, *Sed rusticus sum?* Contra, quod palam est, dicet, *Ut agere non potueris, assi-* 52
dere potuisti: et verum est. Quare redeundum est rustico ad animum legum latoris: *Impietatem punire voluit, ego autem impius non sum.* Contra quæ disertus, *Tu impie fecisti,* inquit, *cum exheredationem*[l] *meruisti:* licet te postea 53
vel pœnitentia, vel ambitus, ad hoc genus optionis adduxerit. Præterea, *propter te damnatus est pater: videbaris enim de caussa pronuntiasse.* Ad hæc rusticus, *Tu vero*[m] *caussa damnationis fuisti: multos offenderas: inimicitias domui*[n] *contraxeras.* Hæc conjecturalia. Illud quoque, quod coloris loco rusticus dicit, *patris fuisse tale consilium, ne universam domum periculo subjiceret.* Hæc prima quæstione scripti et voluntatis continentur. Intendamus ultra 54
animum, videamusque, an aliquid inveniri præterea possit*, quo id modo fiat. Sedulo imitor quærentem, ut quærere doceam, et, omisso[o] speciosiore illo[p] genere, ad utilitatem me[q] submitto discentium. Omnes adhuc quæstiones ex persona petitoris ipsius duximus: cur non aliquid circa patrem quærimus? dictum vero[r] est, *Cui quis non adfuerit, exheres erit.* Cur non conamur et hic quæ- 55
rere, *Num, cuicumque non adfuerit?* Facimus hoc sæpe in iis controversiis, in quibus petuntur in vincula, qui parentes suos non alunt, *An*[s] *eum*[t], *qui testimonium in filium*

[g] *Vid. leg.* actum. [h] nec æger eras *itemque* nec in leg. fuisti *om.* G. Jens. [i] Non Jens. [l] exheredit. Jens. G. [m] in G. Jens. [n] *Sic* Jens. *et al. ap. Bur.* domi *rel.* * *Vid. inf.* et. [o] amisso G. [p] stili *inf.* Reg. *Non agnoscunt* G. Jens. *et optimi quique ap. Bur.* [q] meme Jens. [r] non G. [s] ut G. Jens. *et al. Pro* ut eum *fuit, credo,* utrum. [t] ea G.

51. *Cicero, tibicinis*] Locus est pro Murena c. 12. *Transit idem ICtus,* qui actorem paullo ante docuerat, quibus verbis uteretur, *tibicinis Latini modo* ad reum, et illi sua verba, suam formulam subjicit. Nimirum in scena tibicen si non pedibus, certe ministerio suo, transit ad unumquemque actorem, eique modos præit, et *cantatur* adeo *ad manum histrionibus.* Vid. Liv. 7, 2. et ibi Gronovius.

53. *hoc genus optionis*] Ut, cum præmium liceret tibi optare, peteres restitutionem patris et fratris.

54. *speciosiore illo genere*] De quo ante s. 40. Non autem de stilo sermo est, ut ibi apparet: sed de inventione argumentorum et sententiarum. Igitur non dubitavi omittere vocem, qua fere carent libri optimi.

impietatis [u] *reum dixit? an* [x] *eum, qui filium lenoni vendidit?* In hoc, de quo loquimur, patre quid [z] apprehendi
56 poteſt? *Damnatus eſt. Numquid igitur lex ad abſolutos tantum patres pertinet?* dura prima fronte quæſtio. Non deſperemus: credibile eſt, hoc voluiſſe legum latorem, ne auxilia liberorum innocentibus deeſſent. Sed hoc dicere ruſtico verecundum eſt, quia innocentem fuiſſe patrem
57 fatetur. Dat aliud argumentum controverſia [a], *Damnatus proditionis cum advocato exſulet.* Vix videtur poſſe fieri, ut pœna filio in [b] eodem patre, et ſi adfuerit, et ſi non adfuerit, conſtituta ſit. Præterea lex ad exſules nulla pertinet: non ergo credibile eſt, non [c] advocato damnati ſcriptum: an poſſint enim bona eſſe ulla exſulis? Ruſti-

[u] peregrinationis G. peregrinantis Jenſ. *et al.* peregrinitatis *Ald. Colb. et Obr. apud Burm.* [x] *om.* G. Jenſ. [z] quod G. Jenſ. [a] *Sic legi voluit Reg. quem ſecuti plures.* controverſiæ *rel.* [b] *Sic* G. Jenſ. *et al. MSS. ap. Bur.* filio eadem, patri et ſi &c. *e conj. Regii rel.* [c] de Jenſ. o *tranſiit in* D.

55. *impietatis reum*] Jam ſenſit Burmannus, hoc *impietatis* a conjectura Regii videri: et ſane nulla cauſa eſt, cur aliquis *impietatis* in Fabio repertum mutaret in *peregrinantis*, vel *peregrinationis*: ſed *peregrinitatis* primo abiit negligentia vel dictantis vel ſcribentis librarii in *peregrinantis* aut *peregrinationis*: quod cum plane inconcinnum eſſet, nec ſtatim in mentem veniret Regio, litem in cauſſa peregrinitatis moveri, aut parentem contra filium in ea teſtimonium dicere poſſe, quin ſibi ipſe noceret; illud graviſſimum *impietatis* crimen excogitatum eſt. Sed obſervavit Burmannus apud Sueton. Claud. c. 15. ipſam etiam formulam *peregrinitatis reum*. Et poteſt *civis* eſſe pater, et tamen de filii civitate dubitari, pro diverſis nimirum Romanæ civitatis gradibus: (Vid. Burm. de Vectig. P. R. c. 11.) pro conditione matris, e qua ſuſceptus eſt aliquis: ſi is alterius reip. civis factus ſit, e. i. g. a. Et nondum conſtat, de cujus hic reip. cive ſermo ſit: argumenta declamationum arbitraria.

57. *controverſia*] h. e. conſideratio ipſa quæſtionis. Qui *controverſiæ* legunt, dandi caſu, ſubaudiunt *lex*; quod hic nobis videbatur duriuſculum.

57. *in eodem patre*] Non fuit quod ſenſum hinc ſe elicere integrum negaret poſſe Regius. Quid enim apertius, *In eodem patre*, i. e. *propter patrem eundem reum vel juſte vel injuſte, damnatum vel abſolutum*. Non eadem poteſt eodem reſpectu habito, et ſub iiſdem circumſtantiis, pœna conſtituta eſſe ei, qui adfuit, et qui non adfuit.

57. *non advocato damnati ſcriptum*] Suſpicabar *ſcriptam*, ut ad *legem* referretur: ſed nihil muto. Reſpicit enim caput legis: illud ſcriptum non eſt ei, qui non fuit advocatus damnato patri: damnati enim nulla hereditas, cum bona ejus publicentur. Itaque qui non adfuit patri damnato, de illo tacet lex: qui adfuit damnato, una exulat: qui non adfuit abſoluto, exheres eſt: qui adfuit abſoluto, de eo tacet itidem lex. Hæc quatuor ſi diſtinguas, nihil erit obſcurum.

cus [d] in utraque parte dubium facit. Diſertus et *verbis inhærebit*, in quibus nulla exceptio eſt: et *propter hoc ipſum pœnam eſſe conſtitutam eis, qui non adfuerint* [e], *ne periculo exſilii deterreantur ab advocatione*; *et ruſticum innocenti non adfuiſſe* dicet. Illud protinus non indignum, quod annotetur, poſſe ex uno ſtatu duas generales fieri quæſtiones, *An quiſquis? an cuicumque?* Hæc ex duabus perſonis quæſita ſunt. E tertia autem, quæ eſt adverſarii, nulla oriri quæſtio poteſt: quia nulla ſit ei de ſua parte controverſia. Nondum tamen cura deficiat. Iſta enim omnia dici poſſent etiam [f] non reſtituto patre. Nec ſtatim eo tendamus, quod occurrit ultro, *a ruſtico reſtitutum*. Qui id ſubtiliter quæret, aliquid ſpectabit ultra. Nam, ut genus ſpecies ſequitur, ita ſpeciem genus præcedit. Finganus ergo ab alio reſtitutum, ratiocinativa atque collectiva quæſtio orietur, *An reſtitutio pro ſublatione judicii ſit* [g], *et perinde valeat, ac ſi judicium non fuiſſet?* Ubi tentabit ruſticus dicere, *ne impetrare quidem aliter potuiſſe ſuorum reſtitutionem uno præmio, niſi patre* [h] *perinde, ac ſi accuſatus non eſſet, revocato* [h]: *quæ res advocati quoque pœnam, tamquam is non adfuiſſet, remiſerit.* Tum veniemus ad id, quod primum occurrebat, *a ruſtico reſtitutum eſſe pa-*

58 59 60 61

[d] Scholaſtica G. Jenſ. *et plures*, Scholaſticus *Andr. ap. Bur.* [e] adfuerunt G. Jenſ. [f] *om.* G. [g] ſtet Jenſ. [h] patrem—revocatum G. Jenſ. *Forte intelligi poteſt* impetraſſet.

58. *Ruſticus in utraque parte*] Primo miretur aliquis, qui varietatem lectionis ſupra propoſitam conſideret, quî *ſcholaſticus*, vel *ſcholaſtica*, hic irrumpere in *ruſtici* locum potuerit? Sed deſinet mirari, ſi cogitet, *ſcholaſticum* jam Plinii ætate profeſſionis nomen fuiſſe, quod ſtudioſum eloquentiæ, vel eloquentem adeo, ſed in umbra modo viventem notaret; poſt autem ævo Conſtantiniano ad juris peritos et cauſarum patronos referretur; denique Monachis eruditos omnes ſive literatos homines notaret. Quinctilianus quidem diſertum cauſarum in foro actorem *ſcholaſticum* nunquam vocavit. Nempe fuit recentior gloſſa *diſerti*, ac deinde, ut ſexcenties factum novimus, irrupit in locum alienum, et bonum *ruſticum* loco movit. Deinde quid eſt *in utraque parte?* Puto *ſcripti* et *ſententiæ*: quemadmodum etiam diſertus utraque repugnat.

58. *ex duabus perſonis*] 1. Diſerti contra ruſticum, 2. ruſtici pro ſe, 3. diſerti pro ſe. Hac tertia non eſt opus, quia ei nulla movetur controverſia.

60. *ne impetrare*] Paullo abruptius iſta dicuntur. Sententia eſt: Ruſticus probabit reſtitutionem eſſe pro ſublatione totius judicii, hoc modo, Se enim aliter uno præmio impetrare non potuiſſe ſuorum et patris et fratris reſtitutionem, niſi hoc ita eſſet: alioquin enim non unum præmium fuiſſe, ſed duo præmia. Cenſeri itaque totam accuſationem, totum judicium, totam circa hæc legem ſublatam &c.

58 *trem.* Ubi rursus ratiocinamur, *An rusticus*[l] *restitutor accipi debeat pro advocato, quando id præstiterit, quod advocatus petiit; nec improbum sit pro simili accipi, quod plus est.*
62 Reliqua jam æquitatis[l] sunt[m], *utrius justius sit desiderium?* Id ipsum adhuc dividitur, *etiam si uterque sibi totum vindicaret? nunc utique, cum alter semissem, alter universa, fratre excluso?* Sed, his tractatis, etiam magnum momentum habet apud judices patris memoria, cum præsertim
59 de bonis ejus quæratur. Erit ergo conjectura, *Qua mente pater intestatus decesserit?* Sed ea pertinet ad qualitatem,
63 quæ[n] alterius status instrumentum est. Plerumque autem in fine causarum *de æquitate* tractabitur, quia nihil libentius judices audiunt. Aliquando tamen hunc ordinem mutabit utilitas: ut, si in jure minus fiduciæ erit, æqui-
60 tate judicem præparemus. Nihil habui amplius, quod in
64 universum præciperem. Nunc eamus per singulas causarum judicialium partes, quas ut persequi ad ultimam speciem, id est, ad singulas lites controversiasque non possum: ita de[o] generalibus scribere licet, ut, quæ in quem statum frequentissime incidant, tradam. Et, quia natura
61 prima quæstio est, *factumne* sit, ab hac ordiar.

II. (III.) Conjectura omnis aut *de re*, aut *de animo* est. Utriusque tria tempora, *præteritum, præsens, futurum. De re* et generales quæstiones sunt, et definitæ, id est, et[p]
2 quæ non continentur, et quæ continentur. *De animo* quæri non[q] potest, nisi ubi persona est, et de facto constat. Ergo, cum *de re* agitur, aut, *quid factum* sit, in dubium venit, aut, *quid fiat*[r], aut, *quid*[s] *sit futurum*: ut in generalibus, *An atomorum concursu mundus* sit[t] *effectus? an providentia regatur? an sit aliquando casurus?* in definitis, *An parricidium commiserit Roscius? An regnum affectet*
3 *Manlius? An recte Verrem sit accusaturus Q. Cæcilius?* In judiciis *præteritum tempus* maxime valet: nemo enim accusat, nisi quæ facta sunt. Nam, et quæ fiant, et quæ futura sint, ex præteritis colliguntur. Quæritur et, *Unde quid ortum? ut pestilentia, ira deum, an intemperie cœli, an corruptis aquis, an noxio terræ halitu?* Et, *quæ causa facti?* ut, *Quare ad Trojam quinquaginta reges navigaverint*[u], *jure jurando adacti, an exemplo moti*[x], *an gratificantes Atri-*
4 *dis?* quæ duo genera non multum inter se distant. Ea

[l] *om.* Jens. [l] æquatis G. [m] est G. Jens. [n] *om. iid. et plur. Forte leg.* et alt. st. instrum. est. [o] in *iid.* [p] *om.* G. [q] *om.* Jens. [r] fit G. fit Jens. [s] *om.* Jens. [t] fit effectus *om.* G. [u] navigaverunt G. Jens. [x] *om.* G.

vero, quæ ſunt *præſentis temporis*, ſi non argumentis, quæ neceſſe eſt præceſſiſſe, ſed oculis deprehendenda ſunt, non egent conjectura: ut, ſi apud Lacedæmonios quæratur, *An Athenis muri fiant?* Sed et illud poteſt videri extra hoc propoſitum conjecturæ genus, cum de aliquo homine quæritur, *quis*[z] *ſit?* ut eſt quæſitum contra Urbiniæ he- 5
redes, *ſi is, qui tamquam filius petebat bona, Cluſinius*[a] *Figulus eſſet, an Soſipater?* nam et ſubſtantia ejus ſub oculos venit, ut non poſſit quæri, *an ſit?* quo modo[b] ultra oceanum; nec, *quid ſit?* nec, *quale ſit?* ſed, *quis*[c] *ſit?* Verum hoc quoque genus litis ex præterito pendet, *An hic ſit ex Urbinia natus Cluſinius Figulus.* Fuerunt autem tales noſtris etiam temporibus controverſiæ, atque aliquæ in 6
meum quoque patrocinium inciderunt. Animi conjectura non dubie in omnia tempora cadit, *Qua mente Ligarius in Africa fuerit? Qua mente Pyrrhus fœdus petat? Quomodo laturus ſit Cæſar, ſi Ptolemæus Pompeium occiderit?* Quæritur per conjecturam et quantitas[d] et qualitas[e] circa modum, ſpeciem, numerum, *An ſol major quam terra? Luna globoſa, an plana; an acuta? Unus mundus, an plures?* Itemque extra naturales quæſtiones, *Majus bellum* 7
Trojanum, an Peloponneſiacum[f]*? Qualis clypeus Achillis? An unus Hercules?* In iis autem, quæ accuſatione ac defenſione conſtant, unum eſt genus, in quo quæritur et *de facto*, et *de auctore*. Quod interim conjunctam quæſtionem habet, et utrumque pariter negatur: interim ſeparatam, cum et, *factum ſit, necne?* et, ſi de facto conſtet,

[z] *Sic res ipſa poſtulat, et vidit jam Regius.* [a] *om.* G. Jenſ. [b] quæſtio an G. an *inſ. etiam* Jenſ. [c] *Sic* Jenſ. *et al. ap. Bur.* quod G. an quid *rel.* [d] quantitas et *om.* G. Jenſ. [e] qualitatem *iid.* [f] Peloponnenſium *iid.*

4. *An Athenis muri fiant?*] Quod negabat aſtute, miſſus Lacedæmonem Themiſtocles. Vid. Nep. 2, 7, 2.

5. *Urbiniæ heredes*] Vid. mox ſ. 26.

5. *quo modo ultra oceanum*] Quo modo quæri poſſet, ſi is, de quo lis eſſet, diceretur eſſe ultra Oceanum.

5. *Fuerunt autem tales*] Etiam noſtris temporibus non defuiſſe tales controverſias, in Gallia præſertim, ubi in primis impudentiam ſubornat et tuetur calliditas, ſatis indicant illa volumina *Cauſarum celebrium* nomine a Gayoto de Pitaval nuper prodita.

7. *Qualis clypeus Achillis*] Non inter Ulyſſem modo et Ajacem diſceptatum de illo: ſed noſtra etiam ætate graviter diſputatum eſt, quantus fuerit, qui tot imagines caperet? Sed ſatisfactum his, qui carpendi bonum Homerum materiem inde captabant, in rem præſentem itum, ipſe clypeus tabulæ æneæ ad ductum Homeri inciſus, et oculis omnium expoſitus a Cl. Boivino, repetitus inde in Actis Erud. Lipſ. 1716. m. April.

8 *a quo factum sit?* ambigitur. Ipsum quoque factum aliquando simplicem quæstionem habet, *an homo perierit?* aliquando duplicem, *veneno, an cruditate perierit?* Alterum est genus *de facto* tantum, cum, si id certum sit, non potest de auctore dubitari: tertium *de auctore* tantum, cum factum constat; sed, a quo factum sit, in controver-
9 siam venit. Et, quod tertio loco posui, non est simplex. Aut enim reus feciſſe tantummodo se[g] negat, aut alium feciſſe dicit. Sed ne in alterum quidem transferendi criminis una forma est. Interdum enim subſtituitur *mutua accusatio*, quam Græci ἀντικατηγορίαν vocant, nostrorum quidam *concertativam*. Interdum in aliquam personam, quæ extra discrimen judicii est, transfertur, et alias certam, alias incertam. Et[h], cum in certam, aut in extrariam,
10 aut in ipsius, qui periit[i], voluntatem. In quibus similis, atque in ἀντικατηγορίᾳ, personarum, caussarum, ceterorum[l] comparatio est: ut Cicero, pro Vareno in familiam Antharianam; pro Scauro circa mortem Bostaris in ma-
11 trem[m] avertens crimen, facit. Est etiam illud huic contrarium comparationis genus, in quo uterque a se factum esse dicit: et illud, in quo non personæ inter se, sed ipsæ res colliduntur, id est, non, *uter fecerit?* sed, *utrum factum sit?* Cum de *facto* et de *auctore* constat, de *animo* quæri potest. Nunc de singulis. Cum pariter utrumque[n] negatur, hoc modo. *Adulterium non commisi. Tyrannidem non affectavi.* In cædis ac veneficii caussis frequens est illa divisio, *Non est factum:* et, si est factum, *ego non feci.*
12 Sed, cum dicimus, *Proba hominem occisum*, accusatoris tantum partes sunt: a reo nihil dici contra, præter aliquas fortasse suspiciones, potest, quas spargere quam maxime varie oportebit: quia, si unum aliquid adfirmaris, probandum est, aut caussa periclitandum. Nam, ut, cum inter id, quod ab adversario, et id, quod a nobis propositum est, quæritur, videtur utique alterum verum: ita[o] everso

[g] *om.* Jens. [h] aut G. [i] petit G. Jens. *male.* [l] certorum Jens. [m] mortem G. [n] *om.* Jens. [o] Ita everso uno defendere, reliquum est quo premimur G. *et Voss.* 2. Itaque ex everso quo defendimur, reliquum est Jens. Ita ex adverso unum est, quo defendimur, rel. est q. pr. *Reg. et edd. plur.*

11. *Nunc de singulis*] Adhuc enim modo breviter, quid quæri possit in caussis conjecturalibus, proposuit. Nunc incipit retractare, quæ a s. inde 7 posuerat.

12. *adfirmaris*] h. e. adseverate et pro certo dixeris: ut solet uti hoc verbo Fabius.

12. *ita everso uno*] Qui ad va-

umo, quo defendimur, reliquum eſt, quo premimur. At, 13
cum quærimus de ambiguis ſignis *cruditatis* et *veneni*, nihil tertium eſt: ideoque utraque pars, quod propoſuit, tuetur. Interim autem *ex re* quæritur, *veneficium fuerit, an cruditas?* cum aliqua ex ipſa citra perſonam quoque argumenta ducuntur. Refert enim, *convivium præceſſerit, an triſtitia?* 14
labor[p], *an otium? vigilia, an quies? Ætas* quoque ejus, qui perierit, diſcrimen facit. Intereſt, *ſubito defecerit, an longiore valetudine conſumtus ſit?* Liberior adhuc in utramque partem diſputatio, ſi tantum ſubita mors in quæſtionem venit. Interim ex *perſona* probatio *rei* petitur, *ut* 15
propterea credibile ſit, venenum fuiſſe, quia credibile eſt, ab[q] *hoc factum veneficium*: vel contra. Cum vero *de reo* et *de facto* quæritur, naturalis ordo eſt, ut prius factum eſſe accuſator probet, deinde a reo factum. Si tamen plures in perſonam[r] probationes habuerit, convertet hunc ordinem. Defenſor autem prius negabit eſſe factum: quia, ſi in hac 16
parte vicerit, reliqua non neceſſe habet dicere; victo ſupereſt, ut tueri ſe poſſit. Illic quoque, ubi *de facto tantum* controverſia eſt, quod ſi probetur, non poſſit de auctore dubitari, ſimiliter argumenta et ex *perſona*, et ex *re* ducuntur, ſed in unam facti quæſtionem: ſicut in illa con- 17
troverſia, (utendum eſt enim et his exemplis, quæ ſunt diſcentibus magis familiaria.) *Abdicatus medicinæ ſtuduit. Cum pater ejus ægrotaret, deſperantibus de eo ceteris medicis, adhibitus, ſanaturum ſe dixit, ſi is*[s] *potionem a ſe datam bibiſſet. Pater, acceptæ potionis epota parte, dixit, venenum ſibi datum: filius, quod reliquum erat, exhauſit: pater deceſſit: ille parricidii reus eſt.* Manifeſtum eſt, quis potio- 18
nem dederit, quæ[t] ſi veneni fuit, nulla quæſtio *de auctore*: tamen[u], *an fuerit venenum*, ex argumentis a perſona duc-

[p] laborantium vig. G. Jenſ. [q] adhuc G. *male.* [r] perſona G. Jenſ. [s] *om.* G. [t] quæ ſi veneni fuit G. Jenſ. *et omnes puto MSS. temere proinde expuncta a Regio, et pleriſque editoribus.* [u] *Sic* G. Jenſ. tantum *rel.*

rietatem ſupra propoſitam attenderit, nihil nos ſine idoneis auctoribus conatos videbit. Sententia nobis videbatur pulchre ibi conſtare. Suaſerat reo, *ne quid unum adfirmet*: alioqui enim aut probandum eſſe, aut cauſa periclitandum. Nam ut inter propoſitiones contradictorias (quidni enim utamur verbis in ſchola uſitatis?) altera vera eſt, altera falſa; ſic judex inducit animum, aut verum eſſe, quod actor proponit, aut quod defendit reus: ſi igitur evertatur illud, quo reus defendebatur, reliquum eſt, et vim nanciſcitur id, quo reum actor premebat. Igitur melius eſt nihil adfirmare. Non poſtulo me diſertius dicere, quam factum a Fabio: ſed diverſos aditus ad intelligentiam hominum tento in iis locis, ubi alios adhæſiſſe arbitror.

tis colligetur. Supereſt tertium, in quo *factum* eſſe conſtat aliquid: *a quo ſit factum?* quæritur. Ejus rei ſupervacuum eſt ponere exemplum, cum plurima ſint hujuſmodi judicia: ut, *ſi hominem occiſum eſſe manifeſtum eſt*, vel *ſacrilegium commiſſum:* is autem, qui arguitur feciſſe, neget. Ex[x] hoc naſcitur ἀντικατηγορία. Utique hoc fac-
19 tum eſſe convenit, quod duo invicem objiciunt. In quo quidem genere cauſſarum admonet Celſus, fieri id in foro non poſſe: quod neminem ignorare arbitror. De uno enim[z] reo conſilium cogitur[a]: et, ſi qui ſunt, qui invicem accuſant, alterum judicium proferre[b] neceſſe eſt.
20 Apollodorus quoque ἀντικατηγορίαν duas eſſe controverſias dixit: et[c] ſunt revera ſecundum forenſe jus duæ lites. Poteſt tamen hoc genus in cognitionem[d] venire ſenatus, aut principis. Sed in judicio quoque nihil intereſt actionum, utrum ſimul de utroque pronuntietur, an de uno
21 ſeorſum. Quo in genere ſemper prior debebit eſſe defenſio: primum, quia natura potior eſt ſalus noſtra, quam adverſarii pernicies: deinde, quod[e] plus habebimus in accuſatione auctoritatis, ſi prius de innocentia noſtra conſtiterit: poſtremo, quod ita demum duplex cauſſa erit: nam, qui dicit, *Ego non occidi*, habet reliquam partem, ut dicat, *Tu occidiſti:* at[f], qui dicit, *Tu occidiſti*, ſupervacuum
22 habet poſtea dicere, *Ego non occidi*. Hæ porro actiones conſtant *comparatione:* ipſa comparatio non una via ducitur. Aut enim totam cauſſam noſtram[g] cum tota adverſarii cauſſa componimus, aut ſingula argumenta cum ſingulis: quorum utrum ſit faciendum, non poteſt, niſi ex ipſius litis utilitate, cognoſci: ut Cicero ſingula pro Vareno comparat in primo crimine: eſt enim ſuperior, cum[h] perſona alieni cum perſona matris temere comparetur[i]. Quare optimum eſt, ſi fieri poterit, ut ſingula vincantur a ſingulis: ſed, ſi quando in partibus laborabimus[k], uni-
23 verſitate pugnandum eſt. [l] Sive invicem accuſant; ſive crimen reus citra accuſationem in adverſarium vertit, ut Roſcius in accuſatores ſuos, quamvis reos non feciſſet; ſive in ipſos, quos ſua manu periiſſe dicemus, factum de-

[x] Et hæc G. [z] *om.* G. Jenſ. [a] etiam *inf. iid.* [b] præferre *iid.* [c] *om.* G. [d] cogitationem G. *male.* [e] quia G. [f] at—occidiſti *om.* G. Jenſ. *et plur.* [g] veſtram Jenſ. [h] *om. id.* [i] compararetur *id.* [k] laboramus G. [l] Ut *inf.* G. *Forte* At.

22. *eſt enim ſuperior*] Hæc plane intelligi non poſſe arbitror; quod non exſtat illa pro Vareno Tullii oratio.

flectitur: non aliter, quam in iis, quæ mutuam accusationem habent, utriusque partis argumenta inter se comparantur. Id autem genus, de quo noviſſime dixi, non 24
ſolum in ſcholis ſæpe tractatur, ſed etiam in foro. Nam id eſt in cauſſa Nævii Aproniani [m] ſolum quæſitum, *Præcipitatane eſſet ab eo uxor, an ſe ipſa ſua ſponte jeciſſet?* Quam [n] actionem equidem ſolam in hoc tempus emiſeram, quod ipſum [o] feciſſe [p] ductum juvenili cupiditate gloriæ fateor. Nam ceteræ, quæ ſub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quæſtum notariorum corruptæ, minimam partem mei habent. Eſt et alia du- 25
plex conjectura, huic ἀντικατηγορίᾳ non diverſa, de præmiis, ut in illa controverſia, *Tyrannus ſuſpicatus a medico ſuo datum ſibi venenum, torſit eum: et, cum id dediſſe ſe ne-*

[m] Appiniani Jenſ. *et al.* Arpiniani G. *et al. v. n.* [n] cujus G. Jenſ. [o] me G. *recte, puto. v. n.* [p] effeciſſe ſe ductum Jenſ. ſeductum *al.* effeciſſe *etiam* G. 2.

24. *noviſſime dixi*] Tum hic, tum ſupra ſ. 9.

24. *Nævii Aproniani*] Tac. An. 4, 22. *Per idem tempus Plautius Silvanus, Prætor, incertis cauſſis Aproniam conjugem in præceps jecit; tractuſque ad Cæſarem ab L. Apronio ſocero, turbata mente reſpondit, tanquam ipſe ſomno gravis, atque eo ignarus, et uxor ſponte mortem ſumſiſſet.* Magna non rei modo ipſius ſimilitudo, ſed nominis etiam nonnulla. Sed apud Tacitum *Apronia* mulier, viro et nomen et cognomen diverſum. Porro *actionem* vocat Fabius, non *declamationem*. Plautii autem cauſa acta eſt pluribus ante annis, quam naſceretur Fabius. Niſi itaque alterutro in loco vehementer corrupta nomina, (cujus rei in Tacitum quidem nulla cadit ſuſpicio) niſi inſuper *actionem* hic vocavit improprie Fabius, quæ ficta erat declamatio; non poteſt eadem utrobique res narrari. Ac de poſteriori forte non admodum laborandum. Priorem nodum ita expedit Burmannus, uti dicat, forte ſcripſiſſe Quinctilianum, *in cauſa Aproniæ Plautii*. Cæterum, quod ſolet, de *Apronianis* multa hic dedit Vir celeberrimus. Cæterum hanc veram cauſſam apud Prætorem de parricidio actam ſub initia Veſpaſiani, credit etiam Dodwellus in vita noſtri §. 17. et eandem tragœdiam actam ſæpius, nihil habet, quod repugnet.

24. *quod ipſum feciſſe ductum*] Recte hic proſcribit Vir celeberrimus *ſeductum*, quod malum pedem ex repetitione ultimæ ſyllabæ in *feciſſe* huc intulerat. Recte etiam obſervat, non opus eſſe pronomine *me* poſt *ipſum*. Sed alia me cauſa movet, uti putem a Quinctiliano eſſe; nimirum, quia alias non intelligitur, unde *effeciſſe* in mentem venerit et calamum librariis. Nimirum ex *me feciſſe* vel dictantis vel deſcribentis errore naſci potuit &c.

24. *excipientium in quæſtum notariorum*] *Notarii*, h. e. per notas ſcribendi artifices, quorum, cum *nondum lingua, ſuum dextra peregit opus*, exceperunt actiones forenſes Quinctiliani, inter æquales et minores natu jam tum florentis, ut quæſtum facerent, vendendo ſtudioſis Fabianæ eloquentiæ exemplaria, quæ vel ipſi exſcripſiſſent, vel exſcribenda calligraphis dediſſent.

garet, arceſſit alterum medicum: ille datum ei venenum dixit, ſed ſe antidotum daturum: et dedit ei potionem, qua epota tyrannus deceſſit. De præmio duo medici contendunt. Nam, ut illic factum in adverſarium transferentium, ita hic ſibi vindicantium *perſonæ, cauſſæ, facultates, tempora,*
26 *inſtrumenta, teſtimonia* comparantur. Illud quoque, etſi[q] non eſt ἀντικατηγορία, ſimili tamen[r] ratione tractatur, in quo citra accuſationem quæritur, *utrum factum ſit.* Utraque enim pars expoſitionem ſuam habet, atque eam tuetur: ut in lite Urbiniana petitor dicit, *Cluſinium*[s] *Figulum filium Urbiniæ, acie victa, in qua ſteterat, fugiſſe: jactatumque caſibus variis, retentum etiam a rege, tandem in Italiam ac patriam ſuam Marginos*[ss] *veniſſe, atque ibi agnoſci:* Pollio contra, *ſerviſſe eum Piſauri dominis duobus, medicinam factitaſſe, manu miſſum alienæ ſe familiæ venali*
27 *immiſcuiſſe, ac rogantem, ut eis*[t] *ſerviret, emtum.* Nonne tota lis conſtat duarum cauſſarum comparatione, et conjectura duplici atque diverſa? Quæ autem accuſantium atque defendentium, eadem petentium et inſitiantium ratio eſt. Ducitur conjectura primum *a præteritis.* In his ſunt *perſonæ, cauſſæ, conſilia.* Nam is ordo eſt, ut *facere voluerit, potuerit, fecerit.* Ideoque intuendum ante omnia,
28 qualis ſit, de quo agitur. Accuſatoris autem eſt efficere, ut, ſi quid objecerit, non ſolum turpe ſit, ſed etiam crimini, de quo eſt judicium, quam maxime conveniat. Nam, ſi *reum cædis, impudicum* vel *adulterum* vocet, lædat quidem infamia: minus tamen hoc ad fidem valeat, quam ſi *audacem, petulantem, crudelem, temerarium* oſtenderit.
29 Patrono, ſi fieri poterit, id agendum eſt, ut objecta vel neget, vel defendat, vel minuat: proximum eſt, ut a præſenti quæſtione ſeparet[u]. Sunt enim pleraque non ſolum diſſimilia, ſed etiam aliquando contraria: ut, ſi reus furti *prodigus* dicatur, aut *negligens.* Neque enim videtur in

[q] *Sic* G. Jenſ. etiam *rel.* [r] *om.* G. [s] Eluſinium Jenſ. *Forte* de Eleuſiniis *ſomniavit librarius.* [ss] in Arginos G. Mägninos G. 2. [t] *Forte* ei. *v. n.* [u] ſepararet Jenſ.

26. *Marginos*] Non invenit eos uſquam Burmannus. Suſpicatur de *Marcinis* in Picentibus.

26. *ut eis ſerviret*] Quibus? difficile dictu; præſertim, cum ignota ſint reliqua cauſæ. Sed ſi ponas, ex proximo *ſerviret* ſibilum adhæſiſſe voci *ei*, commode intelligas Urbiniam, cui ideo voluerit ſervire homo, ut ſubrepere facilius in nomen et gentem alienam poſſet.

29. *prodigus dicatur*] Neſcio quam bona defenſio. Male parta male dilabuntur. Qui rem ſuam effudere, manum porrigunt ad alienam &c.

eumdem et contemtus [v] pecuniæ, et cupiditas cadere. Si 30
deerunt hæc remedia, ad illa declinandum eſt, non de hoc
quæri, nec eum, qui aliquando peccaverit, utique commi-
ſiſſe omnia: et hanc fiduciam fuiſſe accuſatoribus falſa
objiciendi, quod læſum et vulneratum reum ſperavere [x]
hac [y] invidia opprimi poſſe. Alia [z] propoſitio eſt accuſa- 31
toris, contra quam [a] loci oriuntur. Sæpe a perſona prior
ducit argumenta defenſor, et interim *generaliter*, *Incredi-
bile eſſe a filio patrem, ab* [b] *uxore virum occiſum, ab impera-
tore proditam hoſtibus patriam.* Facile reſpondetur, vel,
*quod omnia ſcelera in malos cadant, ideoque ſæpe deprehenſa
ſint*: vel, *quod indignum* [c] *ſit, crimina ipſa atrocitate defen-
di* [d]. Interim *proprie*, quod eſt varium. Nam dignitas et 32
tuetur reum, et nonnumquam ipſa in argumentum facti
convertitur, tamquam inde fuerit ſpes impunitatis: ſed
perinde paupertas, humilitas, opes, ut cuique ingenio vis
eſt, in diverſum trahuntur. Probi vero mores, et [e] ante- 33
actæ vitæ integritas, numquam non plurimum profue-
rint [f]. Si nihil objicietur, patronus quidem in hoc vehe-
menter incumbet: accuſator autem ad præſentem quæ-
ſtionem, de qua ſola judicium ſit, cognitionem alligabit [g],
dicens, *neminem non aliquando* [h] *cœpiſſe peccare*, nec per [i]
ἐγκαίνια ducendum ſcelus primum. Hoc [l] in reſpondendo.

[v] contemtum G. [x] *Vid. leg.* ſperaverint. [y] hic Jenſ. [z] Talis a propoſitione accuſ. G. *Voſſ.* 2. Alia propoſitione acc. *Almel. v. n.* [a] *Vid. leg.* contraque loci. [b] ab ux. vir. *om.* G. Jenſ. [c] ingenium *iid.* [d] defendit G. [e] *om.* G. [f] profuerunt G. [g] allegabit Jenſ. [h] *om.* G. neminem, mali quando cœpiſſent ſpectare, nec proſcenia ducendum ſcelus primum *Obr.* [i] pro G. Jenſ. pro ἐγκαινίῳ *conj. Gallæus, h. e. tirocinio.* per encomia *conj. Bur.* pro—ducendus ſcelus G. 2. [l] Hæc G.

31. *Alia propoſitio eſt*] In hac lectione nihil me videre fateor. Videant viri eruditi, an non ſic lux inferri poſſit, *Alii a propoſitione accuſatoris contraque loci oriuntur.* Certe nihil immodeſtum hic eſt. *Alii* vel *All* cum proximo *a* quam facile coaluit? quam ſolenne eſt *quam* et *que* miſceri? vid. v. g. 6, 3, 97. not. l. it. 6. 4, 1. not. u. Vel legamus *contraque eam*; quod dictante alio facillime in *contra quam* abiit.

31. *Facile reſpondetur, vel, quod*] Τὸν *quod* non accipio pro ὅτι ἀφηγηματικῷ· ſed pro αἰτιολογικῷ. Ideo facile reſpondetur, quod &c.

33. *per* ἐγκαίνια *ducendum*] Si putarem ita ſcripſiſſe Fabium, *per* ἐγκαίνια *ducere* interpretarer, per pompam quandam feſtam oſtentare non impunitum modo, ſed glorioſum ſcelus, ut in dedicationibus, et privatarum rerum initiis, officio togæ virilis, barbæ ponendæ, nuptiarum, fieri ſolet. Sed ignoro *encænia* Romana. Ex poſterioris ævi conſuetudine ſcribere etiam potuit, *Nec pro encomio ducendum ſcelus primum.* De *encomio* jam cogitavit, ut vidimus, Burmannus: ſed melius intelligam *pro encomio ducere*,

34 Sic autem præparabit actione prima judicum animos, ut noluiſſe potius objicere, quam non potuiſſe, credatur. Eoque ſatius eſt, omni ſe anteactæ vitæ abſtinere convicio, quam levibus aut frivolis aut manifeſto falſis reum inceſſere, quia fides ceteris detrahitur: et, qui[m] nihil objicit, omiſiſſe credi poteſt maledicta, tamquam ſupervacua: qui vana congerit, confitetur vanum in anteactis argumentum, in quibus vinci, quam tacere, maluerit.
35 Cetera, quæ *a perſonis* duci ſolent, in argumentorum locis expoſuimus. Proxima eſt *ex cauſſis* probatio, in quibus hæc maxime ſpectantur, *ira, odium, metus, cupiditas, ſpes*: nam reliqua in horum[n] ſpecies cadunt. Quorum ſi quid in reum conveniet, accuſatoris eſt efficere, ad quidquid faciendum cauſſæ valere videantur, eaſque, quas in argu-
36 mentum ſumet, augere. Si minus, illuc conferenda eſt oratio, aut aliquas fortaſſe latentes fuiſſe, aut nihil ad rem pertinere, cur fecerit, ſi fecit: aut etiam dignius eſſe odio ſcelus, quod non habuerit cauſſam. Patronus vero, quoties poterit, inſtabit huic loco, ut nihil credibile ſit factum eſſe ſine cauſſa. Quod Cicero vehementiſſime multis orationibus tractat: præcipue tamen *pro Vareno*, qui[o] omni-
37 bus malis premebatur: nam et damnatus eſt. At[p], ſi proponitur, *Cur factum ſit?* aut falſam cauſſam, aut levem, aut ignotam reo dicet. Poſſunt eſſe aliquæ interim ignotæ: *An heredem habuerit? An accuſaturus fuerit eum, a quo dicitur occiſus?* Si alia defecerint, non utique ſpectandas eſſe cauſſas: nam quem poſſe reperiri, qui non[q] *metuat, oderit, ſperet?* plurimos tamen hæc ſalva innocen-

[m] quia Jenſ. [n] has G. Jenſ. [o] in *inf.* Jenſ. [p] Et G. [q] *om.* G. *Forte fuit* quin metuat.

quod minus etiam abhorret a Gothana et Jenſoniana lectione. Ponamus interim ita dediſſe Quinctilianum. Patronus laudavit vitam rei anteactam: accuſator, Hoc igitur, inquit, ſcelus primum ejus eſt, non ideo *pro encomio ducendum*, quod primum eſt; nihilo minus enim eſt ſcelus, et quia primum, ne amplius audeat, eo puniendum acrius. Sic, uti dixi, intelligam Fabium. Video etiam, vix apice diſtare *encomio* et *encænio* in ſcriptura Longobardica. Sed hoc non video, cur Græco hic alterutro uti voluerit Fabius, quorum neutrum in uſu tum loquentium fuiſſe Romanorum, oſtendi poteſt. Itaque ἐπέχω, et uti Eliam Judæi, ita auxilium MSStorum aut ingeniorum exſpecto.

35. *efficere, ad quidquid*] Efficere eſt argumentis probare, demonſtrare, ut centies. Primo nempe generatim demonſtrat, quid poſſit odium, cupiditas: deinde in reo acerbiſſimum fuiſſe odium, effrenatam cupiditatem oſtendit.

36. *ut nihil credibile ſit*] h. e. ut dicat, nihil credibile eſſe &c. ut ſupra 7, 1, 35.

tia facere. Neque illud eſt omittendum, *non omnes cauſſas* 38
in omnibus perſonis valere. Nam, ut alicui ſit furandi cauſſa paupertas, non erit idem in T. Curio Fabricioque momentum. *De cauſſa prius, an de perſona* dicendum ſit, 39
quæritur: varieque eſt ab oratoribus factum: a Cicerone etiam prælatæ frequentiſſime cauſſæ. Sed mihi, ſi [r] neutro litis conditio præponderet, ſecundum naturam videtur incipere *a perſona.* Nam hoc magis generale eſt, rectiorque diviſio, *Aut* [s] *in nullo crimen credibile, aut in hoc.* Po- 40
teſt tamen id ipſum, ſicut pleraque [t], vertere utilitas. Nec tantum cauſſæ voluntatis ſunt quærendæ: ſed interim et erroris, ut *ebrietas,* et *ignorantia.* Nam, ut hæc in qualitate crimen elevant, ita in conjectura premunt. Et 41
perſona quidem neſcio an umquam, utique in vero [u] actu rei, poſſit incidere, de qua neutra pars dicat: de cauſſis frequenter quæri nihil attinet, ut *in adulteriis* [x], in *furtis:* quia illas per ſe ipſa crimina ſecum habent. Poſt hæc 42
intuenda videntur et conſilia; quæ late patent, *An credibile ſit, reum ſperare, id a ſe ſcelus effici poſſe? an ignorari, cum feciſſet? an, etiam ſi ignoratum non* [z] *eſſet, abſolvi, vel pœna levi tranſigi, vel tardiore, vel ex qua minus incommodi conſecuturus, quam ex facto gaudii videretur? an etiam tanti putaverit* [a], *pœnam ſubire?* Poſt hæc, *An alio tempore,* et 43
aliter facere, vel facilius [b], *vel ſecurius potuerit?* ut dicit Cicero *pro Milone,* enumerans plurimas [c] occaſiones, quibus ab eo Clodius impune occidi potuerit. Præterea, cur potiſſimum *in* [d] *illo loco, illo tempore, illo modo* ſit aggreſſus: qui et ipſe diligentiſſime tractatur pro eodem locus. *An etiam, ſi nulla ratione ductus eſt, impetu raptus* 44
ſit, et abſque ſententia? Nam vulgo dicitur, *Scelera non habere conſilium. An etiam conſuetudine peccandi ſit allectus?* Excuſſa prima parte, *An voluerit?* ſequitur, *An potuerit?* Hic tractatur *locus, tempus,* ut furtum in loco clauſo [e] vel recluſo, frequenti vel ſolo; tempore vel diur-

[r] ſine ullo litis convicio proponderetur G. *vitioſe.* [s] aut nullum G. Jenſ. [t] plerumque *iid.* [u] *Sic* G. *et Obr.* uno *rel.* [x] ut *inf.* Jenſ. [z] *om.* Jenſ. [a] putavit G. [b] facile G. [c] plures G. [d] *om.* G. Jenſ. [e] cluſo G.

43. *Cicero pro Milone*] c. 14 et 15. quem locum ita concludit c. 16. *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus: hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere?*

no, cum teſtes plures; vel nocturno, cum major difficul-
45 tas. Inſpiciuntur utique difficultates et [f] occaſiones, quæ ſunt plurimæ, ideoque exemplis non egent. Hic ſequens locus talis eſt, ut, *ſi fieri non potuit*, ſublata lis ſit: *ſi potuit*, ſequatur quæſtio, *An fecerit?* Sed hæc etiam ad animi conjecturam pertinent: nam et ex his colligitur, *An ſperaverit?* Ideo ſpectari debent et inſtrumenta, ut Clodii
46 ac Milonis comitatus. Quæſtio, *An fecerit*, incipit a ſecundo tempore, id eſt, præſenti; ac deinde conjuncto, hoc [g] eſt, inſequenti: quorum ſunt *ſonus, clamor, gemitus* [h], *latitatio, metus*, ſimilia. His accedunt ſigna, de quibus tractatum eſt. *Verba* etiam et *facta*, quæque ante-
47 cefferunt, quæque inſecuta ſunt. Hæc aut noſtra ſunt, aut aliena. Sed verba [i] *magis* nocent [k], aut *minus*. Magis nocent [l], et minus proſunt noſtra, quam aliena: magis proſunt, et minus nocent aliena, quam noſtra. Facta autem interim magis proſunt noſtra, interim aliena: ut, ſi quid, quod pro nobis ſit, adverſarius fecit: ſemper vero [m]
48 magis nocent noſtra, quam aliena. Eſt et illa in verbis differentia, quod aut [n] aperta ſunt, aut dubia. Seu noſtra ſeu aliena ſunt, infirmiora in utrumque ſint neceſſe eſt dubia: tamen noſtra ſæpe magis [o] nocent, ut in illa contro-

[f] *om.* G. Jenſ. [g] hoc eſt inſ. *om. iid.* [h] in ſequenti *inſ.* G. Jenſ. *Burm. e* 5, 10, 45. *conj. ita:* Q. a. f. i. a ſ. t. id eſt conjuncto, adhærenti et inſequenti, quorum ſunt ſonus &c. *ut* ſonus *conjuncti*, clamor et gemitus *adhærentis*, latitatio, metus *inſequentis ſint. Vel ita:* Q. a. f. i. a ſ. t. id eſt præſ. ac conj. quorum ſunt ſ. cl. g. ac deinde inſequenti, latitatio, metus. [i] nobis *inſ.* G. [k] *Forte inſ.* et proſunt. [l] noc. et mi. *om.* G. Jenſ. [m] enim G. *male.* [n] *om.* G. [o] nobis G. Jenſ.

46. *incipit a ſecundo*] *Secundum tempus* eſſe præſens, nihil habet dubii. Sed ſi hic locus ita exiit e manu Fabii, de quo tamen eſt quod dubitem, *conjunctum tempus* aliter hic poſuit, quam ſupra 5, 10, 45. ſq. it. 94: illic enim pro præſenti adhibet ſine dubio; hic pro futuro proxime. Sed etiam ſtribligo quædam, certe negligentia, hic deprehenditur, qua liberum eſſe velim Fabium. Ait, *Quæſtio* An fecerit? *incipit a ſecundo tempore; ac deinde conjuncto:* quid igitur? *incipit* a conjuncto? non puto. Nec enim *incipit a conjuncto*, h. e. *ab inſequenti*, ſed *ad* illud *pergit* vel *progreditur*. Aut igitur Zeugma hoc eſt, claritatis præceptorem minime decens, aut aliter poſuit Fabius. Res ipſa apparet: quibus verbis dici potuerit, non eſt obſcurum; et placeret hic prior conjectura Burmanni: quibus vero uſus ſit Fabius, in tanta ſtrage ipſius exemplarium, divinare hic quidem difficile. Unum addo. Si *quorum ſunt* eſt a Quinctiliano; duorum temporum mentionem ante fecit: nam alias dixiſſet, *cujus*, vel *in quo ſunt*. Si recte poſt *gemitus* legitur *inſequenti*, vel, quod malim, *inſequentis*; non poteſt præcedere *quorum*: et tamen *ſonus, clamor, gemitus* ſunt præſentis temporis, *latitatio, metus*, inſequentis.

verſia: *Interrogatus filius, ubi eſſet pater, dixit, Ubicumque eſt, vivit: at ille in puteo mortuus eſt inventus.* Aliena, 49
quæ ſunt dubia, numquam poſſunt nocere, niſi aut incerto auctore aut mortuo. *Nocte audita eſt vox, Cavete*[p] *tyrannidem*[q]*:* et, *Interrogatus, cujus veneno moreretur, reſpondit, Non expedit tibi ſcire.* Nam, ſi eſt, qui poſſit in- 50
terrogari, ſolvet ambiguitatem. Cum autem dicta factaque noſtra[r] defendi ſolo animo poſſint, aliena varie refutantur. De uno quidem maxime genere conjecturalium controverſiarum locuti videmur, et in omnes aliquid de his cadit. Nam *depoſiti, furti, creditæ pecuniæ*, et *a facultatibus* argumenta veniunt, *An fuerit, quod deponeretur?* et *a perſonis, An illum depoſuiſſe apud hunc, vel huic*[s] *credidiſſe credibile ſit? an petitorem calumniari, an reum infitiatorem eſſe*[t]*, vel furem?* Sed etiam *in furti reo*, ſicut in 51
cædis, quæritur de facto, et de auctore. *Crediti* et *depoſiti* duæ ſunt[u] quæſtiones, ſed nonnumquam[x] junctæ, *An datum ſit? An redditum*[y]*?* Habent aliquid proprii *adulterii* cauſſæ, quod plerumque duorum diſcrimen eſt, et de utriuſque vita dicendum: quamquam et id quæritur, *An utrumque pariter defendi oporteat?* Cujus rei conſilium naſcetur ex cauſſa. Nam, ſi adjuvabit pars altera, con- 52
jungam: ſi nocebit, ſeparabo. Ne quis autem mihi putet temere excidiſſe, quod plerumque duorum crimen[z] eſſe adulterium, non ſemper, dixerim: poteſt accuſari ſola mulier incerti adulterii: *Munera domi inventa ſunt*; *pecunia, cujus auctor non*[a] *exſtat*; *codicilli, dubium*[b] *ad quem ſcripti.* In *falſo* quoque ratio ſimilis: aut enim plures in 53
culpam vocantur, aut unus. Et ſcriptor quidem ſemper tueri ſignatorem neceſſe habet, ſignator ſcriptorem non ſemper: nam et decipi potuit. Is autem, qui hos adhibuiſſe, et cui id factum dicitur, et ſcriptorem et ſignatores defendet. Iidem argumentorum loci in cauſſis *proditionis* et *affectatæ tyrannidis.* Verum illa ſcholarum conſuetudo 54

[p] caveto G. [q] *Sic* G. *Obr. et al.* tyrannicidam *rel.* [r] noſtratia G. [s] hunc Jenſ. [t] an G. [u] *om.* G. Jenſ. [x] *om. iid.* [y] creditum G. *male.* [z] diſcrimen G. [a] *om.* Jenſ. [b] dubii G.

48. *Ubicumque eſt, vivit*] Quid hic dubium? Puto *vivit*: quod etiam *bibit* poteſt intelligi. Non *vivebat* in puteo pater, ſed *biberat*. Perpetua literarum *b* et *v* confuſio nemini non notata, qui libros antiquos tractarit: in primis vero his, qui Pandectas Florentinos verſarunt.

53. *decipi potuit*] v. g. ſubjecto ſcripto alio ſub ipſum ſignandi actum.

ituris in forum poteſt nocere, quod omnia, quæ in the-
49 mate non ſunt, pro nobis ducimus. Adulterium *objicis*; *quis teſtis? quis index? quod pretium? quis conſcius?* Venenum; *ubi emi? a quo? quando? quanti? per quem dedi?* Pro reo tyrannidis affectatæ; *ubi ſunt arma? quos*
50 55 *contraxi ſatellites?* Neque hæc nego eſſe dicenda, et ipſis utendum pro parte ſuſcepta. Nam et in foro, ſi quando [c] adverſarius probare non poterit, deſiderabo. Sed in foro tantam [d] illam facultatem olim deſideravimus, ubi non fere cauſſa agitur, ut non aliquid ex his, aut plura ponan-
56 tur. Huic ſimile eſt, quod in epilogis quidam, quibus volunt, liberos, parentes, nutrices accommodant: niſi quod magis conceſſeris ea, quæ non ſint poſita, deſide-
51 rare, quam dicere. *De animo* quo modo quæratur, ſatis dictum eſt, cum ita diviſerimus, *An voluerit? an potuerit? an fecerit?* Nam, qua via tractatur *An voluerit*; eadem, *Quo animo fecerit.* Id enim eſt, *An male facere voluerit.*
57 Ordo quoque rerum aut affert, aut detrahit *fidem*: multo ſcilicet magis, res prout [e] congruunt, aut repugnant. Sed

[c] aliquando Jenſ. ubi G. [d] dandam illam felicitatem G. tantam *MSS. Alm. et Voſſ. 2. ap. Bur.* tantum *rel.* [e] *Vid. inſer.* ordinantur.

52

53

54

55. *Nam et in foro—deſiderabo*] Etiam in re ſeria et foro, ſi adverſarius ſimpliciter arguat, nec probare poſſit, deſiderabo ilta, quæ dixi, et quæram, *quis teſtis, quis index?* &c. Ut Cicero pro Roſcio Amerino, in primis c. 27. *Quomodo occidit? ipſe percuſſit, an aliis occidendum dedit—quicum locutus eſt? quomodo perſuaſit? pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde aut quantum dedit?* &c. Acerrimus eſt locus, et totus huc pertinet.

55. *Sed in foro tantam*] Hoc dicit, tantam facultatem deſiderandi, petendi et requirendi ab adverſario argumenta, ſigna &c. in foro et actu rerum olim deſideravimus, h. e. abeſſe ſenſimus. Nec enim fere cauſſa agitur, ut non ab actore illa præparentur, et aliquid earum rerum, aut plura adeo ponantur. Raro enim invenias impudentes adeo accuſatores, ita opibus ſuis confiſos, ut fuere in cauſſa illa Roſciana.

56. *Huic ſimile eſt*] Alium errorem ſcholaſticorum obiter arguit, quem e declamatoria umbra in forum interdum adferant: quo tacto ſtatim ad rem redit.

56. *De animo quo modo*] Non opus eſt, ut peculiariter oſtendamus, quo modo, quo ordine *de animo* quæratur, quo quis fecerit aliquid. Cum enim totam conjecturam in tres illas quæſtiones tribuerimus, ſ. 27. *An voluerit? An potuerit? An fecerit?* quæſtio de animo plane cum prima congruit. Si enim quæras: *Quo animo fecit?* idem eſt, ac ſi quæras: *voluitne male facere?*

57. *multo ſcilicet magis*] Abruptior, et hiulca, librariorum puto culpa, oratio. Senſus tamen apertus: Multo credibiliora ſunt, quæ congruunt et ordine quodam naturali excipere ſe videntur: itaque

hæc niſi in ipſo complexu cauſſarum non deprehenduntur. Quærendum tamen ſemper, quid cui [f] connectatur [g], et quid cui conſentiat.

III. (IV.) Sequitur conjecturam *finitio*. Nam, qui non poteſt dicere nihil [h] feciſſe, proximum habebit, ut dicat, non id feciſſe, quod objicitur [i]. Itaque plerumque [i] legibus iiſdem [m], quibus conjectura, verſatur, defenſionis tantum genere mutato: ut in *furtis*, *depoſitis*, *adulteriis*. Nam, quemadmodum dicimus, *Non feci furtum*, *non accepi depoſitum*, *non commiſi adulterium*: ita, *Non eſt hoc furtum*, *non eſt hoc* [n] *depoſitum*, *non eſt hoc adulterium*. Interim a qualitate ad finitionem [o] deſcenditur, ut in actionibus *dementiæ*, *malæ tractationis*, *reipub. læſæ*, in quibus ſi recte facta eſſe, quæ objiciuntur, dici non poteſt, illud ſuccurrit, *Non eſt hoc* [p] *dementem eſſe*, *male tractare*, *rempub. lædere*. Finitio igitur eſt *rei propoſitæ propria et dilucida et breviter comprehenſa* [q] *verbis enuntiatio*. Conſtat maxime, ſicut eſt [r] dictum, genere, ſpecie, differentibus, propriis: ut, ſi finias equum, (noto enim maxime utar exemplo) genus eſt *animal*, ſpecies, *mortale*, differentia, *irrationale*, (nam et homo mortale erat:) proprium, *hinniens*. Hæc adhibetur orationi in pluribus cauſſis. Nam tum eſt certum de nomine, ſed quæritur, quæ res ei ſubjicienda ſit? tum res eſt manifeſta, ſed [s] de nomine non conſtat. De re cum [t] dubium eſt, interim conjectura eſt: ut, ſi quæratur, *quid ſit Deus?* Nam, qui id neget, *Deum eſſe ſpiritum omnibus partibus immixtum*, non hoc dicat, falſam eſſe illius divinæ naturæ appellationem? ſicut Epicurus,

[f] cuique G. Jenſ. [g] conjectatur G. [h] *om.* G. [i] objiciatur Jenſ. [i] pluribus legibus G. Jenſ. [m] idem Jenſ. id eſt G. [n] hæc mutuatio G. Jenſ. non eſt hoc depoſ. ſed mutuatio Baſ. *et* Aſc. *videntur omnino e gloſſa.* [o] diffinitionem G. [p] hoc dem. eſſe *om.* G. Jenſ. [q] compreſſa *iid.* [r] dixi G. [s] et quo nom. conſtat. G. Jenſ. *niſi quod hic* quod. [t] *om.* G. Jenſ.

eadem res credibilis fit, ſi narretur ordine; incredibilis, ſi perturbate, ut cauſarum cum eventis nexum inſpicere non liceat. Hanc ſententiam juvari conjectura noſtra, nemo, puto, negabit.

III, 3. *ſicut eſt dictum*] 5, 10, 55. ſqq.

5. *non hoc dicat*] Hæc cum interrogatione intelligo. Nonne is, qui negat, Deum eſſe ſpiritum omnibus partibus mixtum, hoc dicit, falſam eſſe divinæ naturæ appellationem, in quantum ſpiritui per omnia fuſo tribuitur? Facit hoc Epicurus, qui Dei nomen plane alii rei tribuit. Quæritur igitur, utrum ſit in rerum natura id, quod Stoici Deum vocant, an quod Epicurei? quæ quidem conjectura eſt, quæ cum finitione hic concurrit.

qui humanam ei formam, locumque inter mundos dedit: nomine uterque uno utitur: utrum[u] sit in re, conjectat.
6 Interim qualitas tractatur, ut *quid sit rhetorice, vis persuadendi, an bene dicendi scientia?* Quod genus est in judiciis frequentissimum. Sic enim quæritur, *an deprehensus in lupanari cum aliena uxore adulter sit?* quia non de appellatione, sed de vi facti ejus ambigitur, an omnino peccarit. Nam, si peccavit, non potest aliud esse, quam adulter.
7 Diversum est genus, cum controversia consistit in nomine, quod pendet ex scripto, nec versatur[x] in judiciis, nisi propter verba, quæ litem generant[z]. *An, qui se interficit, homicida sit*[a]*? An, qui tyrannum in mortem compulit, tyrannicida? An carmina magorum, veneficium?* Res enim manifesta est, sciturque[b], non idem esse occidere se, quod alium; non idem occidere tyrannum, quod compellere ad mortem; non idem carmina, ac mortiferam potionem;
8 quæritur tamen, an eodem nomine appellanda sint? Quamquam autem[c] dissentire vix[d] audeo a Cicerone, qui, permultos secutus auctores, dicit, *finitionem* esse de eodem, et de altero; (semper enim[e] neganti[f] aliquod esse nomen, dicendum, quid sit potius?) tamen in[g] eamdem[h] tres[i]
9 habeo velut species. Nam interim sic convenit quærere, *An habendum sit adulterium in lupanari?* Cum hoc negamus, non necesse est dicere, quid id vocetur, quia totum crimen infitiamur. Interim quæritur, *An hoc furtum,*[l] *sacrilegium?* non, quin sufficiat, non esse sacrilegium, sed, quia necesse sit dicere, quid sit aliud: quo in loco utrum-
10 que finiendum est. Interim quæritur in rebus specie di-

u verum sic G. x versante in judicio G. z faciunt Jens. a est *id.* b scitur quoque *id.* c haud Jens. d vos adeo G. e *om.* G. f negante G. g *om.* G. Jens. *vid. leg.* in eadem. h eas res G. i tris Jens. l an *inf.* G. Jens.

6. *Interim qualitas tractatur*] In finitione qualitas etiam tractatur. V. g. si rhetorice semper bona est, non est finienda per *vim persuadendi*; quippe quæ in malos etiam cadit; vid. hac de disputatione plura 2, 15. Ut igitur recte finias, de qualitate constituendum est. Ita in altero forensi exemplo: si deprehendi in lupanari malum non est; neque *adulterium* potest vocari, quippe quod semper malum.

8. *a Cicerone*] Vid. quæ diximus ad 3, 6, 30. Cæterum verba, *in eamdem tres habeo species*, non intelligere me fateor. Si legatur *in eadem*, definitione nempe, intelligam; et videam id quoque, qua in re dissentiat, dissentire certe videri velit a Cicerone. Prima nimirum species Fabii est illa quidem *de eodem*, sed non *de diverso*: non est *idem* adulterium deprehendi in lupanari; sed nec opus est, ut *diversum* quid dicam.

verſis, an et hoc eodem modo ſit appellandum, cum res utraque habeat ſuum nomen? ut *amatorium*, *venenum*. In omnibus autem [m] hujus generis litibus quæritur, *an etiam hoc?* quia nomen, de quo ambigitur, utique in alia re certum eſt. *Sacrilegium eſt rem ſacram de templo ſurripere: num et privatam? Adulterium, cum aliena uxore domi coire: an et in lupanari? Tyrannicidium, occidere tyrannum: an etiam in mortem compellere?* Ideoque συλλογισμὸς, 11
de quo poſtea dicam, velut infirmior eſt finitio, quia in hac quæritur, an idem ſit hujus rei nomen, quod alterius: illo, an perinde habenda ſit hæc, atque illa. Eſt et 12
talis finitionum [n] diverſitas, ut quidam ſentiunt, num idem [o] diverſis verbis comprehendatur: ut *rhetorice*, *bene dicendi ſcientia*, et eadem *bene inveniendi*, et *bene enuntiandi*, et *dicendi ſecundum virtutem orationis*, et *dicendi, quid* [p] *ſit officii*. Atque providendum, ut, ſi ſenſu non pugnent [q], comprehenſione [r] diſſentiant. Sed de his diſputatur, non 13
litigatur. Opus eſt aliquando finitione obſcurioribus et ignotioribus verbis, ut [s], quid ſit *clarigatio*, *proletarius* [t]. Erit [u] et [x] interim notis nomine verbis [z]: ut, *quid ſit penus*, *quid litus*. Quæ varietas efficit [a], ut eam quidam conjecturæ, quidam qualitati, quidam legitimis quæſtionibus ſubjecerint. Quibuſdam ne placuit quidem omni- 14
no ſubtilis hæc, et ad morem Dialecticorum formata concluſio, ut in diſputationibus potius per argumenta verborum cavillatrix, quam in oratoris officio multum allatura momenti. Licet enim valeat id [b] ſermone tantum, ut conſtrictum in vinculis ſuis habeat eum, qui reſponſurus eſt, et vel tacere [c], vel etiam invitum id, quod ſit contra, cogat fateri: non eadem eſt tamen ejus in cauſſis utilitas [d]. Perſuadendum enim judici eſt: qui, etiamſi verbis de- 15

[m] *om.* Jenſ. [n] diviſionum G. Jenſ. [o] iiſdem verbis *iid. Vid. leg.* cum idem diverſis verbis. [p] quod *Obr. recte, puto.* [q] pugnant G. [r] *Vid. infer.* ne. [s] *om.* G. Jenſ. [t] *om. iid. et niti videtur fide ſolius Obr.* [u] erat Jenſ. [x] ut G. Jenſ. [z] videbis quid Jenſ. [a] efficiat Jenſ. [b] in G. Jenſ. [c] carere *iid.* [d] ſubtilitas Jenſ.

12. *comprehenſione diſſentiant*] Nuſquam corruptior eſt Fabius, quam ubi τεχνικὰ tractat: qua de re alias dictum. Hic facilis medela videtur, quam ſupra poſuimus. Ultima ſyllaba nominis *comprehenſione* ſequentem *ne* hauſit. Poſſunt autem duæ finitiones ſenſu non pugnare, ſed eandem rem ſignificare, ac tamen *comprehenſione diſſentire*, ut una ſcilicet altera latius pateat.

13. *clarigatio, proletarius*] Hæc talia non opus eſt hodie hic explicare, cum lexica habeamus, in quibus ea diſputantur latius commodiuſque.

vinctus est, tamen, nisi ipsi rei accesserit, tacitus dissentiet. Agenti vero quæ tanta est hujus præcisæ comprehensionis necessitas? An, si non dixero, *Homo est animal rationale mortale*, non potero, expositis tot corporis animique proprietatibus, latius oratione ducta, vel a diis eum, vel a
16 mutis discernere? Quid? quod [e] nec uno modo definitur [f] res eadem, sed [g] latiore [h] varioque tractatu? ut facit Cicero: [quid [i] enim vulgo universos?] ut omnes oratores plerumque fecerunt. Rarissima enim apud eos reperietur [k] illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus (est enim certe servitus) ad certa se verba adstringendi. Idque faciendum, in libris Ciceronis *de oratore* vetat M.
17 Antonius. Nam est etiam periculosum, cum, si uno in [l] verbo sit erratum, tota causa cecidisse videamur: optimaque est illa media [m] via, qua utitur Cicero pro Cæcina, ut res proponatur, verba non periclitentur. *Etenim* [n], *Recuperatores* [o], *non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamque pervenit, sed etiam multo major ea, quæ, periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpe et*
18 *certo de statu demovet.* Aut, cum finitionem præcedit probatio, ut in Philippicis Cicero Servium Sulpicium occisum ab Antonio colligit, et in clausula demum ita finit, *Is ei profecto mortem attulit, qui caussa mortis fuit.* Non negaverim tamen hæc quoque, ut expediet [p] caussæ, esse

[e] quid G. 2. [f] diffinire G. 2. [g] *om.* Jens. *et al.* et G. 2. [h] latiore varioque tractatu *post* universos *ponunt* G. G. 2. Jens. *et cum aliis ipse Burm.* Lat. var. tr. *utroque loco habent Basill.* 3. [i] quid—univ. *om. Lugdun.* 1538, 8. *Vascosan. Stoer.* 1604. 8. *et Obr. quæ alioqui nobiscum faciunt.* quod G. 2. [k] reperitur G. [l] *om.* G. Jens. [m] *om.* G. [n] Est enim G. [o] recip. G. recuperatoris Jens. [p] expedit *id.*

16. *sed latiore varioque tractatu?*] Videtur hæc verba per incuriam hic omisisse librarius, deinde, animadverso errore, paullo serius posuisse. Alius forte dissensione animadversa codicum, utroque loco posuit, ne quid omnino desideraretur, quod etiam in tribus Basileensibus factum adnotavimus.

16. *quid enim vulgo universos?*] Non opus est reliquos laudare: cum Ciceronem nominaverim, qui est instar omnium. Sed cum non modo *vulgandi* vox poetica videatur, de quo forte concesserim; sed Quinctilianus etiam statim, et uno quasi spiritu subjungat, *ut omnes oratores:* solicitor putare, hic etiam vulneris aliquid aut ulceris subesse; quod forte secuerunt, non persanarunt Regii consilium potius, quam Codicum MStorum fidem secuti, editores, quos supra laudavimus. Hæc verba omittenda etiam censet Heumannus, tanquam e glossa orta, cum ad *omnes* aliquis adscripsisset, *vulgo universos.*

16. *Ciceronis de oratore*) 2, 25. deinde pro Cæcin. c. 15. mox Philipp. 9, 3.

facienda, et, si quando firma comprehendi poterit, et brevi complexu verborum finitio, esse id tum elegans, tum etiam fortissimum, si modo erit illa inexpugnabilis. Ejus 19
certus ordo est, *quid sit? an hoc sit?* et in hoc fere labor major est, ut finitionem confirmes, quam ut in rem finitionem applices. In eo, *quid*[q] *sit?* duplex opus est[r]. Nam et nostra confirmanda est, et adversæ partis destruenda finitio. Ideoque in schola, ubi nobis ipsis fingimus 20
contradictionem, duos ponere debemus fines, quales utrimque esse optimi poterunt. At in foro providendum, *num* forte *supervacua*, et *nihil ad caussam pertinens, an ambigua, an contraria, an communis sit finitio?* quorum nihil accidere, nisi agentis culpa, potest. Ut recte autem finia- 21
mus, ita fiet, si prius in animo constituerimus, quid velimus efficere. Sic enim accommodari ad voluntatem verba poterunt. Atque ut a notissimo exemplo, quo sit res lucidior, non recedamus: *Qui privatam pecuniam de templo surripuit*[s], *sacrilegii reus est.* Culpa manifesta: quæ- 22
stio est, an huic crimini nomen, quod est in lege, conveniat. Ergo ambigitur, *An hoc sacrilegium sit?* Accusator, *quia de templo sit surrepta* pecunia, utitur hoc nomine. Reus, *quia privatam surripuerit*, negat esse *sacrilegium*, sed *furtum* fatetur. Actor ergo ita finiet, *Sacrilegium est surripere aliquid de sacro.* Reus ita finiet, *Sacrilegium est surripere aliquid sacri.* Uterque alterius finitionem impug- 23
nat. Ea duobus generibus evertitur, si aut falsa est, aut parum plena. Nam illud tertium, nisi stultis, non accidit, ut nihil ad quæstionem pertineat. [Falsa[t] est, si di- 24
cas, *Equus est animal rationale:* nam est equus animal, sed irrationale. Quod autem commune cum alio est, desinet esse proprium.] Hic reus falsam dicit esse finitionem accusatoris: accusator autem non[u] potest dicere falsam rei: nam est *sacrilegium, surripere aliquid sacri.* Dicit parum 25
plenam: adjiciendum enim, *aut ex sacro.* Maximus autem usus, in approbando refellendoque fine, *propriorum* ac *differentium*, nonnumquam etiam *etymologiæ.* Quæ tamen omnia, sicut in ceteris, confirmat æquitas, nonnumquam etiam conjectura mentis. *Etymologia* maxime rara est: *Quid enim est aliud* tumultus, *nisi perturbatio tanta, ut major* timor *oriatur? Unde etiam nomen ductum est* tumul-

[q] quæ sit G. [r] *om.* Jens. [s] furripit *id.* [t] Falsa—proprium *vid. interpolata.* [u] *om.* Jens.

26 tus. Circa *propria* ac *differentia* magna ſubtilitas: ut, cum quæritur, *An addictus, quem lex ſervire, donec ſolverit, jubet, ſervus ſit?* altera pars finit ita, *Servus eſt, qui eſt jure in ſervitute.* Altera, *qui in ſervitute eſt eo jure, quo ſervus:* aut, ut antiqui dixerunt, qui *ſervitutem ſervit.* Quæ finitio, etiamſi diſtat aliquo, niſi tamen propriis et differenti-
27 bus adjuvetur, inanis eſt. Dicet enim adverſarius, ſervire eum ſervitutem, aut eo jure, quo ſervum. Videamus ergo propria differentiaque [liberorum [x],] quæ [libro [y] quinto] leviter in tranſitu attigeram. *Servus*, cum manumittitur, fit libertinus; *addictus*, recepta libertate, eſt ingenuus: *ſervus* invito domino libertatem [z] non conſequetur; *addictus* ſolvendo, citra voluntatem domini, conſequetur: *ad ſervum* [a] nulla lex pertinet; *addictus* legem habet. Propria *liberi*, quæ nemo habet, niſi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc *addictus.*
28 Excuſſo *quid ſit?* prope peracta eſt quæſtio, *an hoc ſit?* Id enim agimus, ut ſit cauſſæ noſtræ conveniens finitio. Potentiſſima [b] autem eſt in ea qualitas: *an amor, an inſania?* Huc pertinebunt probationes, quas Cicero dicit proprias eſſe finitionis, *ex antecedentibus, conſequentibus, adjunctis, repugnantibus, cauſſis, effectis* [c], *ſimilibus:* de quo-
29 rum argumentorum natura dictum eſt. Breviter autem pro Cæcina Cicero *initia, cauſſas, effecta, antecedentia, conſequentia* complexus eſt: *Quid igitur fugiebant* [d]*? propter metum. Quid metuebant? Vim videlicet. Poteſtis igitur principia negare, cum extrema conceditis?* Sed ſimilitudine quoque uſus eſt, *Quæ vis in bello appellatur, ea in otio non*
30 *appellabitur?* Sed etiam [e] ex contrario argumenta ducun-

[x] *om.* V. C. *Almel. ap. Burm. recte.* [y] *om.* G. *et al. ap. Burm. recte.*
[z] *om.* G. Jenſ. [a] ſervos G. [b] pot. eſt tamen in G. [c] effectibus G.
[d] fugiebat *et mox*, metuebatur G. [e] *om.* G. Jenſ.

26. *An addictus*] Tetigit 5, 10, 60.

28. *Potentiſſima—inſania*] Hæc vel corrupta ſunt, vel ita certe abrupta et brevia, ut non ſatis intelligam. Age enim, *Qualitas* eſt potentiſſima in *finitione*. Hocne vult, *Statum qualitatis* juvari a finitione et potentiſſimum fieri, ſi recte finitione utaris? verum declaraturne hoc exemplo *amoris* et *inſaniæ*, i. e. nominibus his nude poſitis? An ita; In finitione formanda potentiſſimum eſt et vim maximam habet *prædicamentum qualitatis?* rurſus exempla deſidero. Illud ſuſpicor, *amorem* et *inſaniam* pertinere ad quæſtionem de *philtro*, de qua mox ſ. 30. Cæterum et hic Fabium deſidero; ſed dixi ad ſ. 12.

28. *Cicero dicit proprias*] Partit. 36. nominat *ſimilia, contraria, conſequentia*. Locus pro Cæcina, quem mox laudat, c. 15.

tur, ut[f], si quæratur, *An amatorium venenum sit necne? quia venenum amatorium non sit.* Illud alterum genus quo sit manifestius adolescentibus meis, (meos enim semper adolescentes putabo) hic quoque fictæ controversiæ utar exemplo. *Juvenes, qui convivere solebant, constituerunt, ut* 31 *in litore cœnarent. Unius, qui cœnæ defuerat, nomen tumulo, quem exstruxerant, inscripserunt. Pater ejus, a transmarina peregrinatione cum ad litus idem appulisset, lecto nomine suspendit se.* Dicuntur hi caussa mortis fuisse. Hic finitio 32 est accusatoris, *Per quem factum est, ut quis perierit, caussa mortis est:* Rei est, *Qui fecit quid sciens*[g], *per quod perire homini necesse est.* Remota finitione, accusatori[h] sat[i] est dicere, *Caussa mortis fuistis*[l]; *per vos enim factum*[m] *est, ut homo periret: quia, nisi vos illud fecissetis, viveret.* Contra, 33 *Non statim, per quem factum est, ut quis periret, is damnari debet, ut accusator, testis, judex rei capitalis. Nec, undecumque caussa fluxit, ibi culpa est: ut, si cui*[n] *quis profectionem suaserit, ut ad amicum accedat*[o] *trans mare, et is naufragio perierit; ad cœnam invitarit, et is eruditate illic contracta decesserit. Nec fuit*[p] *in caussa mortis solum adolescentium* 34 *factum, sed credulitas senis, et in dolore ferundo infirmitas; denique, si fortior fuisset aut prudentior, viveret. Nec mala mente fecerunt: et ille potuit vel ex loco tumulum*[q]*, vel ex opere tumultuario suspicari, non esse monumentum. Qui ergo* 35 *puniri debent? in quibus omnia sunt homicidæ, præter*[r] *manum.* Est interim certa finitio, de qua inter utramque partem convenit: ut Cicero dicit, *Majestas est in imperio, atque in omni populi Romani dignitate.* Quæritur tamen, 36 *An majestas minuta sit?* ut in caussa Cornelii quæsitum est. Sed hic etiam similis videri potest finitivæ: tamen, quia

[f] ut si qu. *om.* G. [g] sentiens G. [h] accusatoris G. Jens. [i] *om.* G. [l] fuisti G. [m] actum G. Jens. [n] *om. iid.* [o] accesserit *iid.* [p] fuerit Jens. [q] tumuli G. [r] propter G. *male.*

30. *meos enim—putabo*] Videtur ad orbitatem respicere, de qua præfatione libri sexti conqueritur; speciatim ad s. 16. ubi *alienos* dixit, quibus jam hoc opus paraverit. Nimirum redit hic ad tranquillitatem animi.

31. *in litore cœnarent*] Loco quasi solemni voluptatum. Advocavit hic Burmannus ἀνακλίνειν Græcorum, Grævium ad Cic. Verr. 5, 25. et 31. &c.

34. *ex loco tumulum*] Gothanus librarius non cepit eruditam et venustam compositionem, qua *tumulum* ad *esse* refertur: itaque cum *loco* voluit jungere.

35. *Majestas est in*] Vide copiosam de *majestate* et quomodo ea minuatur, disputationem Cic. de Invent. 2, 17. sq. add. Partit. c. 30. Orationum ipsarum pro Cornelio fragmenta nihil habent, quod huc pertineat.

de finitione non ambigitur, judicatio est qualitas [s], atque ad eum potius statum reducenda, ad cujus [t] forte quadam venimus mentionem, sed et erat ordine proximus locus.

IV. (V.) Est autem qualitas alia de summo genere, atque ea quidem non simplex. Nam, et qualis sit cujusque rei natura, et quæ forma, quæritur: *An immortalis anima? An humana specie Deus?* et de magnitudine ac numero, *Quantus sol* [u]*? An unus mundus?* Quæ omnia con-
2 jectura quidem colliguntur, quæstionem tamen habent in eo, *qualia sint?* Hæc et in suasoriis aliquando [x] tractari solent, ut, si Cæsar deliberet, *An Britanniam impugnet? quæ sit Oceani natura? an Britannia insula?* (nam tum ignorabatur) *quanta in ea terra? quo numero militum aggredienda?* in consilium ferendum sit. Eidem qualitati succedunt facienda ac [z] non facienda, appetenda, vitanda, quæ in suasorias [a] quidem maxime cadunt, sed in controversiis quoque sunt frequentia: hac sola differentia, quia
3 illic de futuris, hic de factis agitur. Item demonstrativæ partis omnia sunt in hoc statu: factum esse constat: quale sit factum, quæritur. Lis est omnis aut *de præmio*, aut *de pœna*, aut *de quantitate*. Igitur [b] primum genus causæ, aut *simplex*, aut *comparativum*. Illic, quid æquum, hic, quid æquius, aut quid æquissimum sit, excutitur. Cum de *pœna* judicium est, a parte ejus, qui causam dicit, aut *defensio est criminis*, aut *imminutio*, aut *excusatio*, aut, ut qui-
4 dam putant, *deprecatio*. *Defensio* longe potentissima est, qua ipsum factum, quod objicitur, dicimus honestum esse. *Abdicatur aliquis, quod invito patre militarit, honores petierit, uxorem duxerit:* tuemur, quod fecimus. Partem hanc vocant Hermagorei κατ' [c] ἀντίληψιν· ad intellectum id no-

[s] qualitatis G. non fac. *om.* G. *apud Regium.* [t] ejus Jens. [a] suasoriam G. [u] et *inf.* Jens. [b] *om.* G. [x] *om.* G. [z] ac [c] κατὰ διάνοιαν G. *et al.*

IV, 2. *in consilium ferendum sit*] Refero hæc verba ad proximas quatuor quæstiones. Si Cæsar deliberet, *An Britanniam impugnet?* in consilium adferendum sit etiam illud, *Quæ sit Oceani natura* &c.

4. *ad intellectum id nomen*] Hæc verba cum non recte intelligeret aliquis Criticus, Græcam appellationem immutavit, ut indicavimus. Sed hoc vult Fabius, Non ad vim et etymologiam Græcæ vocis, sed ad intellectum et rationem rei ipsius referentes nomen ἀντίληψις (quam *receptionem* vel *susceptionem* ad verbum forte dixeris) rhetores Latini *absolutam* appellarunt *defensionem*. Recte. Nam hic de re sola quæstio est. Absolute et simpliciter justum esse dicit defensor v. g. militare,

men referentes. Latine (ad verbum tranſlatam [d] non invenio) *abſolutam* [e] appellant: etenim [f] de re ſola quæſtio, juſta ſit ea, necne: *Juſtum* omne continetur *natura*, vel *conſtitutione: natura*, quod [g] ſit ſecundum cujuſque [h] rei dignitatem. Hæc [i] ſunt *pietas*, *fides*, *continentia*, et talia. 6 Adjiciunt et id, quod ſit [k] *par*. Verum id non temere intuendum eſt: nam et *vis contra vim*, et *talio* nihil habent adverſum eum, qui prior fecit, injuſtitiæ [l]: et [m] non, quoniam res pares ſunt, etiam id eſt juſtum, quod anteceſſit. Illa utrimque juſta, eadem *lex*, eadem *conditio*: ac forſitan ne [n] ſint quidem paria, quæ ulla parte ſunt diſſimilia. *Conſtitutio* eſt in *lege*, *more*, *judicato*, *pacto*. Alte- 7 rum eſt defenſionis genus, in quo factum per ſe improbabile aſſumtis extrinſecus auxiliis tuemur: id vocant προσληπτικήν. Latini hoc quoque: nam [o] ad verbum transferunt [p]: *aſſumtiva* enim dicitur *cauſſa*. In quo genere 8 fortiſſimum eſt, ſi crimen cauſſa facti tuemur, qualis eſt *defenſio Oreſtis*, *oratio Milonis*: ἀντέγκλημα dicitur, quia omnis noſtra defenſio conſtat ejus accuſatione, qui vindicatur. *Occiſus eſt*, *ſed latro*; *exſectus* [q], *ſed raptor*. Eſt et 9

[d] tranſlatum G. [e] abſoluta appellatur G. Jenſ. [f] ſed enim *omnes, quod ſciam. v. n.* [g] quid G. [h] ejuſque Jenſ. [i] Hic Jenſ. [k] ſic perverſum G. Jenſ. *perverſe.* [l] injuſte *iid. Vid. leg.* injuſti. [m] *Forte leg.* ſed. [n] nec Jenſ. [o] *Sic* G. *et plur. ap. Burm.* non *ipſe cum rel.* [p] tranſtulerunt G. [q] excœcatus G. Jenſ. *et plures ap. Burm.*

honores petere, uxorem ducere. Hanc ſententiam nemo, ſpero, contemnet. Operæ pretium forte fuerit videre, num hæc vel melior adeo poſſit percipi ſententia ex lectione et diſtinctione adhuc recepta, quam hic proponam. *Partem hanc vocant Hermagorei* κατ' ἀντίληψιν, *ad intellectum id nomen referentes. Latine ad verbum tranſlatam non invenio*: abſolutam *appellant. Sed enim de re ſola quæſtio, juſta ſit ea, necne: juſtum omne* &c. Obſcurando huic loco primam occaſionem videtur dediſſe parentheſis, *ad verbum tranſlatam non invenio*. Multo mollius fluerent omnia, ſi ita legeretur, *Partem h. v.* H. κ. ἀντιλ. *ad verbum Latine tranſlatum id nomen non invenio*; *ad intellectum referentes* abſolutam *appellant*. Mihi quidem, qui obſervaverim frequentiſſimas Gothani codicis circa verborum ordinem varietates, (quas adnotare ob id ipſum nolui, quod ſunt nimis crebræ) non fit improbabile Fabium ita, ut modo poſui, dediſſe.

5. *etenim de re*] Videbatur hæc nobis circa mutatam lectionem licentia ſumta pudenter: *Sed*, nimis hic importunum, irrupit, poſtquam ſuperiora male intellecta et diſtracta eſſent. Manifeſtum eſt contineri his verbis rationem, cur *abſoluta* vocetur ἡ κατ' ἀντίληψιν defenſio: porro rationem adjungere propoſitioni ſuæ per *ſed* non ſolent, qui non inſaniunt.

8. *oratio Milonis*] Si eſt a Quinctiliano, *oratio* eſt *defenſio* etiam per alium facta. Neque enim, puto, Milo pro ſe ipſe dixit.

8. *exſectus, ſed raptor*] Nolim

illa ex cauſſis facti ducta defenſio priori contraria, in qua neque factum ipſum per ſe, ut in abſoluta quæſtione, defenditur; neque ex contrario facto; ſed ex[r] aliqua utilitate aut reipub. aut hominum multorum, aut etiam ipſius adverſarii, nonnumquam et noſtra, ſi modo id erit, quod acere noſtra cauſſa fas ſit: quod ſub extrario[s] accuſatore legibus agente prodeſſe numquam poteſt, in domeſticis
10 diſceptationibus poteſt. Nam et filiis pater[t] in judicio abdicationis, et maritus uxori, ſi malæ tractationis accuſabitur, et[u] patri filius[x], ſi dementiæ cauſſa erit, non inverecunde dicet, multum ſua interfuiſſe. In quo tamen incommoda vitantis melior[y], quam commoda petentis, eſt
11 cauſſa. Quibus ſimilia etiam in vera rerum quæſtione tractantur. Nam, quæ in ſcholis *abdicatorum*, hæc in foro *exheredatorum* a parentibus, et bona apud centumviros[z] repetentium[a] ratio eſt: quæ illic *malæ tractationis*, hic *rei uxoriæ*, cum quæritur, *Utrius culpa divortium factum ſit?*
12 quæ illic *dementiæ*, hic *petendi curatoris*. Subjacet utilitati etiam illa defenſio, ſi pejus[b] aliquid futurum fuit. Nam in comparatione malorum boni locum obtinet levius[c]: ut, *ſi Mancinus*[d] *fœdus Numantinum ſic defendat, quod periturus, niſi id factum eſſet, fuerit exercitus Romanus*[e]. Hoc genus ἀντίστασις Græce nominatur, *comparativum* noſ-
13 tri vocant. Hæc circa[f] defenſionem facti: quæ ſi neque per ſe ipſam, neque adhibitis auxiliis dabitur, proximum

[r] in *iid.* [s] extraneo Jenſ. [t] parum judicio G. [u] et patri *om.* G. Jenſ. [x] filio *iid.* [y] *om.* G. [z] conſules *omnes: vid. not.* [a] repentinum Jenſ. [b] ſpei G. [c] levi G. [d] Marius Jenſ. [e] Et erat G. *Forte Gloſſa* ſ. ἐπιλύσεις *alicujus lectoris, defenſionem probantis.* [f] contra G.

damnare alteram lectionem. Nota eſt Zaleuci hiſtoria &c.

11. *in ſcholis abdicatorum*] His, quæ de diverſis cauſarum quarundam in ſchola et in foro nominibus hic docet Fabius, addere juvat ex Cujacii Obſ. 9, 13. *Inſcripti maleficii actionem in ſchola, ſtellionatum in foro*; *talionis in ſchola, injuriarum in foro* vocari.

11. *apud centumviros*] Debetur hæc lectio laudato modo Cujacio: vel ipſi potius Fabio, qui paullo poſt ſ. 20. aperte docet, *exheredationum cauſſas ad centumviros* pertinuiſſe: idque jam Ciceronis ætate ita fuiſſe apparet ex ipſius de Orat. 1, 38. ubi *uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum —teſtamentorum* &c. jura in illis verſari memorat. Sunt plura his ſimilia apud æqualem Fabii Plinium. Mos per notas ſcribendi tum *Conſules* tum *Centumviros*, obſcuritatem peperiſſe potuit. In hac dubitatione *Conſules* librario erant notiores. Cum vero Conſules de ejuſmodi cauſſis cognoviſſe inauditum ſit et minime probabile; de centumviris contra conſtet: nemo, puto, audaciæ nos nimiæ hic poſtulabit: neque repugnat Burm. Epiſt. p. 16.

est, in alium *transferre crimen*, si possumus. Ideoque etiam[g] in hos, qui jam scripti sunt, status visa est cadere translatio. Interdum ergo culpa in hominem relegatur: ut, *si Gracchus, reus fœderis Numantini, cujus metu leges populares tulisse in Tribunatu videtur, missum se ab imperatore suo diceret.* Interim[h] derivatur in rem: ut, *si is, qui* 14
testamento quid[i] *jussus non fecerit, dicat, per leges id fieri non potuisse.* Hoc μετάστασιν[l] dicunt. Exclusis quoque his, *excusatio* supersest. Ea est aut ignorantiæ, ut, *si quis fugitivo stigmata scripserit, eoque ingenuo judicato, neget*[m], *se liberum eum sciisse*[n]: aut necessitatis, ut, *cum miles ad commeatus diem non adfuit, dicit se fluminibus intercluſum, aut valetudine. Fortuna* quoque sæpe substituitur culpæ. Non- 15
numquam *male feciſſe* nos, *sed bono animo* dicimus. Utriusque rei multa et manifesta exempla sunt. Idcirco non est eorum necessaria expositio. Si omnia, quæ supra scripta sunt, deerunt, videndum, an *minui* culpa possit. Hic est
ille, qui a quibusdam dicitur fieri, *status quantitatis.* Sed 16
ea, cum sit aut *pœnæ*, aut *honoris*, ex qualitate facti constituitur: eoque nobis sub hoc esse statu videtur: sicut ejus quoque, quæ *ad numerum* refertur a Grœcis: nam[o] πηλικότητα[p], et ποσότητα dicunt, nos utrumque eadem[q]
appellatione complectimur. Ultima est *deprecatio*: quod 17
genus causæ plerique negarunt in judicium umquam venire. Quin Cicero quoque pro Quinto Ligario idem testari videtur, cum dicit, *Caussas, Cæsar, egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe numquam hoc modo, Ignoscite, judices, erravit, lapsus est, non putavit, si umquam posthac,* et cetera. In Senatu vero, 18
et apud populum, et apud Principem, et ubicumque juris[r] clementia est, habet locum *deprecatio.* In qua plurimum valet, *ex ipso*, qui reus est, hæc tria in vita præcedere, *si innocens, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri, et in aliquo usu futuri:* præterea, si vel aliis incommodis vel præsenti periculo vel pœnitentia videatur satis pœnarum dedisse: *extra, nobilitas, dignitas, propinqui, amici.* In eo 19

g et in hoc quid etiam scriptum sit statim G. h *om.* G. i quod Jens. l μετάθεσιν G. m sciisse *inf.* Jens. n feciisse *id.* o *Sic Voss. 2. ap. Burm.* et *inf. rel.* p *Sic restituit Capper. non invito Burmanno Epist. p.* 16. ποιότητα *rel.* q *om.* G. r *Vid. leg.* jus clementiæ.

16. *eadem appellatione*] Infra tamen s. 41. *numerum* et *modum* distinguit.

17. *pro Q. Ligario*] c. 10.

18. *extra*] Intell. *reum valet.* Nam cœpit, *In qua* (deprecatione) *plurimum valet*, ex ipso, *qui reus est* &c.

tamen, qui cognoſcit, plurimum ponendum, ſi laus eum miſericordis potius, quam reprehenſio diſſoluti, conſecutura eſt. Verum et in judiciis, etiamſi non toto genere cauſſæ, tamen ex parte magna hic locus ſæpe tractatur. Nam et diviſio frequens eſt, etiam ſi feciſſet, ignoſcendum fuiſſe, idque in cauſſis dubiis ſæpe prævaluit: et epilogi
20 omnes in eadem fere materia verſari ſolent. Sed nonnumquam etiam reus hic totius ſummam conſtituit, ſi exheredatum a ſe filium pater teſtatus fuerit elogio: propterea *quod* [s] *is meretricem amaverit.* Nam omnis hic quæſtio, an huic delicto pater debuerit ignoſcere, et Centumviri tribuere debeant veniam. Sed etiam in formulis, cum pœnariæ [t] ſunt [u] actiones, nos ita cauſſam partimur, *an commiſſa ſit pœna? an exigi debeat?* Id autem, quod illi viderunt, verum eſt, reum a judicibus hoc defenſionis
21 modo liberari non poſſe. *De præmiis* autem quæruntur duo, *An ullo ſit dignus, qui petit? an tanto?* ex duobus, *Uter dignior?* ex pluribus, *Quis digniſſimus?* Quorum tractatus ex ipſo meritorum genere ducuntur. Et intuebimur non *rem* tantum, ſive alleganda, ſive comparanda erit: ſed *perſonam* quoque: nam et multum intereſt, *tyrannum juvenis occiderit, an ſenex; vir, an femina; alienus,*
22 *an conjunctus* [x]*:* et *locum* multipliciter, *in civitate tyrannis aſſueta, an libera ſemper; in arce, an domi:* et *quo modo* factum ſit, *ferro, an veneno:* et *quo tempore, bello, an pace; an, cum depoſiturus eſſet eam poteſtatem; an, cum aliquid novi ſceleris auſurus.* Habetur in meritis *gratia, periculum*
23 quoque, ac *difficultas.* Similiter, liberalitas *a quo* profecta ſit, refert. Nam in paupere gratior, quam in divite; dante beneficium, quam reddente; patre, quam [z] orbo. Item, *quam rem* dederit, et *quo tempore,* et *quo animo,* id eſt, *num* [a] *in aliquam ſpem ſuam?* ſimiliter alia. Et ideo qualitas maxima oratoris recipit opera: quia in utramque partem plurimum eſt ingenio loci, nec uſquam tantum af-
24 fectus valent. Nam [b] conjectura extrinſecus quoque adductas frequenter probationes habet, et argumenta ex materia ſumit: [c] quale quidque videatur, eloquentiæ opus eſt: hic regnat, hic imperat, hic ſola vincit. Huic parti ſubjungit Virginius cauſſas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, orbarum nuptias indicentium [d]. Nam [et [e]

[s] quia G. Jenſ. [t] pœnaria ſit actio G. [u] ſint Jenſ. [x] convictus G. [z] quia a morbo Jenſ. [a] non G. Jenſ. [b] Etiam *iid. et al.* [c] et *inſ. Reg. quem ſequuntur plur. om.* G. Jenſ. *et al.* [d] judicium G. *Vid. leg.* vindicantium *add.* ſ. 39. [e] et jud. *om.* G. Kapp. *et al. ap. Burm. v. n.*

judicium] fere sic [f] accidit, inventique sunt, qui has materias *officiorum* vocarent. Sed alios quoque nonnumquam hæ leges recipiunt status. Nam et conjectura est 25
aliquando in plerisque horum, cum se vel non fecisse, vel bona mente fecisse contendunt. Cujus generis exempla sunt multa. Et, quid sit dementia, ac mala tractatio, finitur. Nam juris quæstiones plerumque leges præcurrere solent, et, [ex quibus causis non[g] fiat,] statutum[h]. [Quod 26
tamen facto defendi non poterit, jure nitetur. Et] quot[i], et quibus causis abdicare non liceat; et in quæ crimina malæ tractationis actio non detur; et cui accusare dementiæ non permittatur. Abdicationum formæ sunt 27
duæ: altera criminis perfecti, ut, si abdicetur[l] *raptor*, *adulter*; altera imperfecti, velut pendentis, et adhuc in conditione positi, quales sunt, *in quibus abdicatur filius*,

[f] sicut G. [g] non f. stat. *om.* G. [h] statutus Jens. status *quid. ap. Reg.* [i] *Vid. leg.* quos, *etiam Burmanno.* quod G. [l] abdicaretur G.

24. [*et judicium*] Ostendit Gothanus liber originem hujus corruptionis. Nimirum pro *indicentium*, vel *vindicantium* potius, *judicium* aliquis scripserat. Illud deinde non expunctum, uti debebat, sed simul retentum.

24. *materias officiorum*] Recte. Quæritur enim, an *officio* fungatur filius reum dementiæ agens patrem, h. e. curatorem illi petens? &c. Ea ipsa ratio est, quod ad qualitatem referuntur hæ causæ.

25. *Nam juris quæstiones*] Ubi de jure disputandum, ante omnia leges inspiciendæ: utrum legis verba huc pertineant, finitione est constituendum. Ita leges præcedunt et præcurrunt ante quæstiones juris. Difficultas inde orta, quod *quæstiones* et *leges* sub eadem terminatione alterum primo, quarto alterum casu ponitur: quam ambiguitatem uti tolleret Gothanus librarius ipso verborum ordine, ita dedit, *Nam leges plerumque juris quæstiones præcurrere solent.*

25. *et*, [*ex quibus—statutum*] Locus corruptissimus ab interpolatoribus, puto, ἐξ ἀφαιρέσεως curari potest, si ea, quæ uncis inclusimus, simpliciter et una litura deleas. Sic enim apte conveniat legum providentia cum speciebus l. 24 propositis; nisi quod sic nihil fuerit, quod *orbarum nuptiis* respondeat. Licetne denuo hariolari? Nihil plane omittamus; difficile enim est dicere, de suo aliquem hic pinguiorem fecisse Fabium: sed transpositione, paullo illa quidem audaciore, ut in loco desperato, atque insuper mutatione aliqua verborum depositorum defungamur, et totum locum denique constituamus ita: *Cujus generis exempla sunt multa. Quod tamen facto defendi non poterit, jure nitetur.* Nam *juris quæstiones plerumque leges præcurrere solent. Et quid sit dementia ac mala tractatio, finitur: et quibus* orbæ nubant *statutum; et quos, et quibus causis abdicare non liceat; et in quæ crimina malæ tractationis actio non detur; et cui accusare dementiæ non permittatur.* Meliora si quis e libris vel ex ingenio protulerit, non invidebimus.

qui[m] *non pareat patri.* Illa ſemper aſperam abdicantis actionem habet, (immutabile eſt enim, quod factum eſt[n]) hæc ex parte blandam, et ſuadenti ſimilem; mavult enim pater corrigere, quam abdicare; at pro filiis in utroque
28 genere ſubmiſſam, et ad ſatisfaciendum compoſitam. A quo diſſenſuros ſcio, qui libenter patres [o] figura lædunt: quod non auſim dicere numquam eſſe faciendum; (poteſt enim materia incidere, quæ hoc exigat) certe [p] vitandum [q] eſt, quoties aliter agi poteſt. Sed *de figuris* [r] alio libro
29 tractabimus. Non diſſimiles autem abdicationum actionibus ſunt *malæ tractationis actiones.* Nam et ipſæ [s] habent eamdem in accuſationibus moderationem. *Dementiæ* quoque *judicia* aut propter id, quod factum [t] eſt, aut propter id, quod adhuc fieri, vel non fieri poteſt, inſtituuntur.
30 Et actor in eo, quod [u] factum eſt, liberum habet impetum, ſic tamen, ut factum accuſet; ipſius patris, tamquam valetudine lapſi, miſereatur: in eo vero, cujus libera mutatio eſt, diu roget et ſuadeat, et noviſſime dementiam rationi queratur obſtare, non mores: quos quanto magis in præteritum laudaverit, tanto facilius pro-
31 babit morbo eſſe mutatos. Reus, quoties cauſſa patietur, debebit eſſe in defenſione moderatus, quia fere ira, contentio [x], et concitatio furori ſunt ſimilia. Omnibus his commune eſt, quod rei non ſemper defenſione facti, ſed excuſatione ac venia frequenter utuntur. Eſt enim domeſtica diſceptatio, in qua et ſemel peccaſſe, et per errorem, et levius, quam objiciatur, abſolutioni [z] nonnum-
32 quam ſufficit. Sed alia quoque multa controverſiarum genera in qualitatem cadunt. *Injuriarum:* quamquam enim reus aliquando feciſſe negat, plerumque tamen hæc

[m] quia G. [n] *om.* G. [o] *Sic leg. putamus.* patris figuram *puto omnes. v. n.* [p] ceterum Jenſ. [q] videndum G. Jenſ. [r] in *inſ.* Jenſ. [s] ipſam *id.* [t] factum quod *om.* G. Jenſ. [u] quid G. [x] *om.* G. [z] abſolutio G. Jenſ.

28. *patres figura lædunt*] Quid eſſet *figura*, pulchre expoſuit Noſter 9, 2, 65. ſqq. Verum quid ſit *figuram patris lædere*, ut adhuc lectum eſt, vix arbitror doceri poſſe. Sed illud ſæpe multumque accidit, ut rhetores *patrem figura lædant*, h. e. jaciant in illum aliquid prima ſpecie non criminoſum, ſed cui occultior inſit flagitii ſignificatio. Hi tales *diſſentiunt* a præcepto Fabii, *ſubmiſſam et ad ſatisfaciendum compoſitam actionem pro filiis* poſtulante. Quid igitur? dubitabimuſne legere, ut poſui. Mihi quidem res aperta videbatur. *Patris* accuſandi caſum eſſe oblitus eſt librarius: *figura*, ut ablativum ſignificaret, apicem forte ultima litera habuit; (vid. 1, 7, 2.) hinc *figuram* dedit.

actio facto atque animo continetur. De accusatore con- 33
stituendo, quæ judicia *divinationes* [a] vocantur: in quo genere Cicero quidem, qui [b] mandantibus sociis Verrem accusabat [c], hac usus est divisione, spectandum, a quo maxime agi velint hi, quorum de ultione quæritur: a [d] quo minime velit is, qui accusatur. Frequentissimæ tamen 34
hæ sunt quæstiones, *uter majores cauſſas habeat, uter plus industriæ aut virium sit allaturus ad accusandum, uter id meliore fide facturus* [e]. *Tutelæ* præterea: in quo judicio 35
solet quæri, an alia de re, quam de calculis, cognosci oporteat: *an fides* [f] *præstari debeat tantum*, non etiam consilium [g] et eventus. Cui simile est *male gestæ procurationis:* in foro [h] *negotiorum gestorum:* nam et *mandati* actio est. Præter hæc finguntur in scholis et *inscripti* [i] *maleficii*, 36
in quibus aut hoc quæritur, *an scriptum sit?* aut hoc, *an maleficium sit?* raro utrumque. *Male gestæ legationis* apud Græcos et veris cauſſis frequens: ubi juris loco quæri solet, *an omnino aliter agere, quam mandatum sit, liceat?* et *quousque sit legatus?* quoniam alii [l] in renuntiando sunt: ut in Heio [m], qui testimonium in Verrem dixerat

[a] divinationis *iid.* [b] quod *iid.* [c] defendebat G. *male.* [d] aut quid maxime G. [e] sit allaturus Jens. [f] fidem præstare G. Jens. [g] consilia G. [h] forum G. [i] scripti *puto omnes. v. n.* [l] aliæ G. Jens. *et plur.* quoniam alii renuntiando fiunt *conj. Bur.* [m] eo Jens. Bass. *et al.*

35. *consilium et eventus*] Cum a *fide* distinguatur hic *consilium*, non pro animi proposito illud accipio, sed pro prudentia.

36. *inscripti maleficii*] *Inscriptum* esse non scriptum, vel nostri locus docet 3, 6, 36. itemque *pecus inscriptum* Varr. R. R. 2, 1, 16. Jam ad 7, 4, 11, laudatus est Cujacii locus, ubi is *inscriptum maleficium* scholarum, *stellionatum* fori esse ostendit. Tum Ærodius, qui nescio an debeat hoc suo Præceptori, certe, quod ille modo tangit, late explicat ad Fabii Declam. 344. ubi lex ponitur, *Inscripti maleficii sit actio*, (quæ etiam memoratur Decl. 252 et 370. it. Senec. Excerpt. Controv. 5, 1.) indicatque, sibi placere, hic ita, ut potuimus, legi. Et sane, re non indiligenter deliberata, visum mihi est, non potuisse aliter scribere Fabium. Speciem enim ponit actionis, ab aliis diversam; *scriptorum* vero in legibus *maleficiorum* classe continentur etiam *injuria*, *male gesta procuratio*, vel *legatio*, quæ seperatim tamen commemoravit. Librarios in fraudem induxit, quod statim subjicitur, *in quibus quæritur, an* scriptum *sit?* cui conformare voluerunt etiam nomen præcedens. Sed nimirum idem est quærere, *an inscriptum sit?* et *an scriptum sit?* ut idem est quærere, *vivitne?* et, *an mortuus est?* Dedit his inquirendis occasionem Cel. Burm. Epist. p. 16.

36. *quoniam alii—sunt*] Hæc sana non esse quivis videt; nec sententia admodum est obscura, præ-

37 post perlatam legationem. Plurimum tamen est in eo, *quale* sit factum. *Reipub. læsæ.* Hinc [n] moventur quidem mille juris cavillationes, *Quid sit rempub. lædere?* et, *læseritne? an profuerit?* et, *ab ipso, an propter ipsum læsa sit?* in facto tamen plurimum inest. *Ingrati* quoque. In quo genere quæritur, *An is, cum quo agitur, acceperit beneficium?* quod raro negandum est: ingratus est enim,
38 qui negat. *An* [o], *quantum acceperit,* [p] *reddiderit? an protinus, qui non reddiderit, ingratus sit? an potuerit reddere? an id, quod exigebatur, debuerit? quo animo sit?* Simpliciores illæ, *injusti repudii,* sub qua lege controversiæ illud proprium habent, quod a [q] parte accusantis defensio est, et
39 defendentis accusatio. Præterea, cum quis rationem mortis in senatu [r] reddit: ubi una quæstio est juris, *An is demum prohibendus sit, qui mori vult, ut se legum actionibus subtrahat*; cetera qualitatis. Finguntur et *testamenta,* in quibus de sola quæratur voluntate: ut [s] in controversia, quam supra exposui, in qua de parte patrimonii quarta, quam pater digniſſimo ex filiis reliquerat, contendunt philosophus, medicus, orator. Quod idem accidit, si orbæ nuptias vindicant [t] pares gradu, et si inter propinquos
40 de idoneo quæratur. Sed nec omnes mihi persequi materias in animo est, (fingi enim adhuc possunt) nec communes sunt earum [u] quæstiones, quia positionibus mutantur. Hoc tantum admiror, Flavium, cujus apud [x] me

[n] Hic G. [o] *om.* G. Jens. [p] an *inf. iid.* [q] aperte G. [r] senatum reddidit Jens. [s] ut in contr. *om.* G. [t] indicant Jens. *vid. f.* 24. [u] eorum G. [x] apud me *om.* G.

clare certe explicata a Burmanno, cujus testimoniis addi potest Plin. 4, 9, 20. Sed quibus verbis usus sit Fabius, mihi non liquet. Quæritur, *Quousque sit legatus?* an eo usque, dum *legationem renuntiaverit*, h. e. in sua civitate exposuerit, quid actum a se sit, quid responsi acceperit? De hoc enim quæri potuit an Heio: vid. Cic. Verr. 4, 8, fq.

38. *a parte accusantis defensio*] Neque enim potest accusare maritum repudii injusti mulier, nisi offendat, se nihil tale commeruisse: nec defendere illum suum affectum marinus, nisi accuset earum rerum uxorem, quæ repudium meruerint. *Injusti repudii actio* occurrit in Quinct. 251.

39. *rationem mortis in senatu*] Quod apud Massilienses in usu fuisse narrat Valerius Maximus 2 Turnebo, vel quisquis est, huc advocatus 2, 6, 7. *Venenum cicuta temperatum in ea civitate publice custoditur, quod datur ei, qui causas sexcentis (id enim Senatus ejus numen est) exhibuit.* Caput proximo citandi Valerius, cur e Græcia eos accepisse hunc morem arbitretur.

39. *supra*] 7, 1, 38. mox provocat ad 8. 26.

merito ſumma eſt auctoritas, cum artem ſcholæ tantum componeret, tam anguſte materiam qualitatis terminaſſe. Quantitas quoque (ut dixi) etiamſi non ſemper, tamen 41
plerumque eidem [a] ſubjacet, ſeu modi eſt, ſeu numeri. Sed modus aliquando conſtat æſtimatione facti, *quanta ſit culpa, quantumve beneficium?* aliquando jure, cum id in controverſiam venit, *qua quis lege puniendus, vel honorandus ſit? Stuprator an decem millia dare debeat?* quæ pœna 42
huic crimini conſtituta eſt: *an, quia ſtupratus ſe ſuſpendit, capite puniri, tamquam cauſſa mortis?* Quo in genere falluntur, qui ita dicunt, tamquam inter duas leges quæratur. Nam de [a] decem millibus nulla controverſia eſt, quæ nec petuntur. Judicium redditur, *an reus cauſſa ſit mortis?* In conjecturam quoque eadem ſpecies cadit, quum [b], 43
perpetuo, an quinquennali ſit exilio multandus? in controverſiam venit [c], *num prudens cædem commiſerit?* quæritur. Illa quoque, quæ ex numero ducitur, pendet ex jure: 44
An Thraſybulo triginta præmia debeantur? et, *Cum duo fures pecuniam abſtulerunt, ſeparatim quadruplum quiſque, an duplum debeat?* Sed hic factum quoque æſtimatur, et tamen jus ipſum pendet ex qualitate.

V. (VI.) Qui neque feciſſe ſe negabit, neque aliud eſſe, quod fecerit, dicet, neque factum defendet, neceſſe eſt, in ſuo jure conſiſtat: in quo plerumque *actionis* eſt *quæſtio:* quæ non ſemper eadem eſt, ut quidam putaverunt. Nam [d] et judicium antecedit, qualia ſunt præturæ 2
curioſa conſilia, cum de jure accuſatoris ambigitur: et in ipſis frequentiſſime judiciis verſatur. Eſt enim duplex ejus diſceptationis conditio, quod aut *intentio*, aut *præ-*

[a] recto G. [a] in G. [b] num G. [c] *Sic* G. venerit *al.* [d] Nam et *om.* G. Jenſ.

42. *decem millia dare*] Summa ſolemnis apud declamatores, v. g. Quinctil. 252, 370.

44. *ſeparatim quadruplum*] Tractat hanc ſpeciem vir ſummus Bynkerſh. Obſſ. 5, 8. p. 43.

V, 1. *in ſuo jure conſiſtat*] Non patiatur ſibi controverſiam fieri, ac litem non conteſtetur. Hanc alias *tranſlationem* appellat, de qua locus quaſi claſſicus 3, 6, 68. et 83. it. 5, 13, 8.

2. *præturæ curioſa conſ.*] Deliberat enim prætor, an det actionem petenti, et quam det.

2. *aut intentio, aut præſcriptio*] Breviter, *intentio* actoris eſt vel certe petitoris, vid. mox ſ. 4: *præſcriptio* rei, cum exceptione quadam contra totam ſe actionem munit. Vid. 3, 6, 71. Inprimis apertum hoc eſt, ne a Fabio recedamus, ex Decl. 346, ubi *accuſare vult patrem* filius *tutelæ male geſtæ*. Præſcribit *ille, quod actio non ſit adverſus patrem niſi dementiæ*. Suadet hic

ſcriptio habet controverſiam. Ac fuerunt, qui præſcriptionis ſtatum facerent, tamquam ea non iiſdem omnibus,
3 quibus ceteræ leges, quæſtionibus contineretur[e]. Cum ex præſcriptione lis pendet, de ipſa re quæri non eſt neceſſe. Ignominioſo patri[f] filius præſcribit: de eo ſolo[g] judicatio eſt, *an liceat?* Quoties tamen poterimus, efficiendum eſt, ut de re[h] quoque bene ſentiat: ſic enim juri noſtro libentius indulgebit: ut[i] in ſponſionibus, quæ ex interdictis fiunt, etiam ſi non proprietatis eſt quæſtio, ſed tantum poſſeſſionis: tamen, non ſolum poſſediſſe nos, ſed
4 etiam noſtrum poſſediſſe, docere[k] oportebit. Sed frequentius etiam quæritur de *intentione*. *Vir fortis optet, quod*[l] *volet:* nego illi dandum, quidquid optaverit: non habeo præſcriptionem, ſed tamen voluntate contra verba, præſcriptionis modo, utor. In utroque autem genere ſta-
5 tus idem fit. Porro *lex* omnis aut *tribuit*, aut *adimit*, aut *punit*, aut *jubet*, aut *vetat*, aut *permittit*. Litem habet aut *propter ſe* ipſam, aut *propter alteram*. Quæſtio[m] eſt aut *in ſcripto*, aut *in voluntate*. In ſcripto, aut *apertum* eſt,
6 aut *obſcurum*, aut *ambiguum*. Quod de legibus dico, idem accipi volo de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto: idem de voce. Et, quoniam[n] quatuor hujus generis quæſtiones vel ſtatus facimus, ſingulos percurram.

VI. (VII.) *Scripti et voluntatis* frequentiſſima inter conſultos quæſtio eſt, et pars magna controverſiæ juris hinc pendet: quo minus id in ſcholis accidere mirum eſt, ubi etiam ex induſtria fingitur. Ejus genus unum eſt, in

[e] continerentur Jenſ. [f] *om.* G. Jenſ. *et al. nec male.* [g] loco *iid.* [h] reo *iid.* [i] *om.* G. [k] *om.* G. [l] quæ G. [m] quæſtionem aut G. Jenſ. *non male.* [n] quomodo G.

magiſter declamaturo, *Cum* præſcribat, *hoc approbare debet judicibus, idcirco* præſcribere *ſe, ne cum filio gravius contendat: alioqui ſi hæc cauſſa* præſcribendi *non eſt, ſupererit, ut diffidentia videatur in cauſſa.* Sed iſta ad Tertulliani *de præſcriptionibus* libellum jam diſputata diligenter ſunt, de ICtis ne quid dicam.

3. *Ignominioſo*] Nam in declamatorum civitate lex eſt, *Ignominioſo nulla ſit actio.* V. g. Quinct. Decl. 250. 265.

3. *in ſponſionibus*] Cum in cauſſis aliis, tum ubi de interdicto Prætoris, circa poſſeſſionem contenderetur, interpoſitæ nonnunquam ſponſiones, quibus teſtarentur nimirum, ſe non temere litigare, qui perdere vellent præter id, de quo litigaretur, etiam ſummam, de qua ſpopondiſſent. Sic Cic. pro Cæcin. c. 8. *Facta eſt ſponſio, Ni Cæcina reſtitutus ex edicto Prætoris eſſet.* Vid. plura ap. Briſſo. de form. 5. 7. p. 348.

quo et de *scripto* et de [o] *voluntate* quæritur. Id tum accidit, cum est in lege aliqua obscuritas, et in ea aut uterque suam interpretationem confirmat, et [p] adversarii subvertit, ut hic, *Fur quadruplum solvat: duo furripuerunt pariter decem millia, petuntur ab utroque quadragena, illi postulant, ut vicena conferant:* nam et actor dicit, hoc esse quadruplum, quod petat, et rei [q] hoc, quod offerant: voluntas quoque utrimque defenditur. Aut, cum de altero intellectu certum est, de altero dubium. *Ex meretrice natus ne concionetur. Quæ filium habebat, prostare cœpit. Prohibetur adolescens concione.* Nam de ejus filio, quæ ante partum meretrix fuit, certum est: an eadem hujus caussa sit, dubium est: quia ex hac natus, et hæc [r] meretrix est. Solet et illud quæri, quo referatur, quod scriptum est, *Bis de eadem re ne sit actio:* id est, hoc *bis* ad actorem, an ad actionem? Hæc ex jure obscuro. Alterum genus est ex manifesto: quod [s] qui solum viderunt, hunc *statum plani et voluntatis* appellaverunt. In hoc altera pars scripto nititur [t], altera voluntate. Sed contra scriptum tribus generibus occurritur. Unum est, in quo id servari semper [u] non posse ex ipso patet. *Liberi parentes alant, aut vinciantur:* non enim alligabitur infans. Hinc erit ad alia transitus, et divisio, *num* [x], *quisquis non aluerit? num* [z] *hic?* Propter hoc proponunt quidam tale genus controversiarum, in quo nullum argumentum est, quod ex lege ipsa peti possit [a], sed de eo tantum, de quo lis est, quærendum sit. *Peregrinus, si murum ascenderit, capite puniatur. Cum hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit: petitur ad supplicium.* Non erunt hic separatæ quæstiones, *An quisquis? an hic?* quia nullum potest afferri argumentum contra scriptum vehementius eo, quod in lite est: sed hoc tantum, *An ne servandæ quidem civitatis caussa?* Ergo et æquitate [b] et voluntate pugnandum. Fieri tamen potest, ut ex aliis legibus exempla ducamus, per quæ appareat, semper stari [c] scripto non posse, ut Cicero *pro Cæcina* fecit. Ter- 2 3 4 5 6 7 8

[o] *om.* G. [p] *Sic* G. *et Voss.* 2. *et al.* [q] *om.* G. *male.* [r] *om.* Jens. [s] *om.* G. Jens. [t] innititur G. [u] serv. non posse ex ipso semper Jens. [x] nam G. Jens. [z] non *iid.* [a] potest G. [b] si quid est ex G. [c] stare G.

7. *Cicero pro Cæcina*] Bona parte orationis a capite inde 14 divine hunc locum tractavit: v. g. c. 18. *Sermo mehercule et familiaris et quotidianus non cohærebit, si verba inter nos aucupabimur. Denique imperium domesticum nullum erit, si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi possit, ob-*

tium, cum in [d] ipsis verbis legis reperimus aliquid, per quod probemus, aliud legum latorem voluisse: ut in hac controversia. *Qui nocte cum ferro deprehensus fuerit, alligetur. Cum annulo ferreo inventum magistratus alligavit.* Hic quia est verbum in lege *deprehensus*, satis etiam significatum videtur, non contineri lege, nisi noxium ferrum.
9 Sed [e] ut, qui voluntate nitetur [f], scriptum, quoties poterit, infirmare debebit: ita [g], qui scriptum tuebitur, adjuvare se etiam voluntate tentabit. In testamentis et illa accidunt, ut voluntas manifesta sit, scriptum nihil sit: ut in judicio Curiano, in quo nota L. Crassi et Scævolæ fuit
10 contentio. *Substitutus heres erat, si postumus ante tutelæ suæ annos decessisset. Non est natus.* Propinqui bona sibi vindicabant. Quis dubitaret, quin ea voluntas fuisset testantis, ut is non nato filio heres esset, qui mortuo? sed
11 hoc [h] non scripserat. Id quoque, quod huic contrarium est, accidit nuper, ut esset scriptum, quod appareret scriptorem noluisse: *Qui sestertium numum quinque millia legaverat, cum emendaret testamentum, sublatis sestertiis numis, argenti pondo [i] posuit, quinque millia remanserunt.* Apparuit tamen, *quinque pondo* dari voluisse: quia [l] ille in argento
12 legato modus et inauditus erat, et incredibilis. Sub hoc etiam statu generales sunt quæstiones, *scripto, an voluntate standum sit? quæ fuerit scribentis voluntas?* Tractatus omnes qualitatis aut conjecturæ, de quibus satis dictum arbitror.

VII. (VIII.) Proximum est *de legibus contrariis* dicere, quia inter omnes Artium scriptores constat [m], in *Antinomia* duos esse *scripti* et *voluntatis* status: neque immerito: quia [n], cum lex legi obstet, utrimque contra scriptum dicitur, et quæstio est de voluntate: in utraque id ambi-
2 gitur, *an utique illa lege sit utendum?* Omnibus autem manifestum est, numquam esse legem legi contrariam jure ipso: quia, si diversum jus [o] esset, alterum altero abrogaretur: sed eas casu collidi, et eventu. Colliduntur autem [p] aut [q] *pares inter se:* ut, si optio tyrannicidæ [r] et viri fortis comparentur, utrique data, quod velit, petendi potestate; hic *meritorum, temporis, præmii* collatio est: aut

[d] *om.* G. Jens. [e] et *inf.* Jens. Sed et qui G. [f] nititur G. [g] *om.* G. [h] *om.* G. [i] que *inf.* G. [l] quæ Jens. [m] constitit Jens. [n] *om.* G. [o] juffiffet G. Jens. [p] *om.* Jens. [q] ut G. [r] parricidæ G.

temperent. Exempla præsertim c. 19. Sed totus locus legi dignissimus est.

9. *in judicio Curiano*] Narrat Cicero pro Cæcina c. 18. et de Or. 1, 39.

ſecum ipſæ, ut duorum fortium, duorum tyrannicidarum, 3
duarum[s] raptarum: in quibus non poteſt eſſe alia quæ-
ſtio, quam temporis, *utra prior* ſit: aut[t] qualitatis; *utra*
juſtior ſit *petitio*. Diverſæ quoque leges confligunt, aut ſi- 4
miles. *Diverſæ*[u], quibus etiam citra adverſam legem con-
tradici poſſit: ut[x] in hac controverſia, *Magiſtratus ab arce*
ne diſcedat: Vir fortis optato, quæ volet: vel alia nulla ob-
ſtante quæri poteſt, *an, quidquid optarit, accipere debeat?*
et a[z] magiſtratu multa dicentur, quibus ſcriptum expug-
natur, *Si incendium in arce fuerit, ſi in hoſtes decurrendum*[a].
Similes, contra quas nihil opponi poteſt, niſi lex altera. 5
Tyrannicidæ imago in gymnaſio ponatur[b]: contra, *Mulieris*
imago in gymnaſio ne ponatur. Mulier tyrannum occidit.
Nam neque mulieris imago ullo[c] alio caſu poni poteſt,
neque tyrannicidæ ullo alio caſu ſubmoveri. *Impares* 6
ſunt, cum alteri multa ſunt, quæ opponi poſſunt, alteri[d]
nihil, niſi quod in lite eſt: ut, cum *vir fortis impunitatem*
deſertoris petit: nam contra legem viri fortis (ut ſupra oſ-
tendi) multa dicuntur: adverſus deſertores[e] ſcripta non
poteſt, niſi optione, ſubverti. Item, aut *confeſſum* eſt ex 7
utraque parte jus, aut *dubium*: ſi *confeſſum*[f] eſt, hæc fere
quæruntur: *Utra lex potentior?* [g] *ad deos pertineat, an ad*
homines? ad[h] *rempublicam, an ad*[h] *privatos? de honore,*
an de pœna? de[i] *magnis rebus, an de parvis? permittat*[k],
an vetet, an imperet? Solet tractari et, *Utra ſit antiquior,* 8
et velut potentiſſima? utra minus perdat? ut in deſertore,
et viro forti, quod illo non occiſo lex tota tollatur; occi-
ſo, ſit reliqua viro forti alia optio. Plurimum tamen eſt
in hoc, *Utrum fieri ſit melius, atque æquius?* de quo nihil
præcipi, niſi propoſita materia, poteſt. Si *dubium*; aut 9
alteri, aut invicem utrique de jure ſit controverſia: ut in
re tali, *Patri in filium, patrono in libertum manus injectio*[l]
ſit, liberti heredem ſequantur. Liberti filium quidam fecit

[s] *om.* Jenſ. tyrannidarum *inſ.* G. [t] an qualitas utra iſtorum Jenſ.
[u] aut duæ G. Jenſ. *gloſſa vocis* diverſæ. [x] *om.* G. [z] in G. Jenſ.
[a] recurr. *iid.* [b] ponatur—gymnaſio *om.* Jenſ. [c] nullo *id.* [d] ſi *inſ.*
Jenſ. [e] deſertoris G. [f] conceſſum G. [g] an *inſ.* Jenſ. [h] *om.* G.
Jenſ. *bis.* [i] *om.* Jenſ. [k] permutat *id.* [l] injecti Jenſ.

VII, 3. *duarum raptarum*] Optantium ejuſdem raptoris nuptias, vel unius raptæ, raptoris nuptias; ejuſdem mortem, alterius optantium.

5. *ullo alio caſu*] Unus caſus eſt, quo mulieris ſtatua poni poteſt, *ſi tyrannum occidit*: unus caſus eſt, quo tyrannicidæ ſtatua poteſt ſubmoveri, h. e. excludi, non poni, *ſi mulier eſt*. De his igitur, non de aliis, diſputatur.

9. *Liberti filium*] Itaque liberti filius per teſtamentum patroni ſui

heredem, invicem petitur manus injectio: et patronus negat, jus[m] patris illi fuisse, quia ipse in manu patroni fuerit.
10 Duplices leges[n], sicut duæ, colliduntur: ut, *Nothus ante legitimum natus, legitimus sit; post legitimum, tantum civis.* Quod de legibus, idem de senatusconsultis dictum: quæ si[o] aut inter se pugnent, aut obstent legibus, non tamen aliud sit ejus status nomen.

VIII. (IX.) *Syllogismus* habet aliquid[p] simile scripto et voluntati, quia semper pars in eo altera scripto nititur: sed hoc interest, quod illic[q] contra scriptum dicitur, hic super scriptum; illic, qui verba defendit, hoc agit, ut fiat utique, quod scriptum est; hic, ne aliud, quam scriptum
2 est. Ejus nonnulla etiam cum *finitione* conjunctio[r]. Nam sæpe, si *finitio* infirma est, in *syllogismum* delabitur. Sit enim lex, *Venefica capite puniatur. Sæpe secubanti[s] amatorium dedit, eumdem repudiavit: per propinquos rogata, ut rediret, non est reversa: suspendit se maritus. Mulier veneficii rea est.* Fortissima est actio dicentis amatorium venenum esse: id erit *finitio:* quæ si parum valebit, fiet *syllogismus:* ad quem, velut remissa priore contentione, veniemus, *an perinde puniri debeat, ac si virum veneno necasset?*
3 Ergo hic status ducit ex eo, quod scriptum est, id, quod incertum est: quod, quoniam ratiocinatione[t] colligitur, *ratiocinativus* dicitur. In has autem fere species venit, *An[u], quod semel jus est, idem et sæpius? Incesti damnata, et præcipitata de saxo, vixit: repetitur. An, quod in uno, et in pluribus? Qui duos uno tempore tyrannos occidit, duo præ-*
4 *mia petit. An, quod ante, et postea? Raptor profugit, rapta nupsit, reverso illo petit optionem. An, quod in toto, idem in parte? Aratrum accipere pignori non licet, vomerem accipit[x]. An, quod in parte, idem in toto? Lanas vehere Ta-*

[m] *om.* G. [n] sunt *inf.* Jens. [o] sic *id.* [p] aliquod G. [q] ille G.
[r] connectio G. conjectio Jens. [s] separanti G. Jens. [t] ratione *iid.*
[u] id. *inf.* G. [x] accepit G.

fit patris sui patronus, et manûs injectionem in illum nanciscitur. Alter igitur patris jure agere vult: alter patroni.

VIII, 1. *Syllogismus*] Nimirum κατ' ἐξοχήν Syllogismus vocatur, ubi ex similitudine facti argumentamur, legem ad illud pertinere. Major semper hæc est, *Ubi par est ratio, ibi par est legis dispositio.* Deinde assumitur, Atqui casus vel specici, de qua quæritur, par est ratio &c. Qui Syllogismo tali utitur, ille scriptum defendit, sed vult præterea aliquid fieri, quod scriptum totidem verbis non est.

1. *cum finitione conjunctio*] *Finitio* enim ostendit, aliquid verbis legis contineri: *Syllogismus*, consilio legislatoris et sententia.

4. *Lanas vehere Tarento*) Ubi pretiosissimæ, et textrinum nobile.

rento non licet, oves vexit. In his syllogismis [z] scripto al- 5
ter nititur, alter non [a] satis cautum esse [b] dicit. *Postulo, ut præcipitetur incesta, lex est:* et *rapta optionem petit,* et *in ove lanæ sunt:* similiter alia. Sed, quia responderi pot- 6
est, *Non est scriptum, ut sæpius* [c] *præcipitetur damnata, aut quandocumque* [d] *rapta optet, aut tyrannicida duo præmia accipiat, nihil de vomere cautum, nihil de ovibus:* ex eo, quod manifestum, colligitur, quod dubium est. Majoris pugnæ est, ex scripto ducere, quod scriptum non est. [e] *Qui patrem occiderit, culeo insuatur: matrem occidit. Ex domo in* [f] *jus educere ne liceat:* [g] *tabernaculis* [h] *eduxit.* In hoc 7
genere hæc quæruntur. *An, quoties propria lex non est, simili sit utendum? an id, de quo agitur, ei, de quo scriptum est, simile sit?* Simile autem et majus est, et par, et minus. In illo [i] priore, *an satis lege cautum sit? an et, si parum cautum est, hac sit utendum?* In utroque *de voluntate legumlatoris:* sed *de æquo* tractatus [m] potentissimi.

IX. (X.) *Amphiboliæ* species sunt innumerabiles, adeo, ut philosophorum quibusdam nullum videatur esse verbum, quod non plura significet: genera admodum pauca. Aut enim vocibus accidit singulis, aut conjunctis. Sin- 2
gula afferunt errorem, cum pluribus rebus aut hominibus eadem appellatio est, ὁμωνυμία dicitur, ut *Gallus*; utrum enim avem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est: et *Ajax*, Telamonis, an Oilei filius. Verba quoque quædam diversos intellectus habent, ut *cerno*. Quæ ambiguitas plurimis modis accidit: unde 3

[z] Syllogismus e scripto nititur G. Jens. [a] *om.* Jens. an G. [b] actor G. *et Voss.* 2. [c] vivus præc. damnatus Jens. [d] quandoque Voff. 2. et Jens. *recte, nec abit* qnq; G. [e] An quia hoc, et hoc *inf.* Jens. *glossa.* [f] ejus G. [g] ex *inf.* G. extra *inf.* Jens. [h] tabernacula G. Jens. *Forte fuit,* ex tabernaculo. [i] illa G. Jens. [m] tractamus G.

6. *Ex domo in jus*] Laudatur hic sub Turnebi nomine l. 18. π'. de in jus vocando, ubi Caius, *Plerique putaverunt,* inquit, *nullum de domo sua in jus vocari licere: quia domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit: eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.*

7. *In illo priore*] Casu, intellige, de quo s. 5.

IX, 1. *quod non plura significet*] Præclare, ut multa, hunc locum de ambiguitate tractat Jo. Clericus Artis Crit. 2, 1, 5 et 6.

2. *fortunam corporis*] Castrati, quales Galli Magnæ Deûm Matris.

2. *cerno*] Quod verbum ejusque diversi significatus, egregie illustratum est, zelotypia quadam ingeniis, a Jac. Perizonio et Ludolfo Kustero, ab hoc peculiari diatribe, ab illo ad Sanctii Minervam 4, 15. p. 770. sqq.

fere lites, præcipue ex teſtamentis, cum de libertate, aut etiam de hereditate contendunt ii, quibus idem nomen
4 eſt: aut, quid ſit legatum, quæritur. Alterum eſt, in quo alia integro verbo ſignificatio eſt, alia diviſio[n]: ut *ingenua*, et *armamentum*, et *Corvinum*, ineptæ ſane cavillationes, ex quo[o] tamen Græci controverſias ducunt: inde αὐλητρὶς illa vulgata, cum quæritur, *Utrum aula, quæ ter*
5 *ceciderit, an*[p] *tibicina*[q], *ſi ceciderit, debeat publicari.* Tertia eſt ex compoſitis, ut ſi quis corpus ſuum in occulto loco[r] poni jubeat, circaque[s] monumentum multum agri ab[t] heredibus in tutelam cinerum, ut ſolet, leget[u], [uu] *Sit*

[n] diviſio G. Jenſ. [o] qua *iid.* [p] *Sic* G. Jenſ. *Obr.* aut *al.* [q] tribucina G. [r] loco *om.* G. 2. [s] circa quod G. Jenſ. cum quod G. 2. [t] adheredibus G. 2. [u] leg³ G. 2. [uu] *Sic V. C. Almel. margo Vaſc. Steph. ap. Bur.* litus hoc caſu cultum G. littus occaſio cultum Jenſ. Kapp. 2. *et alii MSS. ap. Bur.* Sit litus hoc cultum *Ald. et al. editt.* Sit latus occultum *Reg. et edit. al. in quibus Vaſcoſanus diſerte indicat ambiguitatem eſſe inter* occultum *et* hoc cultum. Sit ſitus oſſario cultus *Obr. neſcitur unde?* ſit latus oſſarii hoc cultum *conj. Bur.*

4. αὐλητρὶς *illa*] Nobile exemplum, quo olim ipſum forte Zenonem uſum ſuſpicari poſſis ex Diog. Laert. 7, 62. quem jam laudavit Regius, ubi eſt, αὐλητρὶς πέπτωκε. Arripuere deinde Sophiſtæ, et legem finxere, v. g. Theon p. 35. edit. Camer. Αὐλητρὶς πεσοῦσα δημοσία ἔστω. Putabat Camerarius ambiguitatem eſſe in πεσοῦσα, quod legi etiam poſſit πᾶις ὅσα, quomodo etiam edi curavit in Theone: ſed reprehenſus eſt a Paulo Leopardo emendat. 2, 4. Recte etiam Theonem cepit Henninius in ἐλλειπτικῷ ὑφασμῷ §. 48. ubi bene monet, quod, credo, omnibus in mentem venire neceſſe eſt, hæc talia exempla oſtendere, ſine accentibus, et vocibus non diſtinctis, ſcripſiſſe eos Græcos, quibus iſta ambigua fuere, ΑΥΛΗΤΡΙΣΠΕΣΟΥΣΑ κ. τ. λ. *Publicari* quid ſit in puella, Tertulliani verbis dicamus, ſi fiat *victima publicarum libidinum*: notum de Floralibus: nota acta Martyrum Chriſtianarum. Laudat hic Burmannus Guil. Forner. ſelect. 3, 21. et Rod. Forner. rer. quotid. 6, 16.

5. *Sit litus occultum*] Inter obſcuriſſimos Fabii locos hic eſt, et olim fuiſſe, ex mira librorum varietate colligas. Hoc puto convenit, hiſce verbis partem ipſius teſtamenti contineri. Ea vero quid præcipiant, dubium. Ludere, credo, lectores ſuos voluit Jac. Gutherius, qui, laudato de Jure Man. 2, 31. hoc loco, ſubjicit, Occultus locus *nomen compoſitum eſt, quod prædium vel agrum deſignat, quod diviſum et diſtinctum ambiguitatis haberet plurimum.* Egregie. Tentemus, an dicere poſſimus, quod intelligatur. Primo ponimus, *litus* eſſe agri ad flumen vel mare ſiti partem. Deinde, ſi ſervare placeat lectionem, quam in texto poſuimus, amphibolia erit in verbo *occultum*, quod intelligi potuit vel conſueta ratione, *ſit occultum*, id eſt abſconditum, inacceſſum; vel cum adſpiratione et diviſis vocibus, *ſit litus hoc cultum*, id eſt, colatur, ut de reditu heres tueatur monumentum. Sed cum adſpirationis illa vel adjectio vel diſſimulatio duriuſcula videatur, (quamquam ea in *habunde*, *harena*, *harundo* et propriis quibuſdam ſolennis: et profert Burmannus ex

litus occultum. Sic apud Græcos contendit Λέων [v] et Παν- 6
ταλέων, cum ſcriptura [x] dubia eſt, bona omnia Λέοντι, an bona Παντελέοντι relicta ſint. In conjunctis plus ambiguitatis [y]. Fit autem *per caſus:* ut,

Aio te, Æacida, Romanos vincere poſſe. 7

Per collocationem [z], ubi dubium eſt, quid quo referri oporteat: ac frequentiſſime, cum id, quod medium eſt, utrimque poſſit trahi, ut de Troilo Virgilius, *Lora tenens tamen* —Hic, utrum, quod teneat tamen lora, an, quamvis teneat, tamen trahatur, quæri poteſt. Unde controverſia 8
illa, Teſtamento quidam juſſit *poni ſtatuam auream haſtam* [a] *tenentem.* Quæritur, ſtatua haſtam [a] tenens aurea eſſe debeat, an haſta [a] eſſe aurea in ſtatua alterius materiæ? Fit per *flexum* idem magis,

v Leon Pantaleon Jenſ. et Παντ. *am.* G. x ſcriptum G. *Forte etiam* dubie. y eſt *inſ.* Jenſ. z collocutionem *id.* a aſtam *hic et mox* G.

Grut. 1053, 11, OC OPUS pro HOC, et mox habebimus pro *haſta aſtam*, vid. 1, 5, 19.) in primis cum nullam amphiboliæ ex adſpiratione, ſed ex ſola compoſitione mentionem hic faciat Fabius: in mentem venit ingenioſiſſimo Werlhofio legere, *ſit litus incultum*, quod, ſi junctum ponas, notet non cultum nec colendum: ſi diviſim, *ſit in cultum*, idem fuerit quod *colatur*, ut de fructu ſarta tecta monumenti præſtari queant. In ſimiles cogitationes incidit doctiſſimus Heuſingerus. Cum enim enotaſſet propoſitam ſupra Gothani ſecundi lectionem, *Forte*, inquit, *latet* litus hoc incultum, *i. e. locus aratro inacceſſus. Intermediæ literæ poſſunt eſſe ſpatii notæ, e. g.* C. P. *vel* A. C. P. Nihil habeo, quod adjiciam, niſi inſcriptionem Grut. 484, 1. LIBERTIS LIBERTABUSQUE MATRIS C. IN CULTU MONUMENTUM CUM P. XV. ET ITER. Ubi una voce ſcribendum INCOLTU videtur, et ad habitationem *incolatum* referri.

6. Λέων *et* Παντελέων] Etiam hic ſcriptum fuit nimirum, ΤΑΕΜΑΠΑΝΤΑΛΕΟΝΤΙ nullo apice appoſito, nulla diſtinctione. Quod poſt tot de linguæ Græcæ antiqua ſcribendi ratione diſputationes, marmora Arundeliana, Sigea, MSStos antiquos, vix monere hodie refert. Familiare hoc nomen Græcis fuiſſe, inductione oſtendit Burmannus.

7. *Aio te*] Ennianus verſus oraculum Pyrrho datum complexus, quem retulit etiam Cic. de Divin. 2, 56. ubi reliquos laudat Daviſius. Virgilii verſus eſt Æn. 1, 477.

8. *per flexum*] Intelligenda modulatio illa vocis et tractus, quo intelligitur, quæ jungenda ſint, quæ item ſeparanda. Audivi ego concionatorem, qui obſcuriſſimas parentheſes parentheſeôn parentheſeſi infarctas, ita flexu illo vocis explicaret, ut nihil audienti maneret difficile: ita, quoties inciperet interponere aliquid, quoties deſineret, quoties rediret ad interruptam ſeriem verborum, ſono ipſo et flexu illo aperiebat. De hoc flexu agere Fabium, apparet, ſi exemplum ab ipſo propoſitum inſpicias. Monuit Capperonerius ſumtum ex Ariſtot. El. Sophiſt. 1, 4. Πεντήκοντ' ἀνδρῶν ἑκατὸν λίπε δῖος Ἀχιλλεύς· idque ita

Quinquaginta [b] *ubi erant centum inde* [c] *occidit Achilles.*

9 Sæpe, utri duorum antecedentium sermo subjunctus sit, in dubio est: unde est controversia, *Heres meus uxori meæ dare damnas esto argenti, quod elegerit* [d], *pondo centum.* Uter eligat, quæritur. Verum id, quod ex his primum est, *mutatione casuum*, sequens *divisione verborum* aut *transla-*
10 *tione* emendatur, tertium *adjectione.* Accusativi geminatione facta amphibolia [e] solvitur ablativo: ut illud, *Lachetem audivi percussisse Demeam*, fiat [f], *a Lachete percussum Demeam.* Sed ablativo ipsi, ut in primo diximus, inest naturalis amphibolia. *Cælo decurrit aperto:* utrum per
11 apertum cœlum, an cum apertum esset. *Divisio* respiratione et mora constat: *statuam*, deinde, *auream hastam:* vel *statuam auream*, deinde, *hastam. Adjectio* talis est, *argentum, quod elegerit ipse*, ut heres intelligatur: vel *ipsa*, ut uxor. *Adjectione* facta amphibolia, qualis sit, *Nos* [g]
12 *flentes illos deprehendimus, detractione* solvetur. Pluribus verbis emendandum, ubi est id, quod, quo referatur, dubium est, et ipsum est ambiguum. *Heres meus dare illi damnas esto omnia sua.* In quod genus incidit Cicero loquens de C. Fannio [h]. *Is soceri instituto, quem, quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat: præsertim cum ille Q. Scævolam sibi minorem natu ge-*
13 *nerum prætulisset.* Nam id *sibi* et ad socerum referri, et ad Fannium potest. Productio quoque in scripto, et correptio [i] in dubio relicta, causa est ambiguitatis: ut in hoc, *Cato:* aliud [k] enim ostendit brevis secunda syllaba

[b] ita G. [c] ibi G. [d] voluerit G. [e] amphibologia Jens. *hic et alias.* [f] fiat—Demeam *om.* G. [g] nunc flentis G. Jens. [h] Fannia in Jens. [i] corruptio G. correctio Jens. [k] alium G.

conversum a Vincentio Bellov. Spec. Doctr. 3, 93. *Centum quinquaginta virorum reliquit Achilles.* Voluit forte *liquit*, ut versus sibi constet, vel *virum relliquit:* hexametrum enim Græco respondentem dare voluisse apparet. Amphibolia in hoc inest, quod, nisi numerorum ipsorum ratio indicaret, intelligi non potest, utrum quinquaginta de centum, an centum de quinquaginta viris reliquerit vivos Achilles, interfectis reliquis. Hem astutias!

10. *Lachetem audivi*] Add. 8, 2, 16.

12. *Cicero loquens de Fannio*] In Bruto c. 26. Sed jam observavit Philander, injuriam fieri Ciceroni: neque enim dubitari potest, quin gener indignetur prælatum sibi a socero minorem generum.

13. *brevis secunda*] Apud antiquos ipsa pronuntiatione discretas vocales breves a longis, non potest dubitari, si vel Neronianum illud de Claudio cogites, *eum morari inter homines desisse.*

casu nominativo, aliud[1] eadem syllaba producta casu dativo aut ablativo. Plurimæ præterea sunt aliæ species, quas persequi nihil necesse est. Nec refert[m], quo modo 14
facta sit amphibolia, aut quo resolvatur. Duas enim res significari manifestum est: et, quod ad scriptum vocemve[n] pertinet, in utramque par[o] est partem. Ideoque frustra præcipitur, ut in hoc statu vocem ipsam ad nostram partem conemur vertere. Nam, si id fieri potest, amphi- 15
bolia non est. Amphiboliæ autem omnis in his erit quæstio, aliquando, *Uter sit secundum naturam magis sermo?* semper, *utrum sit æquius? utrum is, qui sic*[p] *scripsit, ac sic*[q] *dixit, sic voluerit?* Quarum in utramque partem satis ex his, quæ de conjectura et qualitate diximus, præceptum est.

X. (XI.) Est autem quædam inter hos status cognatio. Nam et in[r] *finitione*, quæ sit voluntas nominis, quæritur: et[s] in *syllogismo*, qui secundus a finitione status est[t], spectatur, quid voluerit scriptor: et ex contrariis legibus duos esse *scripti* et *voluntatis* status apparet. Rursus et *finitio* quodammodo est *amphibolia*[u], cum in duas partes diducatur intellectus nominis. *Scriptum* et *voluntas* habet in 2
verbis [vocis[v]] quæstionem: quod idem in *antinomia* petitur. Ideoque omnia hæc quidam *scriptum* et *voluntatem* esse dixerunt: alii in scripto et voluntate amphiboliam esse, quæ facit quæstionem. Sed distincta sunt. Aliud est enim obscurum jus, aliud ambiguum. Igitur *finitio* in 3
natura ipsa nominis quæstionem habet generalem, et quæ esse etiam citra complexum causæ possit: *scriptum* et *voluntas* de eo disputat verbo, quod est in lege: *syllogismus* de eo, quod non est. *Amphiboliæ* lis in diversum trahit: *legum contrariarum* ex diverso pugna est. Neque imme- 4
rito et recepta est a doctissimis hæc differentia, et apud

[1] aliud—ablat. *om.* Jens. [m] feror G. [n] vocetur G. [o] parem partem G. Jens. *vid. leg.* pares partem. [p] *om.* G. [q] *om.* G. si Jens. [r] *om.* G. [s] ut G. [t] quo G. Jens. [u] amphibolica G. [v] *Vid. om.*

14. *in utramque par est partem*] Non satis plana mihi videtur hæc oratio: neque enim apparet, quid *par sit in utramque partem*. Sed si legas, ut supra conjeci, ita connectetur oratio, *duas res significari manifestum est*, easque *pares in utramque partem*, ut utraque pars pro se allegare possit *scriptum et vocem*; non item forte sententiam.

X, 1. *voluntas nominis*] H. e. significatio, ut 6, 2, 9. De *Syllogismo* recurrendum ad 7, 8, 1.

plurimos ac prudentiſſimos durat. Et [x] de hoc quidem genere diſceptationis, etiamſi non omnia tradi, tamen ali-
5 qua potuerunt. Sunt alia, quæ, niſi propoſita, de qua dicendum [z] eſt, materia, viam docendi [a] non præbeant. Non enim cauſſa univerſa [b] in quæſtiones ac locos diducenda [c] eſt: ſed hæ ipſæ partes habent rurſus ordinem ſuum. Nam et in procœmio primum eſt aliquid, et ſecundum, ac deinceps. Et *quæſtio* omnis ac locus habet
6 ſuam diſpoſitionem, ut theſes etiam ſimplices. Niſi [d] forte ſatis erit dividendi [e] peritus, qui controverſiam in hæc [f] diduxerit, *an omne præmium viro forti dandum ſit, an ex privato, an nuptiæ, an ea, quæ nupta ſit, an hæc* [g]*?* deinde, cum fuerit de prima quæſtione dicendum, paſſim, et ut quidque [h] in mentem veniet, miſcuerit? non primum in ea ſcierit eſſe tractandum, *Verbis legis ſtandum ſit, an vo-*
7 *luntate?* hujus ipſius particulæ aliquod initium fecerit [i]? deinde, proxima ſubnectens, ſtruxerit orationem, ut, pars hominis eſt manus, ejus, digiti, illorum quoque, articuli? Eſt et hoc, quod ſcriptor demonſtrare non poſſit, niſi cer-
8 ta, definitaque materia. Sed quid una faciat, aut altera? quin immo centum ac mille, in re infinita [l], atque materia? Præceptoris eſt, in alio atque alio genere quotidie oſtendere, quis ordo ſit rerum, et quæ copulatio: ut paullatim fiat uſus, et ad ſimilia tranſitus. Tradi enim
9 omnia, quæ ars efficit, non poſſunt. Nam quis pictor omnia, quæ in rerum natura ſunt, adumbrare [m] didicit? ſed, percepta ſemel [n] imitandi ratione, aſſimulabit, quidquid acceperit. Quid [o] enim? non faber vaſculum aliquod, quale numquam viderat, facit? Quædam vero non
10 docentium ſunt, ſed diſcentium. Nam et [p] medicus, quid in quoque valetudinis genere faciendum ſit? quid quibus ſignis providendum? docebit: vim ſentiendi pulſus venarum, caloris motus, ſpiritus meatum, coloris diſtantiam, quæ ſua cujuſque ſunt, ingenium dabit. Quare plurima petamus [q] a nobis, et cum cauſſis deliberemus [r], cogitemuſque, homines ante inveniſſe artem, quam docuiſſe.
11 Illa enim potentiſſima eſt, quæque vere dicitur *œconomica* totius cauſſæ *diſpoſitio*, quæ conſtitui, niſi velut in re præ-

[x] Et—potuerunt *om.* G. [z] dictum G. [a] dicendi G. [b] diverſa G. [c] ducenda G. Jenſ. [d] ſi G. Jenſ. [e] dividendo perdat G. [f] in hoc duxerit G. dixerit Jenſ. [g] etiam G. [h] quidquid G. Jenſ. [i] fuerit G. [l] finitaque G. Jenſ. [m] *om.* G. [n] *om.* Jenſ. [o] Quis G. Jenſ. *pulchre: ut ſit*, Quis enim non faber *&c.* [p] *om. iid.* [q] petimus Jenſ. [r] deliberamus cogitamuſque *id.*

senti, non potest: ubi assumendum proœmium, ubi omittendum? ubi utendum expositione continua, ubi partita? ubi ab initiis incipiendum, ubi more Homerico a mediis, vel ultimis? ubi omnino non exponendum? quando a 12
nostris, quando ab adversariorum propositionibus incipiamus? quando a firmissimis probationibus, quando a levioribus? quando[s] in caussa proponendæ[t] proœmiis quæstiones? qua præparatione præmuniendæ? quid judicis animus accipere possit statim dictum, quo paullatim deducendus? singulis, an universis opponenda[u] refutatio? reservandi perorationi, an per totam orationem diffundendi affectus? de jure prius, an de æquitate dicendum? an anteacta crimina, an de quibus judicium est, prius objicere vel diluere conveniat? Si multiplices caussæ erunt, 13
quis ordo faciendus, quæ testimonia, tabulæve, cujusque generis in actione recitandæ[x], quæ reservandæ? Hæc est VELUT imperatoria virtus copias suas partientis ad casus præliorum, retinentis partes propter[y] castella tuenda, custodiendasve urbes, petendos commeatus, obsidenda itinera, mari denique ac terra dividentis. Sed hæc[z] in ora- 14
tione præstat omnia[a], cui adfuerint *natura*, *doctrina*, *studium*. Quare NEMO exspectet, ut alieno tantum labore sit disertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum[b]: est facienda[c] sua cuique vis, usus[d], sua ratio: non respiciendum ad hæc, sed in promtu habenda: nec tamquam tradita, sed tamquam innata. Nam viam de- 15
monstrare velociter[e] ars potest, si qua est: verum ars satis præstat, si copias eloquentiæ ponit in medio: nostrum est uti eis scire. Reliqua[f] partium[g] est demum dispositio: et 16
in his ipsis primus aliquis sensus, et secundus, et tertius: qui non modo, ut sint ordine collocati, elaborandum est, sed ut inter se juncti, atque ita cohærentes, ne commissura

[a] qua Jens. [t] *Vid. leg.* præponendæ. [u] opponendi *id.* [x] retractandæ G. [y] per G. Jens. [z] *om.* G. [a] præstat, cui omnia G. Jens. [b] pollendum G. [c] *Forte leg.* faciendi. [d] *om.* G. Jens. [e] potest velocitas *iid.* [f] enim *inf.* Jens. [g] artium G. Jens.

11. *more Homerico*] Qui non ab ovo, unde nata est Helena, incipit bellum Trojanum: sed in media nos castra Græcorum et affectum jam bellum ducit; ea, quæ præcesserunt, per narrationes ducum et alia artificia revocat. Sic Virgilius in ipsum mare nos projicit; Fenelonius in litus naufragum Calypsûs, &c.

14. *non respiciendum ad hæc*] Ut ad commentarios suos respiciunt, quos in orando deficit memoria.

16. *ne commissura pelluceat*] Ut scilicet in architectura, pictura, sta-

17 pelluceat: corpus fit, non membra. Quod ita continget, si et, quid in [h] quoque conveniat, viderimus, et ut verba verbis applicemus, non pugnantia, sed quæ invicem complectantur. Ita res [i] diversæ distantibus ex locis quasi invicem ignotæ non [l] collidentur, sed aliqua societate cum [m] prioribus ac sequentibus se copulaque [n] tenebunt: ac videbitur non solum compositа oratio, sed etiam continua. Verum longius fortasse progredior fallente transitu, et a dispositione ad elocutionis præcepta labor: quod proximus liber inchoabit.

[h] quid quaque *iid.* [i] non *inf. iid.* [l] *om. iid.* [m] sed non Jens. [n] tenebunt copula G.

tuaria, musicis, artibus omnibus denique ingenii, maxima in eo vis est, ut apta junctura unum quiddam efficiatur.

17. *fallente transitu*] Quod optimi quique magistri faciunt, ut præcepta ea ponant, quæ exemplorum simul vice fungantur, quod nostro in primis solenne est; id hoc etiam in loco facit, ut, cum de dispositione verborum agit, juvante rerum dispositionem et aptos transitus, eadem a doctrina de dispositione ad elocutionem transeat. Vid. 8, 2, 15.

INSTITUTO DE ESTUDIOS RIOJANOS
BIBLIOTECA

ERRATA.

Pag. 45. col. 1. l. 1. *pro* Orat. 1, 67. *lege* Orat. 2, 67.
—— 56. col. 1. l. 9. *pro* judicavi *lege* indicavi.
—— 76. col. 2. l. 21. *pro* II, 3, 50. *lege* XI, 3, 50.
—— 132. col. 2. l. 11. *lege* experimentis
—— 239. col. 1. l. 6. *pro* agitur; *lege* agitur,

HAND BOUND
E. A. WEEKS
& SON
LONDON

1897

QUINCTILIAN

VOL. I